This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600094911U

LIPSIAE TYPIS B. G. TEUBNERI.

L. S.

Phil. Melanthonis in epistolam Pauli ad Romanos Commentarii, quanquam singula passim minus spectant, universam tamen Pauli sententiam ea inlustrant cura fide religione atque Ecclesiae nostrae fundamentum gratuitam propter Christum peccatorum remissionem ea argumentorum gravitate eaque sermonis suavitate defendunt, ut omnibus quorum „Ecclesiam nostram ornari et latius propagari puram Evangelii doctrinam“ interest, summo jure commendentur. Itaque spero Ecclesiam qua nuper pietate mortui Melanthonis obiit memoriam eadem nunc hanc nostram Commentariorum editionem diligenter castigatam amplexuram esse.

Atque ad criticam partem quam dicunt quod adtinet, restituendo genuino verborum textui, quem recentiores editiones saepe male deseruerunt, diligenter operam dedimus. Conlatae autem sunt a nobis hae editiones:

A. Commentarii in epistolam Pauli ad Romanos hoc anno MDXL recogniti et locupletati. Autore Philippo Melanchthone. Adjecta sunt Prolegomena admodum utilia, cum praefatione ad illustriss. Principem Hassorum. (In fine) Argentorati apud Cratonem Mylium MDXL. Mense Martio.

B. Commentarii in epistolam Pauli ad Romanos, hoc anno MDXL recogniti et locupletati. Autore Philippo Melanthone. Vitebergae. Anno MDXL. (In fine) Impressum Vitebergae per Josephum Clug. Anno MDXLI.

C. Philippi Melanthonis opera quae supersunt

LIPSIAE TYPIS B. G. TEUBNERI.

L. S.

Phil. Melanthonis in epistolam Pauli ad Romanos Commentarii, quanquam singula passim minus spectant, universam tamen Pauli sententiam ea inlustrant cura fide religione atque Ecclesiae nostrae fundamentum gratuitam propter Christum peccatorum remissionem ea argumentorum gravitate eaque sermonis suavitate defendunt, ut omnibus quorum „Ecclesiam nostram ornari et latius propagari puram Evangelii doctrinam“ interest, summo jure commendentur. Itaque spero Ecclesiam qua nuper pietate mortui Melanthonis obiit memoriam eadem nunc hanc nostram Commentariorum editionem diligenter castigatam amplexuram esse.

Atque ad criticam partem quam dicunt quod adtinet, restituendo genuino verborum textui, quem recentiores editiones saepe male deseruerunt, diligenter operam dedimus. Conlatae autem sunt a nobis hae editiones:

A. Commentarii in epistolam Pauli ad Romanos hoc anno MDXL recogniti et locupletati. Autore Philippo Melanchthone. Adjecta sunt Prolegomena admodum utilia, cum praefatione ad illustriss. Principem Hassorum. (In fine) Argentorati apud Cratonem Mylium MDXL. Mense Martio.

B. Commentarii in epistolam Pauli ad Romanos, hoc anno MDXL recogniti et locupletati. Autore Philippo Melanthone. Vitebergae. Anno MDXL. (In fine) Impressum Vitebergae per Josephum Clug. Anno MDXLI.

C. Philippi Melanthonis opera quae supersunt

600094911U

PHILIPPI MELANTHONIS

COMMENTARII

IN EPISTOLAM PAULI AD ROMANOS

(1540)

AD OPTIMARUM EDITIONUM FIDEM

RECOGNOVIT

DR. TH. NICKEL.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXI.

100. f. 31.

LIPSIAE TYPIS B. G. TEUBNERI.

L. S.

Phil. Melanthonis in epistolam Pauli ad Romanos Commentarii, quanquam singula passim minus spectant, universam tamen Pauli sententiam ea inlustrant cura fide religione atque Ecclesiae nostrae fundamentum gratuitam propter Christum peccatorum remissionem ea argumentorum gravitate eaque sermonis suavitate defendunt, ut omnibus quorum „Ecclesiam nostram ornari et latius propagari puram Evangelii doctrinam“ interest, summo jure commendentur. Itaque spero Ecclesiam qua nuper pietate mortui Melanthonis obiit memoriam eadem nunc hanc nostram Commentariorum editionem diligenter castigatam amplexuram esse.

Atque ad criticam partem quam dicunt quod adtinet, restituendo genuino verborum textui, quem recentiores editiones saepe male deseruerunt, diligenter operam dedimus. Conlatae autem sunt a nobis hae editiones:

A. Commentarii in epistolam Pauli ad Romanos hoc anno MDXL recogniti et locupletati. Autore Philippo Melanchthone. Adjecta sunt Prolegomena admodum utilia, cum praefatione ad illustriss. Principem Hassorum. (In fine) Argentorati apud Cratonem Mylium MDXL. Mense Martio.

B. Commentarii in epistolam Pauli ad Romanos, hoc anno MDXL recogniti et locupletati. Autore Philippo Melanthone. Vitebergae. Anno MDXL. (In fine) Impressum Vitebergae per Josephum Clug. Anno MDXLI.

C. Philippi Melanthonis opera quae supersunt

omnia. Edidit Carolus Gottlieb Bretschneider. Volum. XV. (Corp. Reform.) Halis Saxonum, apud C. A. Schwetschke et filium. 1848. (Pag. 495 — 796.)

Bretschneiderus Peuceri repetere vult recensionem, qua in re quanta fuerit diligentia lecturi ex notis nostris criticis ipsi videant.

W. Operum reverendi viri Philippi Melanchthonis Pars tertia. Witebergae, typis Simonis Gronenbergii, sumptum impendente Zacharia Schüverio et ejus sociis. MDLI. (Pag. 883 — 1084.)

Atque Ecclesia si studia nostra probaverit, praestantissima quaeque Reformatorum opera exegetica eadem cura edere pergemus.

Gustroviae, pridie Calend. April. MDCCCLXI.

Dr. Nickel.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI,

PIETATE ET MAGNITUDINE ANIMI PRAESTANTI,

PHILIPPO LANDGRAVIO HASSIAE,

COMITI IN CATTENELNBOGEN, DIETZ, NIDA ET ZIGENHAIN ETC.

PHILIPPUS MELANTHON[1])

S. D.

Non atheo[2]) aut ferreo animo sum, aut rudis atque ignarus vulgarium opinionum in hac vitae consuetudine, prorsus ut neque adtendam neque intelligam, quid in universum de religione, quid de studiis doctrinae Christianae deque his laboribus ac certaminibus, quae pii vel in explicanda vel in defendenda religione Christiana suscipiunt, maxima pars hominum iudicet. Video nos agere causam, necessariam quidem et magnam, sed minime plausibilem. Semper enim iacet Ecclesia vera, oppressa iniustis potentum et multitudinis iudiciis, etsi his tota ut dicitur voce reclamat. Reges ac Principes queruntur tranquillitatem communem dissimilitudine doctrinae turbari, volunt adtemperari religiones ad suas utilitates et ad tranquillitatem, non ad veritatem seu ad gloriam Dei. Aliud hominum genus est, Monachi et horum similes, indocti et pertinaces hypocritae: hi mordicus retinent errores suos, vel ne iacturam opinionis faciant, vel ne quid de quaestu decedat. Tertium genus est, quod superbissime et Gigantea audacia deridet omnes religiones Epicuri more, tanquam inania terriculamenta et fabulas, seu a pictoribus seu a poëtis ortas. Tales sunt magna ex parte Pontifices, Cardinales, Episcopi, Canonici et quidam literati, nimium sibi placentes, qui utinam meminissent id quod ipsi apud Pindarum legunt: *ἐχθρὰ σοφία, λοιδορῆσαι θεόν*[3]).

1) Melanthon *B.* Melanchthon *A. W.* 2) atheo *W.* adeo *A. B.* 3) *λοιδορῆσαι A. λοιδορῶσαι B. W.* — Pind. Olymp. 9, 56 (40): *τόγε λοιδορῆσαι θεούς, ἐχθρὰ σοφία.*

Quamquam autem tam multi et quidem sedentes in fastigio rerum humanarum improbant hoc nostrum studium illustrandae ac propagandae doctrinae Christi, tamen nos meminisse oportet dictum Pauli qui ait [Rom. 1, 16]: Non pudet me evangelii. Non errore mentis, non cupiditate aliqua hanc causam agimus, sed habemus veram iustam gravem et piam nostri consilii rationem. Athenis erat formula iuramenti, ut solet esse, in quam iurare oportuit certo tempore omnes cives. In ea formula erat haec honestissima sententia et haud dubie a primis et vere piis patribus per manus tradita: Pugnabo pro sacris et solus et simul cum aliis: ἀμυνῶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὑπὲρ ὁσίων καὶ μόνος καὶ μετὰ πολλῶν. Quanto magis nos in ecclesia Christi, qui scimus divinitus traditam esse doctrinam evangelii, oportet omni studio eam tueri illustrare et propugnare[1])! cum toties Deus testetur se haec officia prae ceteris omnibus flagitare, cum tot illustribus exemplis declaraverit quanti faciat hunc honorem! Quare non deterreamur seu Epicureorum seu hypocritarum iudiciis a nostro instituto ac statuamus Deo hanc nostram sedulitatem curae futuram esse.

Deinde illud videamus, ut in explicatione gravissimarum controversiarum fidem et delectum adhibeamus, ut nativam veram ac veterem Ecclesiae doctrinam et restituamus et conservemus. Nec vero ulla pars in Propheticis et Apostolicis scriptis interpretationum confusione adeo contaminata est, ut haec Pauli epistola ad Romanos scripta; quae cum sit methodus doctrinae coelestis ac aditum patefaciat ad omnes reliquas partes in Propheticis et Apostolicis scriptis, plurimum interest Ecclesiae veram et simplicem sententiam Pauli omnibus in conspectu positam esse et dextre intelligi. Hic traditur discrimen legis et evangelii, item discrimen veteris et novi Testamenti, monstrantur beneficia, quae filius Dei nobis e sinu aeterni Patris adtulit, ostenditur portus ac firma consolatio eis, qui liberari cupiunt a peccatis et aeterna morte, proponuntur veri cultus Dei. Tantarum rerum doctrinam cum haec epistola contineat, quid aliud est quam solem ex mundo tollere, huic concioni tenebras inducere?

Dedi igitur operam ut bona fide ac simplicissime veram sententiam redderem. Et quamquam nec Origenis labyrinthos nec Monachorum deliramenta sequor, tamen non gigno novas interpretationes ignotas Ecclesiae Christi. Una est Pauli sententia, cuius vestigia extant in scriptis veterum, Ambrosii, Augustini et quorundam aliorum, et quae congruit cum perpetuo consensu Propheticarum concionum omnium et cum testimoniis piarum mentium, quae exercitia[2]) fidei intelligunt ac sentiunt animos adquiescere non

1) propugnare *A. B.* propagare *W.* 2) exercitia *A. W.* exercitio *B.*

posse nisi cognita hac sententia, quam quidem ipsa Pauli oratio efficit, si quis membra non sycophantice discerpat sed recte contexat, sequens ut Plato vocat λογογραφικὴν ἀνάγκην. Hanc sententiam Dei beneficio renovatam in Ecclesiis nostris amplecti me profiteor[1]) ac solam iudico esse genuinam nec dubito ad omnium piorum et eruditorum iudicia toto orbe terrarum provocare, qui si volent adtente et Pauli scriptum et nostrae interpretationis fontes considerare, haud dubie hanc sententiam consentientibus suffragiis probabunt. Sed de meo consilio postea dicam in argumento huius operis copiosius. Haec tantum eo duxi commemoranda esse, ut initio testarer me in enarrando fidem et[2]) religionem, quae praecipue in interprete requiri solent[3]), praestitisse. Ut enim Aeschines inquit: Oratoris vocem cum lege congruere debere, ita in Ecclesia imprimis flagiciosum est, dissentire interpretem ab autore. Etsi autem de summa rerum non dubito me vera consentanea Paulo et utilia dixisse, tamen quia nobis in his nostris aerumnis non tantum ocii conceditur, ut perpolire ea quae in scholis commentamur possimus, saepe nostrae enarrationes sunt tenuiores, quam ut magnitudini causae respondeant. Et interdum omnibus λεληθότως excidunt improprie aut intempestive dicta. Quare et de hoc scripto et de ceteris quae edidi libenter permitto iudicium Ecclesiis nostris ac praecipue Ecclesiae Wittebergensi: nam has sentio esse Christi Ecclesias, quarum iudicium defugere nemo debet.

Magna profecto res est et quae ad communem ecclesiae salutem pertinet, illustrare hanc epistolam Pauli. Quare probo etiam ceterorum studia, qui edunt commentarios, qui tamen non pugnant cum autore, sed ut dicitur ποτὶ σπάρτον τὸν λίθον προσαρμόζουσι. Verum ad pios Principes pertinebat efficere, ut in aliqua synodo communiter et adcurate disputatis sententiis ederetur integer et perpetuus commentarius in hanc epistolam et gravi autoritate commendaretur Ecclesiis ac posteritati, ut genuina sententia conservaretur. Hac de re honestius erat Episcopis cogitare, quam moliri bellum civile et infinitum, vastationem horribilem Ecclesiarum, parricidia piorum, ac facere impia et execranda foedera ad delendam coelestem doctrinam, ad defensionem tyrannidis suae et suarum libidinum. Quid enim agant et conentur Pontifices ne ipsi quidem dissimulant, sed hi cum sint hostes Christi non possunt animos ad moderata aut honesta consilia flectere.

Oremus igitur Deum ut repressis istis tyrannis reliquias verae Ecclesiae Christi servet et cum doctores idoneos excitet, qui sint φωστῆρες ut Paulus vocat Ecclesiae, ne prorsus extinguatur inter homines Dei noticia, tum vero etiam vocet ad evangelii agnitionem

1) profiteor *A. B.* confiteor *W.* 2) et *A. B.* ac *W.* 3) solent *B. W.* solet *A.*

aliquos Principes eosque confirmet, ut Ecclesia qualecunque domicilium habeat et recta studia privatorum a bonis Principibus adiuventur, ut semper Deus aliquas politias voluit servare ad hoc praecipuum munus, propter quod ad societatem conditi sumus, ut videlicet Deus inter nos innotescat. Ita Abrahae dederunt hospitium Hethaei, Eliae vidua Sareptana, Paulo Sergius Proconsul, Philemon, Onesiphorus Ephesius et alii. Huic coetui et nunc Deus adnumerabit pios Principes, qui magno suo periculo praebent hospitium Ecclesiis Christi easque multis officiis adiuvant.

Cum igitur rursus editurus essem hunc commentarium, duxi eum potissimum auspicio tui nominis, inclyte Princeps, publicandum esse: nam et nos decet observantiam et[1]) gratitudinem nostram declarare erga Principes, qui piae doctrinae studia provehunt, et nonnihil vestra interest extare monumenta certa, ex quibus exterae nationes et posteri vere iudicare possint, quale genus doctrinae amplexi sitis. Spero autem multos pios ubique terrarum cognita hac sententia Pauli, quam divinitus monstratam conservare et propagare conamur, primum Deo, deinde vobis gratias toto pectore acturos esse, quod vestro beneficio fulgor evangelii latius sparsus sit et de rebus necessariis ad pietatem ac salutem rectius ipsi quoque admoniti sint. Norunt pii quam gratum ac dulce sit officium bonis mentibus verae doctrinae communicatio. Hanc multi vobis, ut res est, se debere praedicabunt. Horum preces et vobis et reipublicae prodesse spero, qui suis votis commendant vos et universam ecclesiam Christo. Ut enim Paulus bene precatur Onesiphoro: Det ei Deus ut misericordiam inveniat apud Dominum in die illa: sic pii omnes a Deo petere debent ut evangelii hospites servet ac defendat. Porro quanta laus est tribui vobis[2]) hoc dulce praeconium, quod de Philemone scribit Paulus, ὅτι τὰ σπλάγχνα τῶν ἁγίων ἀναπέπαυται διὰ ὑμῶν. Hoc est verum decus expetendum bonis Principibus; quod cum tuemini frementibus ac indignantibus Pontificibus ac Regibus, qui nunc plus quam Neronianam saeviciam in pios exercent, non dubitate Deum vos adversus illorum rabiem atque immanitatem defensurum esse.

Refutabunt etiam hi nostri libelli Sycophantas, qui variis calumniis deformare causam nostram student ac vociferantur nos falsas ac perniciosas opiniones serere. Adversus hos apud omnes qui non sunt ἄθεοι. et apud posteritatem hi libelli et similes testimonium dicent, ex quibus liquet nos multis articulis doctrinae Christianae lumen adtulisse, qui antea caligine opinionum falsarum et impiarum, quas in ecclesia vel superstitiosi homines vel improbi sparserant, obruti fuerunt.

Exposui publicas causas, propter quas tuo nomini hunc com-

1) et *A. B.* ac *W.* 2) vobis *B. W.* nobis *A.*

mentarium dedicavi. Privatae etiam multae sunt; vere enim amo, ut multi norunt, excellens ingenium tuum, et[1]) ut ille sapiens poëta inquit:

Iusticiaene[2]) *prius mirer bellive laborum:*

significans Principi viro utroque genere virtutum opus esse, togatis et bellicis. Ita cum videamus te magno praesidio esse reipublicae propter utrumque genus virtutum, qualis stupor esset non adcendi amore atque admiratione tui, praesertim cum deceat nos Deo pro his donis gratias agere! Ac iusticiam tuam et gravitatem in gubernatione, magnitudinem consilii et fortitudinem norunt omnes ac propter has virtutes libenter tibi suam salutem committunt, quo quid potest cogitari gloriosius inter homines? Ut enim opes civitatum dixit esse Demosthenes πίστιν καὶ εὔνοιαν συμμάχων, sic[3]) Principis et opes et decus praecipuum esse statuo talia multarum gentium de eius prudentia virtute et fide iudicia, ut existiment tuto committi ei suam salutem posse.

Mihi vero etiam illa domestica et interiora nota sunt, pietas tua erga Deum et diligentia in cognoscenda ac diiudicanda doctrina ecclesiastica. Memini enim te eruditissime de multis controversiis disputare, magna cura quaerentem vera et firma fundamenta dogmatum quae profitemur, cum quidem gravissime diceres te nolle defugere odia aut pericula propter defensionem verorum dogmatum, quae in divinis literis tradita et Ecclesiae necessaria sunt; sed non suffragaturum ulli dogmati pugnanti cum divinis literis. Haec me vere praedicare multi graves viri norunt. Quare opto ut Deus te gubernet ac defendat, ut Ecclesiae nostrae ornari [fides] et latius propagari pura evangelii doctrina possit.

Scripsi antea ad Episcopos quosdam, sed postquam omnia moderata consilia exploduntur et exibilantur et palam nostris bellum denunciatur et occulte Principibus insidiae struuntur, frustra illis de suo officio et de moderatione concionamur. Ac si haec sunt tempora, de quibus Daniel vaticinatur, ut sentio, Pontifices ἄθεοι, quales erant apud Iudaeos Iason Menelaus Alcimus, erunt faces bellorum civilium καὶ ἀλάστορες τῆς ἐκκλησίας, conabuntur delere evangelium et cogent tandem lacessitos iniustis armis cogitare illud Hectoreum εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Sed ecclesiis ac studiis opus est pace. Ideo precor Dominum nostrum Jesum Christum ut animos Regum ad pacem et ad pia consilia flectat. Bene vale, inclyte Princeps. Calend. Ianuar. Anno Domini MDXL.

---

1) et *A. B.* — *W.* omitt. 2) iusticiaene *A. B.* iusticiaeve *W.* 3) sic *A. W.* ita *B.*

PH. MELANTHONIS

COMMENTARII IN EPISTOLAM PAULI AD ROMANOS.

Argumentum Epistolae Pauli ad Romanos.

Duae sunt epistolae partes: prior continet longam disputationem, in posteriore sunt praecepta de moribus. Ac multi tantum hanc postremam pagellam de moribus censent nunc lectu dignam esse eamque legunt ut Hesiodi aut Phocylidis poëma. Superiora nihil arbitrantur ad nos pertinere, quia putant tantum rixas esse de Iudaicis ceremoniis, de quibus nunc nemo litigat. Sed longe aliter sentiendum est. Prior pars habet disputationem maxime necessariam omnibus saeculis et universae Ecclesiae. Continet enim praecipuos et proprios locos doctrinae Christianae, discernit Evangelium a Lege et a Philosophia, monstrat beneficia Christi, remissionem peccatorum gratuitam, liberationem a morte aeterna, imputationem iusticiae, donationem Spiritus sancti et vitae aeternae. De his tantis rebus concionatur, non tantum litigat de ceremoniis.

Nec absurdam nec novam interpretationem gigno. Ipsa series disputationis Paulinae efficit hanc sententiam, quam reddo. Est autem ab ipso apostolico sermone sumenda sententia, non alia imaginatio adfingenda contra sermonis proprietatem. Deinde nostra interpretatio aptissime consentit cum perpetua doctrina tradita in Prophetis et Evangelio. Extant et vestigia in Ambrosio, Basilio, Augustino, Gregorio et Bernardo. Denique iudicium Ecclesiae nostram interpretationem comprobat: videlicet piae et peritae conscientiae agnoscunt in veris certaminibus statuendum esse, nos non propter nostra bene facta, non propter legem, sed gratis propter Christum consequi remissionem peccatorum et imputationem iusticiae fide, id est fiducia promissae misericordiae propter Christum. Hac sententia deleta in Ecclesia, quantae tenebrae sequuntur? Non intelligi possunt beneficia Christi, non conspici discrimen legis et Evangelii, non firma consolatio conscientiarum, non vera invocatio

retineri potest. Quod autem Paulus de hac ipsa sententia concionetur satis liquet ex ipsius sermone. Retinemus igitur τὸ ῥητόν, quia ad id congruunt consensus reliquae Propheticae et Evangelicae scripturae perpetuus et eruditiores patres et iudicia peritarum et piarum conscientiarum in Ecclesia.

Haec omnia cum consentiant, satis firma testimonia nostrae interpretationis habemus nec calumnias Mensingeri, Mustelae, Campani aut aliorum pertimescimus, qui vociferantur nos adfingere Paulo novam et absurdam sententiam, ac interea ipsi inflectunt Pauli dicta ad civiles et humanas opiniones de iusticia et moribus, ac magnam prudentiae laudem esse putant, excogitare concinnam interpretationem, quae cum philosophia, cum communi sensu omnium impiorum congruat. Fingunt Paulum haec velle, homines propter fidem id est professionem historiae de Christo et bonos mores habere condonationem peccatorum et dici iustos. Ac iusticiam coram Deo esse hanc qualemcunque disciplinam quam praestant homines et hanc legi Dei satisfacere: reiiciunt haec paradoxa, naturam hominis viciatam esse et non posse legi Dei satisfacere: et hanc naturae infirmitatem, dubitationem de Deo et ceteros morbos, quos complectitur peccatum originis, esse vere peccata coram Deo. Superbe deridẽt ea quae de peccato originis dicimus, revocant nos ad philosophiam. Et in summa, non aliud imaginantur esse iusticiam coram Deo aut quam lex Dei postulat, nisi illam ipsam disciplinam, qua contenta est philosophia.

Hanc opinionem Pelagius professus est, sed semina sparsa sunt in commentariis Origenis. Et cum sit opinio consentanea iudicio rationis humanae, quae non est experta veros[1]) pavores et consolationem veram in poenitentia, facile homines haec πιθανὰ amplectuntur. Ita semper Prophetis fuerunt certamina cum hypocritis, cum sacerdotibus, qui dicebant[2]) populum iustum esse legis operibus, et hac opinione cumulabant ceremonias et alia exercitia. Ideo Psalmi toties inculcant hanc sententiam, quod nemo sit sine peccato, ut Psalmo 143: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Psalmo 130: Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? Et Psalmo 32[3]): Dixi confitebor adversum me iniusticiam meam Domino. Et Daniel: Tibi Domine iusticia, nobis confusio. Postquam monstrarunt iudicium Dei adversus peccatum et hypocrisin, deinde rursus erigunt nos, iubent nos agnoscere promissam misericordiam, testantur fiducia misericordiae donari veniam, recipi nos in gratiam, ut inquit: Sustinuit anima mea in verbo eius, id est promissione. Speravit anima mea in Domino: quia apud Dominum misericordia, id est, quia vere vult misereri iuxta promis-

1) veros *A. B. W.* vero *C.* 2) dicebant *A. B.* docebant *C. W.* 3) 142. 129. 31. *A. B. C. W.*

sionem suam. Et in talibus concionibus saepe fit mentio fidei, ut secundo Paralip. 20: Credite in Deum vestrum et securi eritis, ubi non tantum historiae noticiam volunt intelligi, sed fidem vocant fiduciam misericordiae promissae et sine hac fiducia reiiciunt invocationem et omnes cultus.

Ut igitur Prophetae omnes inculcant hanc doctrinam, ita Paulus eandem causam agit. Non hoc agit unum, ceremonias omittendas esse: sed cum error de retinendis ceremoniis oriatur ex hoc fonte, quod hypocritae imaginabantur homines lege iustos esse ideoque omissa doctrina de gratuita imputatione contendebant quaerendam esse iusticiam per opera legis: quare Paulus revocat quaestionem ad fontem, sicut et Prophetae faciunt, et monstrat quis sit usus legis, et non de solis ceremoniis loquitur, sed de tota lege ac praecipue de decalogo. Nam minime satisfit decalogo, quare de eo praecipue haec dicta adcipi oportet: Lex iram efficit: Per legem agnitio peccati. Docet igitur lege ostendi et argui peccatum, non tolli. Deinde addit hoc proprium esse Christi beneficium, auferre peccatum, sicut Esaias inquit: Et ipse peccata multorum tulit et pro transgressoribus rogavit. Et Ioannes [1, 36]: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Significat enim hunc unum esse agnum, id est, victimam divinitus destinatam ad placandam iram Dei. Non igitur propter legem aut ullas hostias alias consequuntur homines condonationem peccatorum, sed gratis fiducia huius hostiae, scilicet filii Dei, qui morte sua pro nobis satisfecit legi et abolevit maledictionem. Ideo inquit: Nunc autem sine lege iusticia Dei adparuit, id est, donatur imputatio iusticiae propter Christum, non propter legem [1]). Lex antea extabat nec est nunc a Christo adlata, qui aliud adfert longe maius beneficium; sicut Ioannes inquit [Ioan. 1, 17]: Lex per Moisen data est, Gratia autem et veritas per Iesum Christum facta est, id est, Christus donat nobis gratiam, hoc est, remissionem peccatorum gratis, et efficit in nobis veram Dei agnitionem, verum amorem, veram fiduciam, veram invocationem. Sic congruit nostra interpretatio cum perpetuo consensu propheticae et apostolicae scripturae et cohaerent membra disputationis iuxta hanc nostram interpretationem. Origenica turpissime dilacerat Pauli orationem, nec retinet nativam verborum significationem.

Nihil adversariis nostris significat haec oratio Pauli: Fide iustificamur. Excusant eam per synecdochen et adfingunt prorsus alienam interpretationem: Fide, id est noticia historiae iustificamur, id est, praeparamur ut praecepta discamus, quibus postea mereamur imputationem iusticiae. Multo absurdior est interpretatio huius dicti: Sine lege adparuit iusticia Dei, id est, sine lege

1) non propter legem *A. C. W.* id est non pr. leg. *B.*

naturali, sed adtulit Christus novas quasdam leges, qualis haec est: Nesciat sinistra quid agat dextra tua. Error, inquiunt, foecundus est. Alioqui tam puerilis et inanis interpretatio nulli sano in mentem venire posset. Sed desino persequi ineptias. Collatio nostrae interpretationis et contrariae satis ostendet, in utra rectius membra cohaereant, in utra conservetur proprietas sermonis, utra consentiat cum Prophetis et Evangelio. Idque ut diligenter considerent lectores etiam atque etiam omnes adhortor. Non enim cupio vincere ἐρήμην δίκην. Conferant studiosi interpretationes, conferant ad reliquos sacros libros, sed ita ut pie non calumniose iudicent: quod si facient, non dubito nobis suffragaturos esse.

Qua in re etiam hac diligentia opus est, ut adtendant quid vere et proprie in sacris literis significent haec vocabula, Fides, Iustificari, Iusticia, Peccatum, Lex, Evangelium. Linguam suam dedidicit Ecclesia inter Monachos et alios indoctos ac prorsus, ut apud Euripidem Tyndarus ad Menelaum inquit: βεβαρβάρωσαι χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις. Sic diuturna servitus Ecclesiae apud Monachos linguam mutavit. Nec facile est restituere veras significationes: magna enim vis est consuetudinis. Flagellant me sycophantae Mensingerus et Cochlaeus de vocabulo Fidei item de vocabulo Iustificationis, et tota via deerrant. Disputat mecum et alius quispiam, cuius in Republica magna est autoritas, an Fides significet fiduciam misericordiae.

Quis non deploret Ecclesiae tenebras? Tanta fuit Episcoporum et docentium incuria ac socordia, ut illarum vocum, quas quotidie in ore habebant, significationes obliviscerentur. Mutatis autem rerum notis etiam res amissae sunt et secuta sunt deliria multiplicia. Video autem et nunc exoriri multa prava ingenia, quae vel propter curiositatem vel propter ambitionem ea quae nunc in Ecclesiis nostris recte traduntur et optima fide ac simpliciter explicata sunt rursus novis praestigiis conturbare et obruere studebunt. Quare propter Christum oro et obtestor omnes pios, qui in studiis versantur, ut simplicem veritatem patefactam in Ecclesiis nostris ament ac tueantur, quam quidem quantum possum illustrare et munire cupio, ut ad posteros propagetur. Cum autem argumentum Epistolae ad Romanos utcunque recitaverim et quaedam de vocum significatione observanda admonuerim, visum est adiicere interpretationem vocabulorum quorundam et integram controversiam exponere de iustificatione. Nam haec προλεγόμενα aliquid lucis addent argumento. Et cum lector totam causam simul animo complexus fuerit, facilius perspiciet veram firmam et necessariam Ecclesiae esse: ac animadvertet rectius quomodo in Paulo membra disputationis cohaereant, cum prius quasi ideam aedificii in mente conceperit.

Summa doctrinae in propheticis et apostolicis scriptis traditae de iustificatione coram Deo.

Conatus sum alibi in locis communibus theologicis, quanta potui simplicitate et perspicuitate, doctrinam de iustificatione traditam in scriptis propheticis et apostolicis explicare. Neque hic alia dicam. Sed quoniam propria est huius Epistolae Paulinae haec materia, repetam res easdem et fortassis alicubi aliquid dicam verbis planioribus.

Apud Philosophos iusticia universalis vocatur obedientia iuxta omnes virtutes, id est, externa disciplina honesta, quam homo suis viribus efficere potest. Hanc et Paulus vocat iusticiam legis ac iusticiam operum. Saepe autem diximus Deum postulare ut externa disciplina honesta coërceantur omnes homines, sicut Paulus inquit: Lex est posita iniustis: Ac punit Deus violantes diciplinam, ut homines periuros, contumeliose loquentes de Deo, sediciosos, homicidas, moechos, fures, mendaces. Verum est autem quod inquit Aristoteles: Nec Hesperum nec Luciferum formosiorem esse iusticia, id est honesta disciplina. Est enim egregium ornamentum hominis, nec aliud praestantius decus efficere haec infirma natura hominis potest.

Sed tamen sciendum est hanc disciplinam nequaquam satisfacere legi, sed esse tenuem quandam umbram legis, sicut Paulus erudite docet 2 Cor. 3. cum ait: Iudaeos intueri Moisen velata facie, id est, non perfusos esse fulgore legis, hoc est, non lucere in eis noticiam Dei et perfectam obedientiam, sed externa opera qualiacunque effici. At lex Dei flagitat non tantum externa opera, sed perfectam obedientiam. Facile igitur intelligi potest neminem esse iustum coram Deo, id est adceptum propter disciplinam externam, sicut clare inquit Paulus: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Id dictum detrahit laudem iustificationis non tantum ceremoniis, sed etiam moralibus operibus, ac loquitur de tota disciplina. Porro de hac externa disciplina, de illa velata Moisi facie, philosophia et leges humanae disserunt: non quaerunt quomodo coram Deo iusti, id est adcepti simus. Nec commiscendae[1]) sunt Philosophorum sententiae cum Paulina. Tribuatur suus locus huic carnali iusticiae, hoc est, coërceantur impii hac disciplina, vagentur Philosophi in coetu populi et velatam Moisi faciem intueantur, non ascendant in montem ad Deum. Maneant in hac turba et Origenes et ceteri qui eum sequuntur et velatam Moisi faciem intueantur, cum non aliam iusticiam nisi carnalem doceant.

Cum igitur ratio non videat quomodo coram Deo iusti repute-

1) commiscendae *A. B.* comminiscendae *C. W.*

mur, Evangelium praedicat aliam iusticiam non notam rationi sed Patribus revelatam a Deo et postea per Prophetas magis magisque patefactam ac tandem per Christum et Apostolos sparsam in mundum. Ideo Ioannes inquit: Deum nemo vidit unquam: sed filius Dei, qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis; quasi dicat: Hanc voluntatem Dei, quod Deus gratis velit ignoscere et dare vitam aeternam propter filium, nulla creatura, nulla ratio humana deprehendere potuit: sed tantum per Filium haec voluntas patefacta est. De hoc admirando beneficio concionatur Paulus, quod exponam breviter. Est et Christus ut convenit artifici aptissime complexus Evangelii summam ac methodum, cum iubet praedicare poenitentiam et remissionem peccatorum in suo nomine. Itaque ministerium Evangelii primum arguit peccata, sicut Christus inquit: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato etc. Hic cum mens agnoscit peccatum et iram Dei ac veris terroribus expavescit, Evangelium proponit consolationem et eam vocem quae est ipsius Evangelii propria, scilicet promissionem beneficii Christi, monstrat mediatorem filium Dei, sicut Ioannes eum monstrabat inquiens: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, iubet statuere quod propter hunc mediatorem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, certo nobis donetur remissio peccatorum et imputatio iusticiae: non propter ulla nostra opera seu merita sed gratis fide, id est cum credimus illa vere nobis ac certe[1]) propter Christum donari. Cum hac fide nos erigimus et sustentamus intuentes Christum, consequimur vere remissionem peccatorum et reputamur iusti, id est adcepti coram Deo, et donamur Spiritu sancto et efficimur filii Dei ac haeredes vitae aeternae, ut Ioan. primo scribitur: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius.

Haec sunt plana et perspicua et ad usum conscientiarum adcommodata ac conspici in exemplis possunt. David reus adulterii et caedis, cum a Propheta adcusaretur, oppressus est ingentibus terroribus. Postea erigitur voce absolutionis, cum ait Propheta: Dominus abstulit peccatum tuum, non morieris. Hanc vocem audiens credit sibi peccatum remitti, non propter suam dignitatem aut merita sed gratis per misericordiam, ac scit promissam esse liberationem a peccato et a morte propter venturum liberatorem: scit Christum fore hostiam pro peccatis humani generis, sicut in Psalmo [110, 4] ait: Tu es sacerdos in aeternum etc. Hac fide se sustentans fit iustus, id est adceptus coram Deo ad vitam aeternam. Sic Lucae 7: Mulier venit lacrimans ad Christum, agnoscens sua peccata: postea illi inquit Christus: Vade in pace, fides tua salvam te facit.

Ita hi duo motus in conversione describuntur, pavo-

1) certe *A.* certo *B. C. W.*

res et fides. Vulgo pavores vocant contritionem: sed sciendum est pavores non mereri condonationem peccatorum, imo nisi adcederet fides, mens oppressa terroribus rueret in aeternam mortem: sicut Saul, Iudas perierunt, cum non erigerent se fide et agnitione misericordiae inter terrores. Et hoc vult dictum Pauli de lege [Rom. 4, 15]: Lex iram efficit, id est, incutit horribiles terrores, quales saepe describuntur in Psalmis. Et Ezechias inquit: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Adferrent igitur hi pavores exitium et aeternam mortem, nisi adcederet fides paulatim erigens animos, intuens in promissiones Christi atque ita Christum adprehendens. Haec certamina quanta sint monent Psalmi. Quomodo videmus luctantem secum Davidem, cum clamitat [Psalm. 6]: Domine ne in furore tuo [1]) arguas me. Miserere mei Domine. Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, neque in inferno qui laudet te. Non abiicias me inter damnatos, qui uruntur horribili et aeterno odio tui et tibi maledicunt. Ne in hunc coetum hostium tuorum abiiciar. Et Psalm. 42 [2]): Quare tristis es anima mea et quare conturbas me? Spera in Deum, quoniam adhuc laudabo eum. De his tantis certaminibus hic quoque Paulus concionatur, nec tantum litigat de suilla carne aut similibus ritibus: Clamitat omnes esse sub peccato. Haec sententia de terroribus concionatur, deinde monstrat Christum, inquit nos gratis fide iustificari etc. Et ut sciamus eum loqui non de ociosis cogitationibus, sed de fide luctante cum pavoribus, inquit [Rom. 5]: Iustificati fide pacem habemus, item: Adcessum ad Deum etc. Item: Fide agnoscimus nos diligi a Deo. Cum igitur adeo apte ad reliquam scripturam propheticam haec Pauli dicta congruant, quae perversitas est aliam sententiam Paulo adfingere? Sed pergo.

Cum haec sententia, quam recitavi de conversione hominis et iustificatione, perspicua et plana sit et in vita usum habeat et sit rata et immutabilis sententia Evangelii, patefacta patribus, adversariorum partim deploranda est caecitas, partim detestanda pertinacia, qui nostram interpretationem damnant. Atque hic obtestor per Christum omnes pios, ut expendant quid in utraque parte dicatur. Adversarii fatentur oportere existere terrores, sed de fide aliter loquuntur: volunt adesse noticiam historiae, sed iubent dubitare de remissione peccatorum: et si cui contingit, aiunt contingere propter merita. Ita simpliciter abolent Evangelium, quod docet propter Christum contingere hoc beneficium: et ut sit certum, edita est promissio et mandat Deus ut promissioni credamus ac adsentiamur eamque ad nos pertinere statuamus. Hanc esse veram et perpetuam Evangelii sententiam fateri necesse est. Et refutat Paulus errorem de dubitatione, cum docet promissionem oportere

1) tuo *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) 41 *A. B. C. W.*

fide adcipi. Rom. 4: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Et iubet ut Deo tribuamus laudem veritatis, sicut Abraham non dubitavit diffidentia. Et 1 Ioan. 5: Qui credit in filium Dei habet testimonium in seipso: qui non credit Deo mendacem facit eum etc. Ergo cum dicimus fide contingere beneficia Christi, necesse est intelligi quod contingant propter Christum, et adsentiendum est promissioni divinae ac credendum vere nobis praestari promissa. Quare fides non tantum significat historiae noticiam, sed significat fiduciam promissae misericordiae propter Christum, adsentientem promissioni divinae. Talem fidem requirit Paulus, quae credat omnibus articulis Symboli, videlicet quae credat propter filium Dei passum et[1]) resuscitatum dari nobis remissionem peccatorum: nam ad hunc articulum tanquam ad causam finalem superiores referendi sunt. Cum in precationibus adversarii recitant hunc articulum: Credo remissionem peccatorum, secum ipsi pugnant: iubent dubitare et tamen audiunt praecipi ut credant remissionem peccatorum. Ac scio quosdam, quos hic ipse articulus admonuit ut consolationem admitterent et cogitarent adsentiendum esse promissioni Dei et abiicerent doctrinam Monachorum de dubitatione et meritis.

De particula gratis[2]).

Sed quare additur particula Gratis, non propter opera nostra[3]) sed propter Christum? Imo vero[4]) de hac particula Gratis praecipue dimicant et[5]) conscientiae et Prophetae ac Apostoli. Complectitur autem duo: Excludit merita nostra, et proponit Christi merita. Hic enim vel praecipue cerni potest, primum magnitudo irae Dei adversus peccatum, quod nulla hostia placare Deum potuit nisi mors filii. Rursus lucet amoris magnitudo, quod filium pro nobis dedit. Utrunque autem in agone conscientiae[6]) tenere opus est: videlicet Deo proponenda esse Christi merita: propter Christum petendam et expectandam esse gratiam, non propter nostra merita. Nam et certaminis illius epitasis haec est: Non quaerit mens perterrefacta, an aliis benemeritis ac dignis Deus velit esse propicius. Adsentitur Deum bonum et misericordem esse, sed dignis, qui non habent peccata aut qui maiora habent merita: nam legis noticia nobiscum nata docet Deum bonum esse, sed erga dignos. Illud vero quaerit, an Deus mihi indigno velit esse propicius. Hic intuenda est particula Gratis, ut statuamus vere Deum remittere peccata propter Christum gratis, non

1) et *C. W.* — *A. B.* omitt. 2) De particula gratis *B.* — *A. C. W.* omitt. 3) nostra *B. C. W.* — *A.* omitt. 4) vero *B. C. W.* vere *A.* 5) et *A. B.* — *C. W.* omitt. 6) conscientiae *A. B.* conscientiam *C. W.*

propter ulla nostra opera aut merita. Et haec particula Gratis monstrat discrimen Evangelii ac Legis. Lex etiam[1]) concionatur Deum esse bonum, misericordem: sed addit condicionem dignitatis seu meriti, ait Deum propicium esse his, qui sine peccato sunt. At Evangelium removet condicionem nostrae dignitatis seu meritorum: testatur Deum propter Christi merita gratis nobis reconciliari, non propter ulla nostra merita, cum haec fides, id est fiducia misericordiae nititur Christo.

Solemus autem interdum pro exclusiva: Gratis iustificamur fide, uti hac formula: Sola fide iustificamur, ubi haec particula non excludit ceteras virtutes ne adsint, sed excludit opinionem meriti seu condicionem dignitatis seu excludit illas a causa iustificationis, hoc est adceptationis, ut postea copiosius dicam. Ac reipsa prorsus idem est dicere: Fide sumus iusti et Fide gratis sumus iusti et Sola fide sumus iusti. Nam fides existere nulla potest, si fiducia debeat niti dignitate nostra seu meritis, aut partim Christo partim meritis, ut fingunt aliqui. Excutitur fides, si cogitandum erit: ita propicius erit Deus cum satis meritorum habebis. Ergo non potest niti fides nisi promissione Dei monstrante Christum, propter quem pollicitus est pater certo se nobis fore propicium. Et cum Paulus quaerit, utrum fide an operibus iustificemur, fidem intelligit fiduciam misericordiae promissae propter Christum et[2]) hanc opponit in universum dignitati nostrae, quasi interroget: Utrum statuere debeas tibi remitti peccata et te filium Dei esse propter tuam dignitatem, propter ullas virtutes tuas, qualitates aut actiones, an vero statuere debeas tibi remitti peccata et te esse filium Dei per solam misericordiam propter Christum. Proinde reipsa est exclusiva cum ait: Fide iustificamur, id est non propter dignitatem nostram. Quare si quis vere volet iudicare, agnoscet reipsa idem significari, Fide iustificamur, et gratis iustificamur fide, et sola fide iustificamur. Haec obiter adieci de formulis sermonis, ut significatio diligenter expendatur. Ceterum quoquo modo loquemur, illud videndum erit ne res obruatur. Sententia exclusiva retinenda est de gratuita adceptatione: haec enim discrimen inter Legem et Evangelium efficit, ut dictum est.

Dixi de particula Gratis, de qua et hoc considerent pii, merita tolli ac reiici non quia nos nihil agamus, sed ut promissio nobis sit certa, quae fieret incerta si penderet ex condicione meritorum: item ut debitus honos Christo tribuatur: item quia etiamsi quid agimus, tamen procul absumus a perfectione legis. Oritur autem fides a verbo Dei videlicet ab Evangelio, quod proprie est promissio[3]), in qua[4]) beneficia Christi

1) etiam *A. B. C.* enim *W.* 2) et *A. B.* — *C. W.* omitt.
3) promissio *A. B.* — *C. W.* omitt. 4) qua *A. B.* quo *C. W.*

nobis tum promittuntur, tum exhibentur[1]). Nihil enim posset mens humana statuere de remissione peccatorum, si Deus non revelasset hanc suam voluntatem certo verbo seu certa promissione.

Sciendum est autem hanc evangelicam promissionem universalem esse, quod eo necesse est admoneri pios, quia pavidae mentes de his duabus quaestionibus maxime disputant, videlicet de dignitate et de electione. Primum quaerimus an indignos recipiat: deinde etiamsi essemus digni, cogitamus tamen Deum suos quosdam amicos elegisse, quibus haec beneficia velit impertire: dubitamus an ad nos quoque pertineat: veremur nos non esse in numero illorum. Ita ambigit humana ratio de voluntate Dei. Nam et Philosophi adsentiuntur, Deum paucis quibusdam videlicet heroicis viris favere et eorum eventus gubernare, sed reliquos homines negligi a Deo cogitant. Prorsus hoc modo cogitat mens de praedestinatione, ut vocant. Sed humanam opinionem[2]) taxat vox coelestis. Hoc differt Evangelium a philosophicis opinionibus et a lege, quia aliter monstrat Dei voluntatem, ostendit Deum vere et indignos velle recipere et omnibus offerre gratiam, modo ut credant promissioni. Quare discant pii, promissionem esse universalem, sicut testantur innumera dicta, ut [Matth. 11, 28]: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis. Rom. 3: Iusticia Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes credentes. Item Rom. 10: Idem Dominus omnium dives in omnes etc. In has universales includamus nos singuli et vere ad nos pertinere beneficia promissa statuamus.

Itaque in quaestione de iustificatione seponantur aliquantisper disputationes de praedestinatione. Exordiendum est ab Evangelio, quod et arguit omnes et offert omnibus gratiam promissam propter Christum, et quidem gratis offert modo ut fide adcipiant. Intueamur ergo in verbum quod est universale nec sinamus nos a promissione avelli speculationibus de praedestinatione. Non enim iudicandum est de voluntate Dei sine ipsius verbo. Et ut promissiones sunt universales, sic intelligo hoc dictum [1 Timoth. 2, 4]: Deus vult omnes homines salvos fieri, sicut in promissionibus offert omnibus salutem. Sed humana voluntas in his qui nolunt credere, repugnat promissionibus. Illi autem qui se promissione sustentant vere sibi tribui beneficia Christi statuant, ne Deum adcusent mendacii. Cumque vocem Evangelii adcipiunt et se sustentant, simul efficax est Spiritus sanctus per Evangelii vocem, iuxta illud [Rom. 10, 17]: Fides ex auditu est. Et ad Gal. 3: Ut promissionem Spi-

1) exhibentur *A.* adhibentur *B. C. W.* 2) humanam opinionem *A. B.* hanc human. opin. *C. W.*

ritus adcipiamus per fidem. Ita cum perterrefactae mentes fide eriguntur, concipiunt Spiritum sanctum. Haec est conversio quae in Evangelio vocatur regeneratio, quae haec tria complectitur, remissionem peccatorum, iustificationem seu imputationem iusticiae et donationem Spiritus sancti ac vitae aeternae. Dixi autem de motibus qui a piis intelligi possunt, de terroribus et consolatione, quae fit[1]) fide. Quare haec Paulina sententia nec absurda nec intricata est nec ociosas argutias continet, sed est perspicua, consentanea reliquis Prophetarum et Evangelii concionibus et res maximas proponit, quas pii in vita experiuntur et quarum cognitio Ecclesiae necessaria est. Nunc adiiciam brevem vocum enarrationem, legis, Evangelii, peccati, iustificationis, gratiae, fidei.

Discrimen legis et Evangelii[2]).

Plurimum[3]) differunt lex et Evangelium. Nam lex est doctrina, qua[4]) Deus praecipit quales nos esse oporteat, et quae facienda, quae vitanda sint. Et quanquam politia Mosaica deleta sit, tamen manet lex moralis, quae est una et eadem omnium temporum, cum eius noticia nobiscum nascatur. Voluit enim Deus aliquam esse noticiam in homine, quae iudicaret peccatum. Ac semper omnibus temporibus voce legis arguitur peccatum in praedicatione poenitentiae. Ideo Paulus dicit [Rom. 3, 20]: Per legem cognitio peccati. Nec tantum loquitur de ceremoniis, ut quidam fingunt, sed praecipue de decalogo seu lege morali: Haec enim semper et omnes adcusat. Nam longe aliter de lege divina sentiendum est, quam de moribus vitae civilis. In vita civili tantum flagitatur externa disciplina: at lex Dei requirit perfectam obedientiam, interiorem et exteriorem, ut testatur praeceptum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde etc. Et sic Matth. 5. Christus legem interpretatur. Cum autem haec natura hominum morbo originis viciata non possit praestare perfectam obedientiam, lex ostendit iram Dei adversus peccatum, adcusat et damnat omnes homines praeter Christum, qui, ut inquit Paulus [Gal. 3, 13], liberavit nos a maledictione legis. Liberavit autem non tantum Iudaeos aut ceteros, qui post editam vel abolitam legem Mosaicam salvati sunt, sed etiam patres ante Moisen. Ergo illi etiam fuerunt sub lege, hoc est sunt adcusati et perterrefacti iudicio legis naturalis: et periissent, nisi tenuissent promissiones de Christo, propter quem sciebant promissam esse liberationem a peccato et a morte.

Rident fortassis homines politici haec, cum dicimus legem di-

1) fit *B. C. W.* fiet *A.* 2) Discrimen legis et Evangelii *B.* — *A. C. W.* omitt. 3) plurimum differunt *A. B.* plurimum autem diff. *C. W.* 4) qua *A. C. W.* in qua *B.*

vinam flagitare perfectam obedientiam, neminem legi divinae satisfacere posse, quia in natura hominis ignoratio et contemtus Dei haerent. Videntur haec inepta Philosophis et humano more iudicantibus: sed hoc ipsum agunt Prophetae et Apostoli, volunt homines agnoscere magnitudinem peccati, quod non vere agnoscunt et glorificant Deum, docent hoc peccatum esse causam maximarum aerumnarum et calamitatum, quibus haec infirma natura oppressa est, et quaerere veram iusticiam et liberationem a peccato ac a morte per Christum donatam. Cetera de lege studiosi qui discendi causa haec lecturi sunt, sumant ex Locis Communibus quos edidi.

Evangelium praedicat poenitentiam et promissionem gratiae ac vitae aeternae. Diligenter autem a lege discerni debet promissio. Et quanquam lex habet suas quasdam promissiones, tamen et illae differunt a promissione, quae est propria[1]) Evangelii. Et promissiones legis requirunt condicionem perfectae obedientiae, ut in primo praecepto dicitur: Benefaciam diligentibus me. Sed evangelica promissio de remissione peccatorum, iustificatione et donatione vitae aeternae est gratuita, oblata propter Christum sine condicione meritorum nostrorum seu dignitatis nostrae. Nulla vox humana eloqui potest magnitudinem huius beneficii, quod Deus per filium suum Dominum nostrum Iesum Christum nobis impertit, scilicet ut deleto peccato et abolita morte fruamur conspectu Dei in aeterna vita, iusticia et laeticia. Huius beneficii promissio tantum revelata est divinitus, sicut Ioannes inquit [Ioan. 1, 18]: Filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Etsi enim aliqua legis noticia nobiscum nascitur, tamen Evangelii noticia nequaquam nobiscum nascitur. Ratio humana per sese nequaquam videt hanc Dei voluntatem, videlicet Deum missurum esse Filium suum, ut fiat victima pro Ecclesia, Deum velle gratis remittere peccata. Haec longe extra conspectum humanae rationis posita sunt.

Ideo diligenter discerni debent dicta legum a promissione evangelica. Apud Phocylidem, Hesiodum et similes leguntur aliqua legum dicta. Sed evangelica promissio de gratuita remissione vel de filio Dei nusquam legitur in his, qui rationis iudicium seu lumen naturae humanae tantum sequebantur. Imo cum quaedam noticia legis nobiscum nascatur, mens ipsa in nobis adcusat peccata nec aliud cogitat nisi Deum punire et abiicere iniustos: hoc est enim legis iudicium, ac iuxta legem verum est. Sed ingenti certamine in poenitentia voci legis et naturali iudicio nostro opponi debet promissio gratuita misericordiae anteferenda legi, quia Christus liberat a lege. Ut cum Adam lapsus esset et adcusaretur, nihil aliud iudicare potuit nisi quod lex ostendebat, se periturum esse, quia non obtemperasset Deo. Sed prodit Deus et quanquam subii-

1) propria *A. C. W.* proprie *B.*

cit genus humanum morti corporis et ceteris aerumnis, tamen proponit consolationem, pollicetur liberationem a peccato et a[1]) morte ac restitutionem generis humani. Ait enim fore ut semen mulieris conterat caput serpentis. Hac voce dicta filius Dei movit cor Adae et novam illi lucem ac vitam indidit. Tunc enim filius Dei constitutus est custos, gubernator et servator Ecclesiae, tunc belligerari coepit cum diabolo. Et ut diabolus immani saevicia grassatur in genus humanum, perdit plurimos et odio Dei praecipue conatur delere Ecclesiam et calcaneo nostro venenatos dentes infigit, ut saepe experimur, ita rursus filius Dei efficax est in credentibus et reprimit diaboli furorem, restituit et liberat Sanctos. Non videt mundus hoc certamen, sed plurimorum horrendi lapsus et tristissimae ac tragicae calamitates et deinde gloriosae liberationes, ut Davidis et aliorum, ostendunt quale sit hoc certamen.

Nec aliud significant verba in Genesi: Semen conteret caput serpentis, quam hoc ipsum quod Ioannes inquit [1 Ioan. 3, 8]: Ad hoc exhibitus est filius Dei, ut destruat opera diaboli. Sic intellexit Adam promissionem, sic deinceps omnes Patres crediderunt propter hoc promissum semen sibi remitti peccata, se liberandos esse a peccato et a morte aeterna. Hac fide erant iusti, non legis impletione: hac fide erigebantur in omnibus periculis et terroribus. Et quidem norant hunc Dominum sibi adesse, sicut Iacob diserte inquit Genes. 48: Angelus qui liberavit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: praedicat enim eum Dominum, per quem a cunctis malis liberatus est, et ab hoc petit ut benedicat posteris. Haec non[2]) possunt aliter, nisi de filio Dei intelligi. Et Paulus ait [1 Cor. 10, 4] filium Dei comitatum esse castra populi Israël. Ioannes etiam inquit [Ioan. 1, 3. 5] omnia per hunc filium facta esse et lucem in tenebris fulsisse. Omnes triumphi adversus diabolum parti sunt per hunc filium. Noë servatus, defensus Abraham, excitatus Ioseph, liberatus populus ex Aegypto, Daniel etiam cum eo colloquitur. Sic Evangelium Apostolorum concionatur de Christo, testatur esse victimam, liberatorem et salvatorem et iubet nos confidere hoc duce et liberatore. Sicut et plurimae sententiae in Prophetis docent, ut Psalmus secundus inquit: Osculamini filium. Beati omnes qui confident[3]) in eo. Ac[4]) sine hac fide, id est fiducia misericordiae promissae propter filium, nulla est vera Dei invocatio, nulli veri cultus. Nam per hunc Pontificem habemus aditum ad patrem, ut saepe scriptum est.

Execranda est igitur caecitas illorum, qui fingunt Evangelium esse legem continentem praecepta quaedam de mutua dilectione, requiri autem fidem, id est noticiam historiae de Christo, et hunc

---

1) a *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) non *A. B. W.* nunc *C.* 3) confident *A. B.* confidunt *C. W.* 4) ac *A. C. W.* at *B.*

habendum esse pro doctore: ut Socrates aut Phocylides tradiderunt bona praecepta. Et imaginandum homines esse iustos propter illa dilectionis officia, sed tamen dubitandum esse an Deus ignoscat nobis, an exaudiat nos, an aliquid sit ei negocii nobiscum. Ita Monachi et nunc quidam Philosophastri transformant Evangelium in academicam philosophiam, id est doctrinam de operibus: et iubent dubitare de promissionibus divinis nec docent fidem, id est fiduciam quae nititur Christo liberatore, petit et expectat propter ipsum beneficia promissa, necessariam esse. Rogo igitur omnes pios lectores, si amant Christum, ut hic considerent discrimen legis et Evangelii, Moisi et Christi, et diligenter cogitent quae gloria tribuenda sit filio Dei, qui sint veri honores, quos ei tribuerunt Patres Adam, Iacob, Prophetae et Apostoli. Ab his discamus Christum adesse suae Ecclesiae ducem, gubernatorem, liberatorem, salvatorem, defensorem adversus diabolum: discamus et fide adcipienda esse beneficia Christi, et meminerimus Evangelium esse vocem promittentem et exhibentem haec beneficia, sicut inquit Paulus [Rom. 1, 16]: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, id est, Evangelium offert nobis gratiam et vitam aeternam gratis propter Christum, non propter legem. Et per hoc Evangelium Deus vere est efficax, dat Spiritum sanctum, incoat in nobis novam lucem et vitam aeternam.

Peccatum[1]).

Peccatum non significat tantum actiones viciosas, sicut Philosophi de vocabulo iudicant, sed complectitur etiam ingentem imbecillitatem, quae nobiscum nascitur, quae vocatur peccatum originis, quod etsi securi homines iudicant leve malum esse, imo Philosophi ne malum quidem esse arbitrantur, tamen longe aliter iudicandum est. Non sunt levia mala tenebrae ac dubitatio de Deo, an curet humana, an puniat, an alat, an iuvet, an exaudiat homines: Item vacare metu, amore Dei, amare nos ipsos neglecto Deo, mirari nostram sapientiam, ludere opinionibus fingendis[2]) de Deo, Epicureis aut supersticiosis, habere impetus varie errantes, aversos a Deo et pugnantes cum lege Dei. Haec esse ingentia mala ostendunt poenae. Nam propter haec mala Deus subiecit genus humanum morti, punit et coërcet ingentibus calamitatibus. Deinde cum Deus nulla victima placari voluerit nisi filii morte, necesse est ingens esse malum, quod tanto precio redimendum fuit. Mirum est tantum in animis humanis stuporem esse, ut hunc morbum non

1) Peccatum *B.* — *A. C. W.* omitt. 2) fingendis *A. B.* fugiendis *C. W.*

agnoscant. Quare Deus patefieri eum sua voce ac doctrina voluit. Huic adsentiamur nec audiamus cavillationes Sophistarum, qui rident Sardonium risum et morbum extenuant, leviter curant hostiam Christum aut etiam prorsus contemnunt. Ab illa impia philosophia decet nos animis atque auribus abhorrere.

Iustificatio[1]).

Iustificare Hebraica phrasi usitate est iustum pronunciare vel reputare, ut Hebraice diceretur: Populus Romanus Scipionem adcusatum a Tribunis iustificavit, id est, absolvit seu iustum pronunciavit. Ita in his Pauli disputationibus certo sciamus iustificationem significare remissionem peccatorum et adceptationem ad vitam aeternam, sicut satis perspicue testatur caput quartum ad Romanos, ubi definit iustificationem esse remissionem peccatorum. Est ergo: Fide iustificamur idem quod reputamur iusti a Deo propter Christum, cum credimus. Et vocabulum Iusticia non hic significat iusticiam legis seu obedientiam universalem seu nostras qualitates, cum dicitur: Fide donatur nobis iusticia, sed significat imputationem iusticiae seu adceptationem. Et iustus hoc modo relative intelligatur pro adcepto ad vitam aeternam. Sed sciendum est in remissione peccatorum simul donari Spiritum sanctum, ut supra dixi, cum fide nos erigimus.

Ita cum iustificatione coniuncta est donatio Spiritus sancti, qui non tantum unam virtutem, fidem, sed etiam ceteras inçoat: timorem, dilectionem Dei, amorem veritatis, castitatem, pacientiam, iusticiam erga proximum, ut postea de operibus dicam. Sed hae virtutes non merentur remissionem peccatorum nec sunt iusticia propter quam persona sit[2]) adcepta, quae adhuc multum habet infirmitatis. Porro cum conscientia perterrefacta quaerit quomodo iustificemur, non hoc quaerit quas habeamus virtutes, sed quomodo consequamur remissionem peccatorum et reconciliationem cum Deo. De voluntate Dei erga nos angitur, non contemplatur proprias virtutes, non opponit illas iudicio Dei. Ideo qui iustificationem interpretantur infusionem virtutum, non adtendunt hic quaeri de remissione peccatorum et de pace conscientiae erga Deum seu de reconciliatione. Quaerimus quomodo iustificemur, id est unde habeamus remissionem peccatorum, quare statuendum sit, Deum nobis propicium esse. Necesse est igitur, iustificationem intelligi remissionem peccatorum et adceptationem divinam seu imputationem iusticiae.

---

1) Iustificatio *B.* — *A. C. W.* omitt. 2) sit *A. C. W.* fit *B.*

Gratia[1]).

Gratia significat gratuitam adceptationem seu misericordiam promissam propter Christum, cum qua[2]) coniuncta est donatio Spiritus sancti, ut Rom. 5 inquit Paulus: Quanto[3]) magis gratia Dei et donum in gratia. Ubi cum nominat gratiam, intelligit gratuitam reconciliationem, deinde donum in gratia intelligit donationem Spiritus sancti et incoationem vitae aeternae[4]). Nam in remissione peccatorum, ut dixi, datur Spiritus sanctus. Estque profana philosophia Pelagii execranda, qui contendebat sine actione Spiritus sancti homines fieri filios Dei et haeredes vitae aeternae. Saepe igitur gratiae nomine significatur auxilium et actio Spiritus sancti. Verum principalis significatio est gratuita adceptatio, ut cum dicimus: Paulus per gratiam consecutus est remissionem peccatorum, id est, Paulus gratis propter Christum consecutus est remissionem peccatorum. Ac repudianda est Monachorum enarratio, qui finxerunt interpretationem ex diametro pugnantem cum Paulo: Per gratiam consequimur remissionem, id est[5]), consequimur propter nostras virtutes.

Testimonia scripturae, quod gratia significet gratuitam adceptationem[6]).

Quod enim gratia significet praecipue gratuitam adceptationem propter Christum promissam testantur multa dicta, ut Rom. 6[7]): Non estis sub lege, sed sub gratia. Sentit enim iustos etsi habent peccata tamen non adcusari, quia sint sub gratia, id est adcepti iam et[8]) placentes propter Christum. Non enim vult eos sentire, quod placeant propter suos habitus.

Rom. 4. Ideo ex fide ac secundum gratiam, ut firma sit promissio. Porro conscientia non est certa propter nostros habitus seu virtutes nostras, sed propter gratuitam misericordiam promissam. Quare huic loco nequaquam conveniet Monachorum interpretatio, qui gratiam tantum interpretantur nostras virtutes.

Rom. 5. Ubi abundavit peccatum, magis exuberavit gratia, id est, gratuita misericordia magis cónspicitur, cum magnitudo peccati nostri conspicitur et intelligimus nos gratis non propter aliqua merita consequi remissionem peccatorum.

---

1) Gratia *B.* — *A. C. W.* omitt. 2) qua *B. C. W.* quo *A.* 3) quanto *B. C. W.* quando *A.* 4) Sic *A. C. W.* ubi cum nom. grat. intelligit donationem Spir. s. et incoat. vitae aeternae *B.* 5) est *B. C. W.* — *A.* omitt. 6) Testimonia — adceptationem *B.* — *A. C. W.* omitt. 7) Rom. 6 *B.* — *A. C. W.* omitt. 8) et *A. B. W.* ex *C.*

Ad Ephesios 1[1]). Praedestinans nos per Iesum Christum, iuxta beneplacitum suae voluntatis ad laudem gloriae gratiae suae. Hic certe vult celebrari non nostras virtutes, sed gratuitam misericordiam Dei[2]).

Ad Galatas 2. Non sperno gratiam Dei: si enim ex lege est iusticia, frustra Christus mortuus est. Non hoc dicit: Magnifacio meas virtutes, sed gratuitam misericordiam magnifacio, qua mihi propter Christi mortem statuo Deum placatum esse.

2 Thessalon. 2. Dedit nobis spem bonam in gratia. Non iubet sperare propter nostras virtutes, sed propter gratuitam misericordiam promissam[3]) propter Christum.

Ad Hebraeos 4. Adcedamus cum fiducia ad thronum gratiae, id est promissae misericordiae. Satis enim liquet, hic intelligi non posse gratiam de nostris virtutibus.

Denique nota est eruditis phrasis Hebraici sermonis, qua observata facile erit iudicare de significatione vocabuli. Deinde nemo ignorat Paulum hanc ipsam ob causam inculcare vocabulum gratiae, ut statuamus nos placere Deo propter Christum, non propter nostras virtutes. Id interpretatio Monachorum prorsus invertit, cum iubent sentire, gratia nos id est propter virtutes nostras iustificari.

Inest autem in vocabulo Gratiae exclusiva, quae ut supra dixi diligenter observanda est. Nam discrimen Legis et Evangelii praecipue facit particula exclusiva, gratis propter Christum. Excluditur autem ut dixi non poenitentia seu ceterae virtutes, sed condicio dignitatis seu meriti, ut mentes perterrefactae habeant firmam consolationem. Nec dulcescunt animis promissiones, nisi illis semper includamus particulam Gratis. Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Si adiiciam, si dignus erit, deterrebitur animus. Ideo Evangelium clamitat de particula gratis: Invoca etiam si es indignus, quia propter Christum gratis salvabuntur invocantes Dominum. Sic in Psalmo 130[4]): Quia apud Dominum misericordia. Si adiiciam erga dignos, refugit conscientia. Sed Evangelium iubet intelligi gratuitam misericordiam certo promissam propter Christum, quasi dicat: Ne refugite, sed adcedite ad Deum, adcipite fide propositum munus: nam propter Christum gratis vult Deus vobis ignoscere. Idque decretum certum et immutabile est. Si quis cogitat incertum esse, contumelia filium Dei adficit, qui est pignus huius promissionis. Sed fide adcipi munus oportet.

Haec ideo repetivi, quia plurimum refert hanc exclusivam diligenter illustrari, ut discrimen Legis et Evangelii recte conspici

---

1) 1 *C. W.* 2 *A. B.* 2) Dei *A. B. C.* — *W.* omitt. 3) promissam *A. B. C.* — *W.* omitt. 4) 129 *B.* — *A. C. W.* omitt.

possit, et ut piae mentes cogitent sibi firmam consolationem propositam esse et se exuscitent ad fidem et invocationem in omnibus negociis et periculis. Nam in quotidianis aerumnis haec fides exercenda est. Nec intelligi Evangelium sine his exercitiis potest nec existit vera invocatio sine hac fide, de qua iam toties dicimus, sicut Christus inquit [Ioan. 14, 13]: Quidquid petieritis patrem in nomine meo, id est fiducia nominis mei, hoc faciam. Hoc necesse est discrimen esse inter Ethnicam invocationem et Christianam. Ethnici invocant dubitantes an Deus curet humanas preces ac[1]) adficiatur nostris aerumnis. Sic invocare est contumelia Deum adficere. Et tamen tales sunt illi clamores impiorum in templis, et Monachi iubent in invocatione dubitare. Sed his erroribus opponendae sunt sententiae Rom. 5: Per hunc habemus adcessum in fide.

Eph. 3: Per quem audemus adcedere confidenter, per fidem in ipsum.

Et Roman. 8: Qui sedet in dextra Dei et interpellat[2]) pro nobis. Ideo nemo potest ad Deum adcedere nisi hoc Mediatore et Pontifice perferente nostras preces. Sicut et Roman. 10 dicitur: Quomodo invocabunt eum, in quem non credunt? Iacobus inquit: Petat in fide non haesitans. Matth. 21: Quidquid petieritis in oratione credentes adcipietis. Ergo ut Deo praecipuum verum et gratum cultum videlicet invocationem praestare possimus, necesse est teneri et cognosci hanc doctrinam de fide et de gratuita misericordia.

Fides[3]).

Venio ad vocabulum Fidei, de quo in primis multi nobiscum litigant. Mirum est autem tantam in Ecclesia caliginem fuisse, ut genuina significatio huius vocabuli, quod omnibus in ore semper fuit, quo omnium aures personant, paene amissa sit. Ad id malum adcedit iam aliud deterius. Errorem inveteratum difficile est ex animis hominum evellere, et quidam sycophantae ut Cochlaeus et alii tueri conantur. Verum quoniam sycophantae non quaerunt veritatem sed suo morbo serviunt, non duxi iam cum eis rixandum esse. Nec vero defugio iudicium piorum et eruditorum. Nam adeo perspicue prophetica et apostolica dicta ostendunt quid significet fides, ut refragari nemo sanus possit. Significat igitur fides non tantum noticiam historiae, sed fiduciam misericordiae promissae propter Christum seu adsentiri promissioni gratiae. Est igitur adsensus in intellectu et velle hanc divinam consolationem et in ea adquiescere, cum audimus nobis Deum pro-

1) ac *A. B.* an *C. W.* 2) et interpellat *A. B.* ut interpellet *C. W.* 3) Fides *B.* — *A. C. W.* omitt.

picium esse propter filium Iesum Christum. Quare cum dicitur: Fide iustificamur, non est imaginandum nos fide iustos esse propter ipsius virtutis dignitatem. Sed correlative intelligi haec oratio debet: Fide iustificamur, id est per misericordiam propter Christum placemus Deo. Sed hanc misericordiam fide adprehendimus seu agnoscimus et nobis adcommodamus. Nam fides seu fiducia, etiamsi adsentior esse qualitates, tamen ut cetera adfectuum nomina fiunt relativa, ut Amor relative se habet ad id quod amamus, metus ad obiectum quod formidatur, ita fiducia ad suum obiectum quo nititur.

Haec Dialectica nota sunt etiam pueris, quae Mensingerus scurra indoctus et impurus Thersitica impudentia calumniatus est. Sed provoco ad sanorum et eruditorum iudicia, qui relativa secundum dici ut vocantur intelligunt et animadvertunt quis sit usus harum puerilium praeceptionum in controversiis gravioribus. Ut igitur haec oratio correlative intelligitur: Fiducia thesauri sui dives est tranquillo animo in annonae difficultate, id est propter thesaurum suum dives est tranquillo animo: ita cum audis: Fide iustificamur, mox veniat in mentem correlativa: Per misericordiam propter Christum iusti reputamur. Ideo enim dicitur Fide, id est fiducia Christi seu fiducia misericordiae propter Christum promissae, iusti sumus.

Ac memini aliquoties me interrogatum esse cur dicendum sit: Fide sumus iusti, si velimus hominem[1]) per misericordiam esse iustum. Ad id respondeo has esse correlativas orationes: Fide sumus iusti et: Per misericordiam sumus iusti. Sed necesse est fidei mentionem fieri, quia oportet aliquem motum esse, quo adcipimus munus et nobis adplicamus. Et cum fidem nominamus, mens intueatur Christum et cogitet gratuitam misericordiam propter eum promissam, ac statuas te iustum reputari non propter ullas tuas virtutes seu actiones, sed propter aliud extra nos, videlicet propter Christum mediatorem sedentem ad dextram patris, interpellantem pro nobis. Interea hic ipse motus fidei in animis nostris non est ociosa cogitatio, sed luctatur cum terroribus peccati, cum morte, dimicat cum diabolo, qui horribilibus modis oppugnat infirmas mentes, ut vel ad contemtum Dei vel ad desperationem eas impellat: sicut Cain, Saul, Iudas et innumerabiles alii, postquam statuerunt se a Deo abiectos esse, furenter oderunt Deum. Alii fiunt Athei seu Epicurei, ut Pharao, cum in magnis aerumnis aspernantur verbum Dei et consolationem divinam: nec sustentant se fide, sed fracti animis cedunt diabolo, sicut clamitant impii in rebus adversis: Sunt nobis nulla profecto Numina, cum caeco rapiantur saecula casu. Sed qui audiunt Evangelium, qui norunt Dei opera

1) hominem *A. B. W.* hominum *C.*

esse deducere ad inferos et reducere, in tali agone sustentant se fide, confugiunt ad ducem Christum. Hunc norunt esse victorem, qui conterit caput serpentis: seu ut alibi dicitur destruit opera diaboli ac semper inde usque ab initio adfuit suis. Quare adiuti a filio Dei vincunt diabolum nec deficiunt a Deo. Nam hac de re dimicatur, diabolus urget animos, ut a Deo deficiant: econtra fides dimicat ne amittat[1] Deum, ne avellatur a Deo, statuit esse Deum, qui etsi punit, tamen addidit[2] promissionem gratuitam misericordiae propter filium suum, dedit filium adiutorem, promisit aeternam salutem. Cernitur ergo Deus in verbo suo, et mens in verbum intuens fide confirmata non deficit a Deo, sed agnoscens eius misericordiam invocat eum, expectat liberationem et subiicit se voluntati Dei nec ab eo sinit se avelli. Et laus victoriae est ducis Christi qui adiuvat suos, sicut ipse inquit [Ioan. 15, 5]: Sine me nihil potestis facere. Haec qui in vita et in invocatione experiuntur, intelligere doctrinam de fide possunt et simul diiudicare norunt, quod iusti id est adcepti Deo simus propter Christum, et tamen interea in nobis adcendi oporteat[3] fidem, quae est vera agnitio Dei nec sine acerrimo certamine retineri potest.

Nunc igitur addam testimonia, quae ostendunt fidem non tantum significare noticiam historiae, sed fiduciam misericordiae dimicantem cum desperatione et contemtu Dei.

Testimonia quod fides significet fiduciam misericordiae[4].

I. Rom. 4: Paulus confert promissionem et fidem tanquam correlativa, docens oportere promissionem adcipi fide. Ergo fides significat fiduciam, quae nititur promissione divina. Hoc testimonium adeo perspicuum est, ut nullis calumniis labefactari possit. Ideo ex fide et secundum gratiam, ut firma sit promissio, id est flagito fidem, qua adcipiatur promissio reconciliationis.

II. Ephes. 3: Per quem audemus adcedere confidenter per fidem eius. Quod requiris lector testimonium illustrius? iam enim non cum sycophantis litigo, sed pios et candidos lectores adloquor, hos adhortor et propter Christi gloriam obtestor ut haec testimonia diligenter expendant. Paulus hic fidei naturam declarat tribus insignibus vocabulis: ait nos fide habere *παῤῥησίαν*, *προσαγωγὴν καὶ πεποίθησιν*. Haec non competunt noticiae historiae, quae potius deterret, si cogitandum est tunc nos adcessuros ad Christum, cum erimus digni. Necesse est igitur fidem intelligi fiduciam misericordiae. Nec Cochlaei cavillatione labefactari poterit haec interpre-

1) amittat *A. B. W.* admittat *C.* 2) addidit *A. B. C.* addit *W.* 3) oporteat *A. B.* oportet *C. W.* 4) Testimonia — misericordiae *B.* — *A. C. W.* omitt.

tio, qui inquit: Si idem essent fides et fiducia, non adiungeret tanquam effectum fiduciam per fidem. O acumen Carneadeum! Motus in corde describitur unus pluribus verbis. Et cum fides sit hic motus quo ad Deum adcedimus, certe non potest esse tantum noticia historiae, quae magis deterret mentes, ut dixi. Sic etiam Rom. 5 loquitur: Per quem habemus adcessum fide.

III. Rom. 5: Iustificati fide pacem habemus. Noticia historiae nequaquam adfert pacem conscientiae, sed potius auget pavores, cum retinetur legis opinio. Quod est enim signum terribilius irae Dei adversus peccatum, quam quod Deus non alia victima placari voluit nisi morte filii? Haec cogitatio auget pavores, cum existimamus Christi beneficium non pertinere nisi ad eos qui satis meritorum adferunt. Ergo cum fides erigat mentes perterrefactas et consoletur, necesse est intelligi fiduciam misericordiae. Et cum Paulus satis ostendat se loqui de fide luctante cum pavoribus, non possunt eius dicta de sola historiae noticia intelligi.

IV. Colos. 2: In quo et resuscitati estis per fidem efficaciae Dei. Ait nos sanctificatos esse fide, id est fiducia, quod Deus sit efficax in nobis.

V. 1 Ioannis 5: Qui non credit Deo mendacem eum facit, quia non credit testimonio, quod Deus vitam aeternam dederit etc. Refert fidem ad promissionem et postulat ut promissioni credatur, cui si quis non adsentitur, is Deum adcusat mendacii, quasi non prae stet promissa. Porro adsentiri promissioni est fiducia misericordiae.

VI. Roman. 4: Qui praeter spem in spem credidit. Quaeso te Christiane lector, an non hoc loco necesse est interpretari verbum credidit de fiducia? Nihil opus est procul quaerere significationem. Laudatur Abraham quod crediderit Deum facturum esse promissa, etiamsi natura repugnabat. Sic oportet pios de fide institui, ut cum destituimur humanis praesidiis, tamen a Deo expectemus auxilium, non amittamus Deum. Et aliquanto post in eodem capite opponit fidem dubitationi. Abraham non dubitavit diffidentia. Loquitur ergo[1]) de fide luctante cum dubitatione in adcipienda promissione.

VII. Marci 9: Credo Domine, opem fer diffidentiae meae. Hic non agitur de noticia historiae, sed de fiducia qua expectabat pater liberationem filii. Sic in exemplis evangelicis plerunque fides significat fiduciam petentem et expectantem beneficia: ut in mulieris Cananaeae historia Matth. 15, quae bis repulsa a Christo et quidem cum convicio tamen preces non omittit ac mirabili sapientia refutat dictum Christi, fatetur se indignam esse beneficio, sed tamen propter Domini bonitatem expectat munus. Huius mulieris[2]) ethnicae fidem Christus gravi testimonio ornat inquiens: O mulier,

1) ergo *A.* — *B. C. W.* 2) mulieris *A. B. W.* mulieres *C.*

magna est fides tua, fiat tibi ut petis. Quid hic et in similibus historiis dubitemus fide significari fiduciam petentem et expectantem beneficia: quae cum lucere debeat in omni[1]) invocatione, necesse est pios de ea recte doceri. At Monachi iubent historiam meminisse, deinde aiunt dubitandum esse utrum Deus sit nobis propicius, an respiciat nostras preces. Haec doctrina prorsus cum exemplo isto laudatissimo mulieris et similibus pugnat et veros cultus Dei, veram invocationem abolet.

VIII. Descriptio fidei ad Hebraeos 11 ostendit et ibi fide significari fiduciam, quia inquit: Fides est ὑπόστασις, id est expectatio rerum sperandarum. Haec est[2]) vere grammatica vocis enarratio, ut omnes eruditi norunt. Porro expectatio illa est fiducia promissionis.

IX. Actor. 15: Fide purificans corda eorum. Constat autem noticia historiae non purificari corda. Et ibi mox interpretatur dictum: ait nec patres nec ullos habuisse corda pura propter legis iusticiam: sed ait sic purificari corda, si credant se per gratiam Domini Iesu Christi purificari. Testatur ergo fide significari fiduciam, quae nititur misericordia promissa propter Christum.

X. Rom. 10: Omnis qui credit in eum non confundetur. Hic Paulus ipse discernit beneficium Evangelii a lege ac loquitur non de sola historiae noticia sed de fiducia, qua statuimus certo Deum nobis propicium esse propter Christum, non propter legem. Eadem sententia saepe repetitur in Prophetis. Psalm. 2: Osculamini filium. Beati omnes qui confidunt in eo. Hic intelligi fiduciam necesse est. Iubet enim agnosci filium Dei, iubet nos confidere hoc[3]) Domino. Cum autem non possit adsui condicio legis, nam fides non potest partim niti Christo partim lege, necesse est fidem intelligi fiduciam, quae statuit nos per filium Dei liberari a peccato et a tyrannide diaboli.

XI. 2 Paralip. 20: Credite Domino Deo vestro, et securi eritis. Stabat exercitus in procinctu et iubebatur petere et certo expectare auxilium a Deo. Quare ibi non agitur de noticia historiae, sed praecipitur fiducia quae petat auxilium a Deo. Haec testimonia satis liquide ostendunt vocabulo fidei significari fiduciam. Et plura exempla studiosi deprehendent in lectione Prophetarum.

Non ignoro autem posse reperiri praestigias ad eludenda haec testimonia. Et mira nunc est ingeniorum petulantia, alii reprehendent haec ambitione, alii malevolentia, alii odio verae pietatis. Sed oro et obtestor pios lectores ut hanc interpretationem diligenter expendant et considerent ea deleta sequi ingentia incommoda, eripi conscientiis firmam consolationem, aboleri veram invocatio-

1) omni *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) est *A. C. W.* etsi *B.* 3) hoc *A. B. C.* huic *W.*

nem, obscurari beneficium Christi. Tollenda est ex omni vita sophistica sed maxime arcenda ab Ecclesiis, nec ferendi sunt ingeniorum ludi, quae fingunt pictorum more quidquid libet. Simplex veritas necessaria Ecclesiae retineatur, et hanc curemus incorruptam transmitti ad posteritatem. Hoc officium Deus ab omnibus ac praecipue a gubernatoribus doctrinae aut Reipublicae postulat et Ecclesiae debitum est: Nec ullus cultus Deo gratior est.

Sic igitur et sententiae citatae a Paulo intelligantur: Credidit Abraham Deo et imputatum est ei ad iusticiam, id est, Abraham agnovit se non esse iustum propter legem aut virtutes suas, agnovit infirmitatem naturae, quae parit multa vicia, dubitationes de Deo et varie errantes cupiditates, meminit etiam errata sua inter Chaldaeos admissa, ubi impiis cultibus contaminatus est. Sed quia postea audivit promissionem de semine et Deus ei dixerat: Ego ero protector tuus, statuit sibi per misericordiam donari remissionem peccatorum et se habere Deum propicium, defensorem et salvatorem. Ita iustus pronunciatur fide, id est fiducia misericordiae divinae, etiamsi videt naturam infirmam et viciosam esse. Saepe autem fides non solum dimicat de remissione peccatorum seu de adceptatione, sed etiam versatur circa externa obiecta: ut fides Davidis circa monomachiam cum Goliath. Haec exempla etiam huc pertinent: semper enim hanc fidem expectantem auxilium corporale praecedit fides adcipiens remissionem peccatorum. Non statuit mens adiuvari nos a Deo, nisi prius statuat propicium esse. Haec regula ostendit Paulum recte citare testimonia de fide et nos in invocatione erudit.

Dicta veterum scriptorum[1]).

Addam et scriptorum veterum dicta. Augustinus inquit: Ex lege timemus Deum, fide confugimus ad misericordiam. Recte Augustinus, nec potest hoc de sola noticia historiae intelligi.

Chrysostomus in commentario Epistolae ad Rom. cap. 4. Fide, inquit, non solum diligimus Deum, sed etiam nos ab ipso diligi credimus quanquam multipliciter reos et nobis peccata remitti, et hic cultus praestantior est ceteris ac magis glorificat Deum, quam ceteri cultus operum, ut non furari, non occidere. Etsi saepe Chrysostomus extra viam currit, tamen hoc dictum iure celebratur. Nam fidei naturam perspicue et ut ita dicam vivis coloribus illustravit, cum ait credendum esse quod diligamur a Deo quanquam ὑπεύθυνοι, et adcipiamus remissionem peccatorum, *καυχᾶται γὰρ πάλιν ὁ πιστὸς οὐχ ὅτι τὸν θεὸν ἐφίλησε μόνον γνησίως, ἀλλ' ὅτι καὶ πολλῆς παρ' αὐτοῦ τιμῆς ἀπήλαυσε καὶ ἀγάπης, ὥσπερ γὰρ αὐτὸς αὐτοῦ ἠγάπησε, μεγάλα περὶ αὐτοῦ φαντασθείς, τοῦτο γὰρ ἀγάπης*

1) Dicta veterum scriptorum *B.* — *A. C. W.* omitt.

δεῖγμα, οὕτω καὶ θεὸς αὐτὸν ἐφίλησε μυρίοις ὑπεύθυνον ὄντα, οὐχὶ κολάσεως ἀπαλλάξας μόνον, ἀλλὰ καὶ δίκαιον ἐργασάμενος.

Digna et Bernhardi vox est quae celebretur, cuius haec sunt verba in concione de Adnunciatione: Necesse est primo omnium credere quod remissionem peccatorum habere non possis nisi per indulgentiam Dei. Sed adde adhuc ut credas et hoc quod per ipsum peccata Tibi donantur. Hoc est testimonium quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus gratis iustificari hominem per fidem. Extant et similes sententiae aliquot apud hunc quanquam recentem scriptorem, sed tamen non rudem spiritualium exercitiorum: in quibus didicit adquiescere conscientiam non posse nisi fide statuat gratis remitti peccata propter Christum. Intelligit igitur fidem ut nos de fiducia. Dixi autem supra nos complecti noticiam historiae seu omnes articulos fidei, et cum fides intuetur hunc articulum: Credo remissionem peccatorum, necesse est fiduciam concipi, quod hoc beneficium vere adcipiamus. Nam ceteri, qui tantum intelligunt fidem historiae noticiam, non credunt hunc articulum: Remissionem peccatorum, sicut et palam iubent dubitari[1]) de remissione peccatorum.

Satis multa opinor de vocabulo dixi, quae piis candidis et amantibus veritatem satisfactura esse spero. Nunc reprehendenda est sophistica Origenis, Monachorum et multorum aliorum, qui κατὰ συνεκδοχὴν dici arbitrantur: Fide iustificamur, id est propter noticiam historiae de Christo seu professionem et ceteras virtutes seu universalem obedientiam sumus iusti. Sic intelligunt fidem et laudari professionem a Paulo arbitrantur, quia etsi communis est professio cum flagiciosis, tamen sine ea ceterae virtutes ut in Turcis non placerent Deo. Ita haec synecdoche transformat Evangelium in legem, transfert gloriam Christi ad nostras virtutes, delet consolationem conscientiarum, abolet doctrinam veram de fide, id est fiducia misericordiae. Imo Monachi etiam iubent dubitare de remissione peccatorum. Vident enim in humanis mentibus naturaliter haerere dubitationes de Dei voluntate. Ideo confirmant eas nec putant esse vicia tenebras nobiscum natas, prorsus ut academici Philosophi seu Pyrrhonii. Copiosius igitur infra in Commentario refutabo hanc synecdochen pugnantem cum tota disputatione Pauli. Nos retinemus τὸ ῥητὸν apud Paulum: Fide iustificamur gratis, id est consequimur remissionem peccatorum et imputationem iusticiae coram Deo, non propter ulla nostra merita sed fide, id est fiducia misericordiae promissae propter Christum. Non igitur adfingimus Paulo synecdochen, non[2]) mutamus eius concionem, sed ab ipso discimus, retinemus sententiam, quam et sermonis pro-

1) dubitari *A. B.* dubitare *C. W.* 2) non *A. B.* nec *C. W.*

prietas et series disputationis efficiunt. Spero enarratis vocabulis intelligi propositionem: Fide gratis iustificamur. Valde autem prodest piis, huius propositionis certa testimonia ac confirmationes in promtu et in conspectu habere, tum ad erudiendas mentes tum ad excitandam fidem atque invocationem. Ideo alibi multas sententias ex Paulo congessi de hac propositione. Hic satis sit monstrasse praecipua loca. In fine capitis tertii ad Romanos diserte et multis tradit hanc propositionem Paulus: deinde adcommodat ad propositionem, ut series disputationis postulabat, gravissimas et eruditissimas confirmationes, quae quidem infigendae sunt animis, ut fidem adcendant et nobis praeluceant in omnibus periculis.

De bonis operibus[1]).

Dixi de iustificatione et de fide. Nunc breviter adiiciam doctrinam de bonis operibus seu de nova obedientia, quae fidem sequi debet. Quaeruntur autem haec quatuor. Quae opera facienda sint? Quomodo fieri possint? Quomodo placeant? et an propter novam obedientiam renati sint iusti? id est adcepti Deo ad vitam aeternam, seu, an sint sine peccato et digni vita aeterna propter propriam mundiciem. Quarto quaeritur de discrimine peccatorum: Quae excutiant gratiam, fidem et Spiritum sanctum? Quae dicantur venialia?

De prima quaestione: Quae opera facienda sint. Rectum est deducere mentes ad verbum Dei, ut sciant totam vitam in certamine conscientiae et in actionibus regendam esse verbo Dei, sicut inquit Propheta: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Respondeo igitur facienda esse opera nobis a Deo praecepta. Et certum verbum proponatur, videlicet Decalogus ut in novo testamento repetitus et enarratus est, et si qua alia praecepta sunt de moribus in concionibus Christi et Apostolorum. Hoc eo dicendum est, ne putent homines licere fingi cultus et opera nostro arbitrio sine mandato Dei, sicut Enthusiastae omnibus temporibus, hoc est olim Monachi et nunc Anabaptistae, omisso et abiecto verbo Dei opera elegerunt suo iudicio, postea adfinxerunt se sic[2]) incitari a spiritu nec esse lege spiritum impediendum. Hinc secuta est horribilis Anabaptistarum ἀνομία. Porro infra dicetur quid sit esse liberatum a lege, nunc illud breviter dico, renatos fide ut dictum est adcipere Spiritum sanctum, ut in eis incoëtur nova obedientia, lux et vita aeterna, quae est quaedam in nobis incoatio legis divinae. Ideo dicitur in Propheta: Dabo legem meam in corda eorum. Haec incoatio necessario sequi fidem debet, sicut testantur multae sententiae: Si vis in vitam ingredi, serva mandata. Item: Nisi abundaverit iusticia vestra etc. Item: Fornicatores, adulteri non possidebunt regnum Dei. Et Spiritus sanctus movet corda per verbum Dei.

1) De bonis operibus *B.* — *A. C. W.* omitt. 2) sic *A. B. C.* — *W.* omitt.

Ideo regenda est obedientia certo verbo Dei, cui debemus obtemperare, sicut Paulus inquit: Debitores sumus, ne secundum carnem vivamus. Nec potest existere fides sine poenitentia: quia fide adcipienda est remissio peccatorum. Non autem petit remissionem is, qui delectatur scelere contra conscientiam. Neque vero tantum externa disciplina flagitatur, sed incoatio interioris obedientiae, scilicet pii motus cordis consentientes cum lege Dei.

Videlicet[1]) adversarii nostri cum de bonis operibus vociferantur, clamitant de puerili disciplina, de modestia in vestitu, in cibo[2]) et potu, interdum de eleemosynis aliquid dicunt. Interea de operibus primae tabulae silentium est, de quibus cum ignorent doctrinam de fide nihil dicere possunt. Sed Deus flagitat utriusque tabulae officia. Vult nos expavescere agnoscentes iram adversus multiplicem infirmitatem et infinita errata nostra. Vult nos reconciliatos per filium credere quod receperit nos in gratiam, quod velit nos servare, nobis opitulari. Hac fide vult invocari, vult a se peti et expectari auxilium iuxta Psalmum 50[3]): Invoca me etc., vult nos fide ab ipso pendere, non quaerere praesidia contra eius voluntatem. Hi sunt arcani cultus et proprii Christianorum, quos intelligere nos oportet et quorum exempla conspiciuntur in illis excellentibus viris, quos Deus nobis tanquam magistros proposuit in Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Samuele, Davide, Ieremia, Daniele et similibus. Vult item nos ardere studio cognoscendi, propagandi et ornandi Evangelii. Ad hunc cultum docet omnes praecipue conditos, renatos et vocatos esse, sicut ait Petrus [1 Petr. 2, 9]: Vocati ex tenebris, ut enarretis ac celebretis beneficia Dei. Et in Psalmo 35[4]): Confitebor tibi in Ecclesia magna. Et Psalm. 116[5]): Vota mea Domino reddam coram omni populo, in atriis domus Dei nostri. Vult nos in professione Evangelii praestare constantiam, in adflictionibus obedientiam et ab ipso petere ac expectare auxilium. Vult nos cavere, ne nostris erratis aut malis exemplis scandala excitemus, vult nos refutare ac odisse impia dogmata, non colludere cum organis diaboli, quae conantur delere Evangelium. Sed non institui hic enarrationem decalogi, in quem tamen pios semper intueri oportet et considerare quam multa magna et ardua officia complectatur.

De secunda quaestione: At in hac nostra infirmitate quomodo effici possunt opera tanta, interiora et exteriora? Etsi exterior disciplina utcunque praestari potest humana diligentia, tamen motus spirituales effici non possunt sine Spiritu sancto: ideo cum fide eriguntur corda, datur Spiritus sanctus, ut in animis adcendat novam lucem et exuscitet motus pios

---

1) videlicet *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) cibo *B. C. W.* cibu *A.* 3) 49 *A. B. C. W.* 4) 34 *A. B. C. W.* 5) 115 *A. B. C. W.*

convenientes legi Dei, iuxta illud Pauli [Gal. 3, 14]: Ut promissionem spiritus adcipiamus per fidem. Et Zachariae 12: Effundam super habitatores Ierusalem spiritum gratiae et precum. Venustissime significavit Propheta praecipua officia Spiritus sancti in cordibus piorum et praecipuos cultus. Nominat spiritum gratiae, quia cum fide erigimur a Spiritu sancto adiuvamur ut statuamus nobis Deum esse propicium et nos vicissim ipsi adceptos esse. Primum ergo significat fidem excitari a Spiritu sancto, in quo motu dat nobis testimonium, ut ait Paulus. Cum fide iam agnoscimus misericordiam et praesentiam Dei, invocamus eum et nos ei subiicimus ac ceteros veros cultus praestare incipimus, quos omnes nomine precum complectitur: hic enim est[1]) summus honos. Satis igitur intelligi potest fidem, de qua nos loquimur, etiam incoationem esse reliquae interioris obedientiae et ut vocatur boni propositi. Nec incoari posset primum praeceptum, quod concionatur de ira Dei adversus peccatum non de gratuita condonatione, nisi prius audito Evangelio statueremus nos fide propter Christum gratis consequi remissionem peccatorum.

Intuetur autem fides filium Dei regnantem et scit illum non ociosum esse sed adsidue belligerari cum diabolo, qui non desinit[2]) summa saevicia et astutia grassari in membra Christi, pellicit insidiis in peccata, in tristes casus, ut inde pertrahat in desperationem, offundit errores, confirmat Epicureas opiniones, quae blandiuntur levibus[3]) ingeniis, incitat tyrannos, ut gigantea audacia conentur delere nomen Christi et exerceant iniustissimam crudelitatem. Cum autem satis constet longe imbecilliorem esse humanam naturam, quam ut tam vigilantem ac rabidum hostem sine coelesti auxilio vincere possit: ideo fides meminit regni Christi, scit eum post primam promissionem semper adfuisse piis, cum dictum est: Semen mulieris conteret caput serpentis, quam sententiam Ioannes reddit his verbis [1 Ioan. 3, 8]: Christus adparuit, ut destruat opera diaboli. Adfuit Iacob et benedixit ei et confirmavit eum Spiritu sancto: adfuit Danieli et quidem cum eo colloquitur. Sic regnat igitur, ut suis membris adsit, confirmet ea suo spiritu et tegat contra insidias et impetus diaboli. Quales autem et quam gloriosae sint tales victoriae significant exempla Davidis, Ezechiae, Danielis et similia: et ostendet hos triumphos Christus in resuscitatione mortuorum, etsi mundus nunc res tantas negligit et deridet. Sed pii haec proelia non omnino ignorant ac singuli in suis periculis fidem exercere debent et agnoscere ac invocare ducem Christum et fiducia ipsius proeliari cum diabolo nec oblivisci verba Ioannis: Christus in hoc adparuit, ut destruat opera diaboli. Hinc intelligi

1) enim est *A. C. W.* est enim *B.* 2) desinit *B. C. W.* desinat *A.* 3) levibus *B. C. W.* lenibus *A.*

potest fidem non esse ociosam speculationem, sed lucem gubernantem omnes actiones et omnia pericula.

Possumus igitur incoare obedientiam adiuti a filio Dei regnante, qui adest nobis tanquam dux et Spiritum sanctum impertit: Non enim cogitandum est Christum regnare ociosum sicut fingunt Poëtae Iovem ociosum in coelo convivia agitare. Tales sunt tenebrae in mentibus hominum de Deo. Sed hi errores luce Evangelii et fide emendandi sunt. De his fidei exercitiis et de vera invocatione quid possunt dicere adversarii nostri, qui pro Evangelio de fide docent nos Pyrrhoniorum philosophiam de dubitatione?

De tertia quaestione [quomodo placeant bona opera]. Haec minus explicata est in veteribus quam priores, cum sit maxime necessaria. Manet in renatis ingens imbecillitas, minus timent Deum quam oportuit, non ardent fide et dilectione, interdum quaerunt humana praesidia aliter, quam concessum est, errant, sunt negligentes in officio, fiunt insolentes in secundis rebus, habent immoderatos adfectus, amores, odia, adpetunt inconcessas voluptates, in adflictionibus fremunt adversus Deum, dubitant de misericordia Dei, anguntur diffidentia, inflammantur iniusta cupiditate vindictae, non ardenter student gratitudinem suam Deo declarare, non agunt gratias flagranti pectore pro tot beneficiis, non satis magni aestimant Evangelium, frigide adiuvant Evangelii propagationem, non adficiuntur publicis calamitatibus Ecclesiae et Reipublicae, non faciunt vota pro Ecclesia, pro Principibus, incenduntur iniustis studiis quaerendarum opum, honorum, potentiae, invident aliis quos vident antecellere virtute aut aliis bonis, et aemulatione, interdum scandala excitant: sicut aemulatio contumaciam peperit in sorore Moisi et Aarone.

Haec non sunt levia mala existimanda, sed sunt vicia pugnantia cum lege Dei et digna morte aeterna et oriuntur a magnis pestibus ex[1]) peccato originis, videlicet ex ignoratione Dei et aversione humanae voluntatis a Deo, de quibus viciis, cum inquit Paulus: Sensus carnis est inimicicia adversus Deum, non levem deformitatem describit sed ingens et atrox malum. Constat igitur neminem legi Dei satisfacere praeter Christum, et in sanctis manere vicia pugnantia cum lege Dei, quae sunt peccata digna aeterna morte, nisi condonentur.

Hoc cum ita sit, non tantum in scholis sed in omnium piorum mentibus haec quaestio perpetuo agitatur et non vulgaria pericula et certamina movet: An Deo placeat et quomodo placeat imperfecta et contaminata obedientia. Ideo necesse est pios de hac quaestione recte doceri in utramque partem. Hypocritae ut est naturae infirmitas sibi placent, admirantur suas virtu-

1) ex *A. B. W.* et *C.*

tes, extenuant naturae infirmitatem ac putant se sine peccato esse et legi Dei satisfacere, se dignos esse vita aeterna ac mereri vitam aeternam. Tales sunt non modo hypocritarum cogitationes, sed omnium hominum iudicantium secundum rationem. Sic Plato, sic Cicero disputant de immortalitate animae, puriores animas, quae minus habent contagii a corporibus, hoc est quae modestius vixerunt, subvolare in aethera; sed pigriores, quae plus contagii a corporibus habent, hoc est quae voluptatibus corporis se inquinaverunt, humi circa sepulcra vagari. Quid aliud reipsa dicunt Monachi, cum iactitant merita sua? Etsi autem ratio humana non aliter iudicat suo lumine, tamen verbum Dei testatur neminem legi satisfacere, adcusat homines confidentes propria iustitia et proponit mediatorem filium Dei; necesse est igitur adrogantiam et securitatem hypocritarum reprehendi. Rursus pavidis conscientiis opus est vera consolatione, ut discant Deo non placere diffidentiam, sed fidem: discant item [1]) quomodo vita mores seu opera placeant: nam haec quoque placere oportet. Petrus in cymba perterrefactus inquit [Luc. 5, 8]: Exi a me Domine, quia peccator sum. Etsi in ea consternatione animi quid diceret non adtendit, tamen ut fit in subitis motibus sine simulatione expressit quod animus sentiebat, fugiebat Deum, intuens suam indignitatem: sic omnes homines conspecta indignitate sua fugiunt Deum et putant se recte facere, quod indigni nolint ad Deum adcedere. Hunc errorem infixum humanis animis reprehendit vox Evangelii, quae iubet adcedere quanquam indignos sed fretos mediatore filio Dei.

Etsi igitur necessaria est nova obedientia ut dictum est ac iusticia bonae conscientiae, tamen renati non satisfaciunt legi et manet in eis morbus originis: qui ut saepe iam dictum est nequaquam existimetur leve malum, et hic morbus gignit innumerabiles pravos adfectus. Haec cum sint vicia digna morte aeterna, renati etiam post conversionem non sunt iusti, id est adcepti Deo ad vitam aeternam propter proprias virtutes, sed per misericordiam gratis fiducia mediatoris Christi. Item non merentur vitam aeternam suis operibus seu virtutibus. Sed statuere debent se fieri haeredes vitae aeternae propter Christum gratis fide: etsi fidem ut dictum est semper sequi debet nova obedientia. Quod autem sancti non satisfaciant legi et quod maneant in eis peccata, testantur sequentes sententiae.

Testimonia quod peccata maneant in sanctis [2]).

I. Psalm. 143 [3]): Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

---

1) item *A. B. W.* idem *C.* 2) Testimonia – sanctis *B.* — *A. C. W.* omitt. 3) 142 *A. B. C. W.*

II. 1 Ioan. 1: Si dixerimus quod peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est.

III. Rom. 7: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati. Ac saepe ibi repetit Paulus vocem peccati, significans illum morbum esse vicium vere pugnans cum lege Dei et dignum morte aeterna, nisi fide peteret condonationem. Ac loquitur non de levi tantum corporis titillatione, sed de acerrimis motibus animi dubitantis de voluntate Dei, abhorrentis [1]) a cruce, non erecti fiducia et laeticia in Deo: ut erigimur laeticia et adquiescimus, cum videmus corporalia praesidia. Et ex hac diffidentia oriuntur multa prava consilia etc. Ideo usus est duobus verbis admodum illustribus, *ἀντιστρατευόμενον*, dicit morbum hostili more grassari, sauciare mentem diffidentia, terroribus, superbia, fiducia propriae sapientiae ac iusticiae, securitate et incendere flammas varietate cupiditatum. Ac non videatur hostis contemnendus. *αἰχμαλωτίζοντα*, opprimit infirmos animos et capit, etsi capti liberantur per Christum, ut Moises captus erat cum ad rupem haesitaret ac diffideret, David captus erat, cum iuberet numerari populum, aliquo humano errore: vel quia gloria movebatur, quod suis rebus gestis regnum auxisset vel ob alias causas. Sed omitto exempla: non enim desunt piis multa domestica exempla, ipsi experimur quam sit adsiduus hostis et quam saepe opprimat animos praeter opinionem nostram. Nam et diabolus simul oppugnat pios.

IV. 1 Corinth. 4: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum, quasi dicat: Etsi iusticia bonae conscientiae est necessaria, tamen propter eam non sum iustus, id est adceptus coram Deo ad vitam aeternam, sed fide in Christum.

V. Christus iubet sanctos petere remissionem peccatorum: Et dimitte nobis debita nostra. Item inquit: Dicite, servi inutiles sumus etc.

VI. Psalm. 130 [2]): Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Agnoscit se habere peccata, et tamen statuit se placere Deo per misericordiam et expectat salutem, ideo addit: Sustinuit anima mea in verbo eius, id est promissione divina me sustento, adcedo ad eum, expecto salutem et in eo adquiesco, confidens ipsius bonitate quod me servaturus sit.

VII. Psalm. 19 [2]): Delicta quis intelligit? ab occultis munda me. Constat autem ibi Prophetam ut alibi et de seipso et de ceteris sanctis loqui: Illi ipsi quos vocat servos Dei, sanctificati per Spiritum sanctum, ornati excellentibus donis, versantes in fidei exercitiis, in gubernatione maximarum rerum, ut Abraham, Ioseph, Moises, Samuel, David, Esaias una voce sic clamitant: Delicta quis intelli-

1) abhorrentis *A.B.* abhorrens *C.W.* 2) 129. 18. *A.B.C.W.*

git? ab occultis munda me. Quare detestanda est adrogantia hypocritarum, qui iactitant se suis operibus mereri vitam aeternam et quidem ut ipsi loquuntur de condigno.

VIII. Psalm. 32[1]: Dixi confitebor adversum me iniusticiam[2] meam Domino, et tu remittis peccatum meum: De hoc orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Palam testatur sanctos oportere petere condonationem praesentium viciorum et erratorum.

IX. Iob. 9: Verebar omnia opera mea.

X. Exod. 34: Et innocens non est coram te innocens, id est etsi humano iudicio non potest adcusari tamen a te adcusari potest.

XI. Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei, id est, agnosco nos habere peccata et iuste abs te puniri. Deinde addit: Nobis confusio, tibi autem misericordia et propiciatio, id est agnosco nos esse peccatores, sed tu propter promissam misericordiam rursus exaudi et libera nos. Eandem sententiam aliquanto post repetit ac nobis exemplum fidei et invocationis proponit: Non propter iusticiam nostram petimus, sed propter misericordiam tuam magnam. Hae conciones magno consensu repetuntur in sacris libris, semper adcusatur nostra infirmitas et iubemur fide confugere ad misericordiam propter promissum mediatorem filium Dei.

Sic et Paulus non aliquam partem hominum adcusat, sed simpliciter adfirmat omnes homines praeter Christum esse reos coram Deo. Ideo inquit: Ut omne os obstruatur et totus mundus sit reus coram Deo. Item: Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Item: Qui gloriatur in Domino glorietur. Has sententias pii sibi[3] proponant, ut agnoscant infirmitatem nostram vere peccatum esse, et expavescant metu irae Dei adversus peccatum: ita crescat in nobis poenitentia.

In prima concione de postremo iudicio dicitur in[4] Genesi: Peccatum quiescet donec revelabitur. Hic descripta est securitas totius generis humani, negligens iudicium Dei. Quiescet[5] inquit peccatum, id est quia Deus differet[6] poenas, omnes homines erunt ociosis animis, contemnent minas; sed tamen tandem peccatum proferetur, ibi non quiescet, sed incutiet aeternos terrores mentibus, adferet horribilia supplicia. Est igitur infixa animis omnium securitas. Haec est causa, cur omnes homines extenuant suam infirmitatem nec magnitudine mali moventur, etsi gravissimi lapsus sanctorum et ingentes calamitates hominum admonere nos debebant, ut statueremus Deum vere irasci huic vicio et moveremur voce Spiritus sancti arguente hoc peccatum.

Ut igitur placeat incoata obedientia, haec tria concurrant. Primum statuendum est personam gratis fide Christi placere. De-

1) 31 *A. B. C. W.* 2) iniusticiam *A. B. W.* iusticiam *C.* 3) pii sibi *B. C. W.* sibi pii *A.* 4) in *A. C. W.* — *B.* om. 5) quiescet *A. B.* quiescit *C. W.* 6) differet *A.* differt *B. C. W.*

inde agnoscamus infirmitatem nostram vere esse peccatum et vere doleamus nos habere haec vicia: sed rursus erigamus nos et credamus nobis ea condonari propter Christum, postquam fide facti sumus filii, et placere incoatam obedientiam non propter propriam mundiciem aut dignitatem, sed propter mediatorem Christum: qui cum sit pontifex noster, iam nostras preces et cultus ad patrem perfert; sic docet Petrus: Offerte hostias spirituales, adceptas Deo per Iesum Christum. Ornat honorifica adpellatione bona opera, cum vocat hostias: haec enim vox convenit propriis cultibus Dei: et quidem vocat spirituales hostias, hoc est motus excitatos in corde a Spiritu sancto. Et tamen hos cultus non ait aliter adceptos esse, nisi per Iesum redemtorem ac pontificem pro nobis adsidue interpellantem.

Hoc modo docendi sunt pii et excitandi ad bene operandum. Deus condidit genus humanum ad societatem praecipue propter hanc causam, ut inter homines innotescat, ut doctrinam de Deo et de filio Dei alii aliis tradere possint, ut recte et eleganter Stigelius:

Utque[1]) alios alii de religione docerent,
Contiguas[2]) pietas iussit habere domos.

Itaque et officia varia hominibus adtribuit, gubernationem Ecclesiae, scholarum, coniugium, educationem liberorum, gubernationem politicam, bella, contractus. Praeterea subiecit Ecclesiam ingentibus adflictionibus. Ad quid haec tanta varietas operum instituta est? ad hoc ipsum, ut luceat et crescat fides in his difficultatibus et periculis. Credat nos non ad perniciem a Deo conditos esse, sed velle eum nos recipere et salvare propter Christum. Invocet et statuat adesse Christum ducem, qui reprimat[3]) diabolum, adiuvet nos in privata et publica vita. Gubernator Ecclesiae clamitet: Domine labia mea aperies et os meum adnunciabit laudem tuam. Doctor iuventutis cogitet quam atrociter minatus sit Christus his, qui scandala excitant perniciosa pueris, oret ut Christus regat studia et mores. Intelligant sua pericula patresfamilias. Boni Principes cogitent se debere Ecclesias recte constituere, regere mores populi, punire Epicureos, latrones, impudicos, fures, mendaces, ius dicere ut suum quisque teneat. Studet autem diabolus praecipue turbare Ecclesias et imperia, armat tyrannos contra Ecclesiam, ideo ardeat fides in Principibus, quae credat Christum ipsis opitulaturum esse ac destructurum opera diaboli. Denique ut invocatio ita fides praelucere omnibus actionibus debet.

Quanquam autem virtutes aut opera piorum non merentur remissionem peccatorum nec vitam aeternam seu non sunt precium vitae aeternae, nemo enim satisfacit legi et Christi meritum non

1) utque *B. C. W.* ut *A.* 2) contiguas *A. C. W.* continguas *B.* 3) reprimat *A. C. W.* reprimet *B.*

in opera nostra transferri debet, et promissio fieret incerta, si penderet ex condicione nostrae dignitatis: tamen nova obedientia sequi fidem necessario debet, et quidem incoatur, cum fide adcipimus Spiritum sanctum. Et excutiuntur fides et Spiritus sanctus amissa nova obedientia, cum contra conscientiam violantur mandata Dei. Nam fides et propositum contra conscientiam agendi non possunt simul esse. Huc pertinent dicta plurima de operibus [Rom. 10, 10]: Corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem. Universa obedientia debet esse confessio, id est referri ad celebrandam gloriam Christi et ad propagandum Evangelium. Etsi igitur propter Christum iusti sumus et haeredes vitae aeternae, tamen adesse haec obedientia debet et placet ut dictum est nec posset sine ea obedientia retineri fides. Ideo et alibi inquit Paulus [2 Corinth. 5, 3]: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Propter Christum donatur vita aeterna, sed donatur credenti: in quo[1]) fide incoatur vita aeterna, quae incoatio est nova obedientia. Dignitas nostra excluditur, ut suus honos Christo tribuatur et ut promissio sit certa et habeamus firmam consolationem contra desperationem.

Erat igitur et in latrone conversio in cruce nova obedientia, aderat poenitentia: queritur[2]) enim se peccasse. Et mira lux fidei in hoc abiecto homine exorta est ostenditque Deus hoc exemplo se mirabiliter in extremis difficultatibus Ecclesiam conservare et restituere. Apostoli dilapsi dubitabant de Magistro, viderant magnitudinem calamitatis, quare cogitabant desertum esse a Deo: sed hac specie non deterretur latro, quo minus ab eo salutem petat, audierat paulo ante vocem hanc: Pater remitte eis, audierat et quaedam eius facta et genus professionis. Videbat[3]) naturam rerum obscurato sole et terrae motu de eo testimonium dicere. Magno igitur impetu eum invocat, inquiens: Memento mei Domine, cum in regnum tuum veneris. Quanta haec fidei lux erat: hunc supplicii socium et morientem iam agnoscit esse Messiam remittentem peccata et daturum vitam aeternam, abolita morte regnaturum[4]) post hanc vitam. Apostoli antea in rebus secundis cogitaverant fore regem pulsis Romanis. At hic una morientem praedicat regnaturum esse post mortem. Vicissim igitur et Christus testatur se regnaturum esse, se esse datorem vitae aeternae, et proponit latroni absolutionem et Evangelium de vita aeterna, ut fidem eius adcendat et confirmet: Hodie eris mecum in Paradiso. Hac voce confirmatus latro agnoscit se non propter sua merita, sed propter hunc dominum habere vitam aeternam. Et simul cum hac fide et consolatione incoatur in eo vita aeterna, quae est nova obedientia erga Deum. Videte quaeso, nam hic Apostolus pendens e sublimi

1) quo *B. C. W.* qua *A.* 2) queritur *B. W.* quaeritur *A. C.* 3) videbat *A. B.* videbant *C. W.* 4) regnaturum *A. B.* et regnaturum *C. W.*

concionatus est non tantum illi coetui qui tunc aderat, sed universae Ecclesiae venturae, quam illustris imago proponitur, ex qua discendum est gratis nos salvari propter Christum fide, et tamen adesse oportere poenitentiam ac ceteros bonos fructus. In hoc latrone conspiciuntur poenitentia, fides, invocatio, confessio seu concio. Constat autem haec esse praecipua bona opera et summos cultus Dei. Addidit et aliud insigne opus ac praecipue necessarium, quandocunque Christo maledicitur. Duriter castigat maledicum et defendit gloriam Christi. Ita et nos vero animi ardore taxare debemus impios doctores, tyrannos et eorum satellites, qui Christo convicia dicunt. Ac mihi saepe in mentem venit hunc concionatorem praecipue significari[1]) postremis Ecclesiae temporibus, quare eum diligenter audiamus et exemplum eius adtente consideremus ac imitemur.

Postquam autem sic[2]) placet ut dixi nova obedientia, etsi vita aeterna propter Christum gratis donatur, tamen etiam compensat nostros[3]) labores actiones et aerumnas. Ideo Christus inquit: Merces vestra copiosa est in coelis. Et quanquam non merentur vitam aeternam, tamen merentur sua praemia corporalia et spiritualia, quae contingunt tum in hac vita tum post hanc vitam. Cum enim velit Deus inter homines conservare Ecclesiam, impertit multa corporalia beneficia. Est opus victu, pace civili et aliis vitae commodis. Est et spiritualibus beneficiis opus, prudentia, eruditione, fortitudine, successibus in vocatione. Ideo Christus inquit [Matth. 6, 33]: Primum quaerite regnum Dei et cetera adiicientur vobis. Et Paulus [1 Tim. 4, 8]: Pietas habet promissiones praesentis et futurae vitae. Et Marci 10: Recipiet centuplum in hac vita, sed cum persecutione. Et praeceptum quartum ait: ut sis longaevus super terram. Et Christus [Luc. 6, 38]: Date et dabitur vobis. Et Matth. 10: Qui dederit potum aquae uni ex minimis propter doctrinam, non perdet mercedem. Denique passim extant in concionibus Prophetarum promissiones de corporalibus et spiritualibus beneficiis, ut Esaiae 33 dicitur de piis: Panis eis dabitur et regem videbunt florentem, id est habebunt victum, tranquillas respublicas etc. Vidua Sareptana excepit hospitio Eliam Prophetam, cum annona esset arctissima. Hic primum fidem mulieris[4]) specta, deinde opus: postremo praemia admiranda. Propheta iubet sibi praeberi quantulum erat cibi reliquum et addit promissionem, ut ostendit lectio historiae. Huic voci obtemperat mulier, tametsi videbat praeter has reliquias nihil superesse. Hanc liberalitatem non exercuisset mulier, nisi fide erecta cogitasset Deo obediendum esse, iuvandum

1) significari *A. B. W.* significare *C.* 2) sic *A. B. W.* si *C.* 3) nostros *A. C. W.* nostras *B.* 4) fidem mulieris *A. B.* mulieris fidem *C. W.*

Prophetam et vicissim expectandum beneficium a Deo. Adcipit igitur praemium fidei et eleemosynae, alitur familia divinitus donec laxior facta est annona, restituitur et mortuus filius, quo miraculo magis confirmata est fides matris et adolescens ad pietatem vocatus, quem quidem Epiphanius scribit fuisse Ionam Prophetam, qui postea regi Assyrio in Ninive concionatus est et verbum Dei late et feliciter propagavit. Ita omnibus temporibus sancti adceperunt non solum spiritualia beneficia, sed etiam pleraque corporalia ad conservationem Ecclesiae, et alii aliis muneribus ornati sunt, ut Deo visum fuit. Paulum tantisper servat incolumem, dum vult eum fungi ministerio, et interea curat ei hospitia et cetera vitae commoda. Sic et Paulus ad Corinthios de pestilentia scribit, castigari eos ea poena propter vicia sua: si agerent poenitentiam poenas cessaturas esse. Sicut et Zacharias inquit: Convertimini ad me et ego convertar ad vos, id est mitigabo calamitates ac poenas, si agetis poenitentiam. Nec de uno tantum opere loquitur, sed de vera conversione et fructibus. Ex his satis intelligi potest et quomodo placeat incoata obedientia et quae habeat praemia.

Adcendere autem studium bene operandi multa debent, mandatum Dei, item quod fides extinguitur amissa obedientia, item quod praesentibus et aeternis poenis puniuntur et amissio fidei et cetera delicta. Item saepe caecitate et peccatis delicta puniuntur. Rursus non solum promissio invitet ad credendum et ad retinendam fidem, sed etiam mandatum Dei. Praecipit enim ut credamus filio. Invitet ad exercendam fidem in bonis operibus quod sine exercitiis non crescit fides, ut ostendit similitudo de talento. Et recte illud Augustinus: Dilectio meretur augmentum dilectionis, non enim loquitur de imputatione, sed de donis. Dona crescunt usu et merentur incrementa. Invitet et magnitudo misericordiae Dei, quod hanc miseram mendicam et tam varie contaminatam obedientiam tamen adprobat et per eam se honore adfici indicat[1]). Invitent et alia praemia necessaria vitae et Ecclesiae et suo loco expetenda, quae fidei exercitiis proposita sunt, ut victus pax boni successus in vocationibus, in studiis, in gubernatione Ecclesiae et Reipublicae, liberorum pietas, virtus et felicitas. Haec sunt ingentia praemia, sed tanta est mundi caecitas, ut non solum mandato Dei et mentione aeternarum poenarum ac aeternae salutis leviter adficiatur, sed etiam non satis intelligat quantum opus sit corporalibus beneficiis et quantum referat eis recte uti. Oremus igitur Deum propter Dominum nostrum Iesum Christum, qui interpellat pro nobis, ut nos exuscitet ad veram pietatem, erudiat et gubernet nos dato Spiritu sancto, sicut pollicitus est se daturum Spiritum sanctum petentibus.

De quarta quaestione. De discrimine peccatorum. Nam

1) indicat *A. B.* iudicat *C. W.*

cum dicimus reliquias peccati manere in renatis et simul esse fidem, necesse est discerni peccata, ne quis putet adulteria et similia flagicia cum fide existere posse. Dixi autem in locis communibus aliquanto prolixius de discrimine peccati mortalis et venialis. Ideo hic paucis admonebo lectorem. Cum fide iustificati sumus, sequi debet in renatis[1]) iusticia bonae conscientiae. Hunc gradum aperte et saepe constituit doctrina Christi, ut 1 Timoth. 1: Summa mandati est dilectio ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta. Et rursus eodem capite: Milites bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam. Et 2 Corinth. 1[2]): Gloriatio nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae. Et 1 Ioan. 3: Si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus ad Deum; docet enim non posse invocare Deum istos, qui habent propositum violandi mandati[3]) Dei contra conscientiam. Et 1 Petri 3[4]): Cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam. Ideo et ad Galatas 5 dicitur: Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, impudicicia, idolatria etc. Qui talia faciunt regnum Dei non possidebunt. Ideo enim vocat manifesta, quia facta damnat, quae scientes contra conscientiam admittunt.

Quare et Paulus Rom. 8 discernit peccata: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si actiones carnis mortificabitis spiritu, vivetis. Sunt in sanctis actiones carnis, id est viciosi adfectus: his cum repugnant spiritu, id est non hypocrisi sed cum vero timore Dei et vera fide, coërcentur viciosi adfectus, manent sancti in gratia, retinent Spiritum sanctum et fidem. Neque haec fiunt sine magno certamine in animis. Variae sunt mundi illecebrae, turbulenti impetus sunt in carne nostra. Et diabolus intentus est in occasiones, per quas impellere animos possit.. Ideo vigilantia nobis opus est et fide ac invocatione. Nam victoria est Christi in nobis vincentis diabolum. Sed tamen adcedere nostra disciplina debet et fide petendum est auxilium, sicut Petrus inquit [1 Petr. 5, 8]: Vigilate, quia diabolus tanquam leo rugiens circumit, quaerens quem devoret. Et de disciplina: Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. Timor Dei repugnet pravis cupiditatibus et illecebris: Fides petat auxilium et condonationem infirmitatis, colligat argumenta, quae ostendunt magnitudinem et poenas peccati perpetuas et praesentes. Ut Ioseph sollicitatus illecebris dominae non sine certamine restitit et furori mulieris et insidiis diaboli. Vidit diabolum hoc agere, primum ut ipsum scelere pollutum avelleret a Deo, spoliaret dono prophetiae et aliis divinis ornamentis, excitaret scandalum ad infamandam[5]) doctrinam quam Ioseph profitebatur, ut

1) renatis *B. C. W.* operibus *A.* 2) 2 Corinth. 1. *A. B. C.* 2 Corinth. 2 *W.* 3) mandati *A. B.* mandata *C. W.* 4) 1 Petr. 3 [v. 16] *A. B.* 2 Petr. 3 *C. W.* 5) infamandam *C. W.* infirmandam *A. B.*

Deo malediceretur et extingueretur ibi vera religio, quae recens illuxerat. Tantam ruinam una haec voluptatula traxisset. Nam diabolus longe prospicit et telas texit nobis postea inextricabiles, ut David expertus est et multi pii[1]) experiuntur. Haec argumenta omnia colligens Ioseph erexit se fide contra illecebras et pericula, et cum ipse disciplina se coërcuit tum vero petivit coeleste auxilium. Ita noster dux filius Dei per Ioseph superavit ac fregit diaboli conatus. Cum hoc modo pii repugnant infirmitati et fide petunt auxilium et condonationem, non amittunt gratiam, Spiritum sanctum et fidem. Et talis infirmitas vocatur vulgo peccatum veniale in sanctis.

Alii sunt lapsus contra conscientiam, quos vocant Graeci φονικὰς ἁμαρτίας. Et Paulus ait: Manifesta sunt opera carnis, videlicet cum contra conscientiam violat aliquis mandata Dei, vel indulgens pravo adfectui ac non repugnans: ut Saul oderat Davidem; vel addens externum facinus, ut David rapuit alterius uxorem. Talia delicta committentes amittunt gratiam, contristant et excutiunt Spiritum sanctum et abiiciunt fidem, ac nisi poenitentiam agant et rursus ad fidem convertantur, morientes abiiciuntur in aeternos cruciatus. Neque opus est huc adferri disputationes de praedestinatione. Nos de nostris factis et de voluntate ac iudicio Dei iuxta verbum Dei expressum pronunciare debemus. Si David non resipuisset, fuisset abiectus in aeternos cruciatus, sicut Saul. Securitas alte infixa est animis hominum, praesertim ociosis. Ideo cavendum est ne huic malo indulgeamus, quod variis praetextibus confirmatur. Proponamus nobis verbum Dei, iuxta illud: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Id testatur amitti gratiam et excuti Spiritum sanctum per tales lapsus, ut Rom. 8: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Matth. 12: De diabolo redeunte ad eos, a quibus eiectus fuerat: vadit et adsumit septem alios spiritus nequiores se, et intrantes habitant ibi et fiunt novissima peiora prioribus. Matth. 13 de semine quod strangulatur mundanis illecebris. Primae ad Corinthios sexto: Ne erretis, scortatores idolatrae moechi fures regnum Dei non possidebunt. Et testatur se concionari eis[2]) qui antea consecuti fuerant beneficia Christi. His praecipit ut caveant ne ea amittant. Item primae ad Corinthios decimo: Non fiatis idolatrae, non scortemur, sicut quidam illorum scortati sunt et perierunt uno die viginti tria millia hominum. Ad Galatas quinto: Qui talia agunt regnum Dei non consequentur. Et deinde: Qui in carne seminat metet interitum: Qui seminat in spirtu metet vitam aeternam. Primae ad Timotheum quinto: Si quis suorum curam non habet, fidem abnegavit et est infideli deterior. Ad Hebraeos decimotertio: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Secundae

1) pii *A. B. C.* — *W.* omitt. 2) ii *W.*

Petri secundo: Si cum effugissent inquinamenta mundi per agnitionem Domini et servatoris Iesu Christi, rursus illis impliciti superantur, fiunt eis posteriora deteriora prioribus. Matthaei decimo: Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram patre meo coelesti. Matthaei vicesimoquarto: Qui perseveraverit in finem, hic salvus erit. Matthaei vicesimoquinto: Discedite a me maledicti in ignem aeternum: Esurivi et non dedistis mihi manducare etc. Primae ad Corinthios decimotertio: Si habeam omnem fidem, dilectionem autem non habeam, nihil sum. Etsi non propter nostras virtutes aut opera iusti id est adcepti sumus Deo, tamen necesse est in nobis existere incoatam obedientiam, iuxta illud: Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Primae Ioannis tertio: In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli: Qui non facit iusticiam non est ex Deo. Qui non diligit fratrem manet in morte. Filioli, nemo decipiat vos. Qui facit iusticiam iustus est. Qui facit peccatum ex diabolo est. Humana securitas extenuat magnitudinem nostrorum lapsuum, sed vide quam hae sint atroces minae. Quid potuit dici terribilius, quam quod inquit: Qui facit peccatum ex diabolo est, hoc est captivus est diaboli, agitatur et impellitur ab eo, desertus a Spiritu sancto, abiectus a Deo. Sicut etiam eventus testantur. Quantum unus lapsus Davidis scelerum et calamitatum peperit? Postquam vicit libido rapta alterius coniuge, maritum iubet interfici, et una multi cives, viri sancti et fortes pereunt, nomen Dei contumelia adficitur. Postea filius movet seditionem, rapiuntur ad stuprum a filio coniuges patris nefario et plusquam tragico scelere, interficiuntur multa millia civium. Denique seditio non potest non innumera scandala et scelera parere. Ex Salomonis idolatria quae mala orta sunt? Regnum Israël dilaceratum est et secuta perpetua idolatria et bella intestina. Adae lapsus quae mala deinde peperit? Hoc agit diabolus, ut tales instituat telas, cum animadvertit nos extenuare peccata et nobis ipsis blandiri ac laxare frenum cupiditatibus: ita extinguitur fides. Nam fides quae petit reismsionem peccatorum, non potest esse in eis qui delectantur peccato scientes et sunt sine poenitentia, iuxta illud Esai. 66: Ubi habitabit Deus? In spiritu contrito, tremente sermones meos. Nolunt enim liberari a peccato, qui scientes eo delectantur. Admoneat igitur nos dictum Ioannis, unde peccatum oriatur, quantum hostem habeamus, quo spectet; et discamus exercere fidem, ut Christus in nobis vincat hunc hostem.

Hactenus exposui summam doctrinae Evangelii de iustificatione ut vocatur seu de gratia, de reconciliatione, de fide et[1]) de bonis operibus. Cum autem haec sententia sit plana ac perspicua, cum nihil habeat absurditatis aut perplexitatis aut sophistices, cum lo-

1) et *A. C. W.* — *B.* omitt.

quatur de motibus, qui noti sunt piis mentibus in Ecclesia, non disputet de ociosis argutiis, cum illustret gloriam Christi, cum magnitudinem infirmitatis humanae retegat, denique cum optime congruat cum perpetuo consensu universae scripturae veteris et novi testamenti, cum omnes pii omnibus temporibus in Ecclesia experiantur hanc consolationem veram et necessariam esse, mirum est in adversariis partim tantas esse tenebras, ut eam non adprobent, partim tantum furorem, ut non desinant eam omni scelere oppugnare.

Sed diabolus multipliciter offundit errores humanis mentibus, ut gloriam Christi obscuret. Ideo pii orent ut Christus Evangelium suum conservet nec sinat ubique deleri, et sua luce nos gubernet et quam pluribus monstret veritatem depulsis nebulis, quas diabolus offundit. Invitet Christum et nostra sedulitas: eruditi dent operam ut hanc tantam causam diligenter et dilucide proponant, ut curent eam ad posteritatem transmitti sine sophistica, nec defugiant vel in discendo ac docendo laborem vel certamina in confessione. Nam nec sine eruditione satis perspicue explicari haec causa potest. Et quadam opus est magnitudine animi ad perferenda odia potentum ac sapientum, qui improbant has disputationes alii aliis de causis. Sed pios oportet *συναγωνίζεσθαι τῷ εὐαγγελίῳ*, sicut inquit Christus[1]) [Ioan. 15, 8]: In hoc glorificatur pater coelestis, si eritis mei discipuli et fructum copiosum proferetis. Quare doctrinam bona fide simpliciter et recte proponamus et oremus ut Deus addat Spiritum sanctum, ut[2]) largiatur ut Paulus vocat incrementum.

Dilutio argumentorum, quae adversarii ex scriptura opponunt[3]).

Adiiciam autem pauca quaedam argumenta, quibus adversarii conantur labefactare nostram sententiam. Praecipuum est testimonium in Iacobo: Non ex fide tantum, sed ex operibus. Facillima est responsio: Iacobus fidem vocat noticiam historiae: ait enim daemones credere. At Paulus longe aliud vocat fidem. videlicet fiduciam misericordiae propter Christum promissae. Reprehendit igitur errorem eorum, qui se iustos esse arbitrabantur[4]) propter professionem historiae: Haec est opus necessarium quidem, ut cetera bona opera, sed non est illa fiducia, qua adcipimus remissionem peccatorum, ut constat. Deinde cum ait, ex operibus iustificatus est, phrasis est observanda. Non enim vult Abraham propter opera reconciliatum esse, sed opera reconciliati postea Deo placuisse[5]). Nam opera in reconciliatis placent, ut dictum est et

1) inquit Christus *A. B.* Christus inquit *C. W.* 2) ut *B. C. W.* ac *A.* 3) Dilutio — opponunt *B.* — *A. C. W.* omitt. 4) arbitrabantur *A. B.* arbitrantur *C. W.* 5) placuisse *A. C. W.* placuisset *B.*

sunt quaedam iusticia legis, sed non merentur remissionem peccatorum aut adceptationem ad vitam aeternam. Sic igitur dixit, etiam ex operibus iustificatum esse Abraham, id est, etiam opera pronunciabantur iusta. Id verum est de reconciliato et credente. Et quidem necesse est ut dixi sequi opera, in quibus vivat et exerceatur fides. Agamus ingenue, sine sophistica. Iacobus non tractat causam Pauli, sed obiter loquitur de fide quae est noticia historiae. Quare eius dicta non sunt opponenda Paulo aut reliquae scripturae propheticae.

Aliud.

Si vis in vitam ingredi, serva mandata. Ergo propter opera datur vita aeterna, non donatur gratis credenti. Plana et perpetua responsio est ad talia dicta. Discerni debent dicta legis et Evangelii. Hic proponitur vox legis, quam interpretari ex Evangelio necesse est. Nemo enim servaretur, si ex lege esset iudicandum. Servans mandata ingredietur in vitam: nemo enim satisfacit legi, nemo est sine peccato. Adde igitur Evangelium isti dicto: Si vis ingredi in vitam serva mandata, scilicet iuxta ἐπιείκειαν Evangelii, quod promittit remissionem peccatorum et imputationem iusticiae propter Christum: postea incoat novam obedientiam et adprobat eam, quanquam sit imperfecta et non sit precium vitae aeternae. Sic verum est oportere servari mandata et necesse est legem proponi, ut crescant poenitentia et fides in nobis: sed non sola lex docenda est, sed addenda promissio Evangelii, sine qua lex tantum est ministerium irae et mortis aeternae. Et constat Christum esse finem legis. Quare non est resistendum in lege, sed cum legem audimus et expavescimus, cogitemus nos adcusari non ut pereamus, sed ut quaeramus mediatorem filium Dei, hunc sciamus nobis donatum esse, ut per eum a peccato, a tyrannide diaboli et a morte liberemur. Itaque cum incoatur in nobis vita aeterna, legi obedimus et fiunt mandata, ut dictum est: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum.

Aliud.

1 Corinth. 13: Si omnem fidem habeam, dilectionem autem non habeam, nihil sum. Eadem responsio est: Fateor dilectionem esse necessariam, sed nec existere dilectio Dei potest nec placere, nisi prius fide adceperimus remissionem peccatorum et imputationem iusticiae. Facile est ociosis fingere dilectionem Dei, sed referri haec debent ad veram luctam in mentibus et veros motus in invocatione in periculis. Hic alii dubitant an Deus curet res humanas, an vero casu adcidant secundae res et adversae.

Alii sentientes iram Dei, ut Saul, succumbunt in adflictionibus ac fremunt adversus iudicium Dei. De his ingentibus animi procellis concionatur vox coelestis et inter hos fluctus erigit mentes promissione evangelica. Cum fide sustentat se animus et agnoscit misericordiam, ibi sequitur dilectio. Necesse est igitur praecedere fidem, quae adcipit remissionem peccatorum. Et haec fides non potest niti dignitate nostra, ideo quamvis sequitur dilectio tamen statuit nos non propter dilectionem, sed propter Christum iustos esse. Vulgo dilectionem interpretantur de dilectione Dei et proximi, ideo respondi de dilectione Dei. Sed Paulus hic proprie de dilectione proximi loquitur, quam magis constat non mereri remissionem peccatorum.

Aliud.

Remittite, et remittetur vobis, Ergo nostra condonatione meremur et nobis iustificationem. Responsio plana est: Haec est concio poenitentiae, quales multae sunt in Prophetis, ut Esaiae 1: Desinite malefacere, et discite benefacere: Tunc abstergentur peccata vestra etc. Prior pars praecipit de nostra poenitentia, altera continet promissionem. Nec dicit Christus: Remittetur vobis propter vestram condonationem, sed tantum praecipit ut remittamus, deinde admonet de remissione, quae pendet aliunde, non ex dignitate nostri operis. Qualis esset futura consternatio conscientiarum, si sentiendum esset, pendere divinam condonationem ex puritate et dignitate nostrae condonationis erga eos cum quibus nobis fuit simultas? manent enim etiam in placatis animis cicatrices, ut ille inquit. Ideo necesse est quaeri aliam causam remissionis. Tenenda est igitur Evangelii sententia de gratuita condonatione. Tale est dictum[1]) apud Danielem 4. Pars est concio de poenitentia: Amato iusticiam et benefacito miseris iniuste oppressis. Ecclesiam defendito contra tyrannos: id enim volebat Daniel. Altera pars est promissio: Et erit sanatio delictorum tuorum. Poenitentiam existere necesse est, et tamen condonatio est gratuita et fide adcipienda. Nam si promissio penderet ex condicione nostrae dignitatis, fieret irrita, ut Rom. 4 dicitur.

Aliud.

Dilectio est maxima virtutum, Ergo propter dilectionem iusti reputamur. Nego consequentiam et manifesta ratio est, rectius enim sequeretur: Dilectio est maxima, Ergo cum eam[2]) minime praestemus, minime propter hanc virtutem iusti sumus. Si haberemus virtutes quas lex Dei flagitat et sine peccato essemus, recte diceremur iusti propter dilectionem et ceteras virtutes. Sed quia

1) delictum *A*. 2) ea *C*.

natura humana procul abest a perfectione legis, non ardet dilectione, ideo Evangelium proponit aliam iusticiam, docet nos non propter nostras virtutes, sed propter aliud extra nos, scilicet mediatorem filium Dei reputari iustos, sed ita si fide statuamus nos propter eum habere Deum propicium. Sumus igitur imputatione iusti, non propter nostras virtutes, etsi has quoque incoari in nobis oportet. Ceterum si quis virtutum discrimen requirit: Fides adcipit in praesentia remissionem peccatorum. Spes est expectatio futuri eventus seu venturae liberationis. Fides est adsensus quo voluntas vult et adcipit promissum et adquiescit propter mediatorem filium Dei. Et cum voluntas sic adquiescit, cor fit tranquillum et concipit consolationem ac laeticiam, quae est incoatio novae vitae. Hos motus sequuntur spes et dilectio. Quia fides statuit Deum nobis propicium esse, audet petere et expectare beneficia cetera. Et oritur dilectio, quia iam agnoscimus Deum non esse ociosum ut ratio fingit, nec esse hostem qualem lex ostendebat, sed esse patrem, qui calamitatis nostrae magnitudine adficitur et nos liberare cupit, qui iurat: Vivo ego, nolo mortem peccatoris etc. Hoc modo cum agnoscimus nos recipi in gratiam et exaudiri, vicissim nos ei subiicimus, et adcenditur quaedam reverentia seu desiderium quoddam, quo anteferimus Deum ceteris rebus. Talis est dilectio in hac vita, non ardens ut debebat, sed imbecillis.

Aliud.

Obiiciunt et nomen mercedis. Vita aeterna vocatur merces, Ergo bona opera merentur vitam aeternam. Non quaeram argutas interpretationes vocabuli, fontes causae considerentur. Psalmus inquit: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item: Delicta quis intelligit? Quare non possumus statuere nos mereri nostris virtutibus vitam aeternam seu nostras virtutes esse precium vitae aeternae. Ac supra collegi multa testimonia, quae ostendunt manere in renatis peccatum, quae hic animo intuenda sunt. Et suam quisque conscientiam consulat, utrum malit donari vitam aeternam propter Christum, an vero solvi pro meritis. Languescit studium recte faciendi, inquies, si gratis donari vita aeterna dicitur. Imo desperatio magis debilitat studium recte faciendi. Necesse est enim desperare eos, qui imaginantur pro meritis dari vitam aeternam.

Id periculum et prudentiores patres viderunt. Ideo diserte dicunt Augustinus et Bernhardus: Gratis propter Christum dari vitam aeternam credenti. Sicut et Paulus inquit: Donum Dei est vita aeterna per Christum Iesum Dominum nostrum. Nec est incertum donum. Sed Deus praecipit, ut credamus nos certo ad-

cepturos esse vitam aeternam propter Christum, iuxta illud Ioannis 6: Haec est voluntas patris, ut omnis qui credit in filium habeat vitam aeternam. Non autem existit haec fides sine poenitentia, ac fides intuetur utranque vocem, videlicet: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Quomodo? per filium, ut hic ait: Haec est voluntas patris, ut omnis qui credit in filium, habeat vitam aeternam. Quanquam autem adesse poenitentiam oportet, tamen non est adfingenda condicio dignitatis nostrae. Imo cum poenitentia pugnat fiducia meriti, sicut monet dictum: Qui gloriatur in Domino glorietur.

Cur igitur vocatur merces? Respondeo: Etiamsi donatur propter Christum vita aeterna, tamen simul compensat labores et aerumnas nostras. Id ad vocabuli rationem satis est, sicut haereditas simul compensat officia haeredis, etiamsi propter aliam causam contingit. Sed est alia responsio simplicior ac verior. Phrases legis sunt: Reddet unicuique iuxta opera sua. Item: Copiosa erit merces in coelis. Loquitur enim scriptura more legis de iusticia, quasi de nostra dignitate. Item de fide tanquam de nostra virtute et dicit nostris virtutibus dari mercedem. At interim ex Evangelio sciendum est nos esse iustos non nostra dignitate, sed imputatione: et fide adcipi beneficia Christi, non propter ipsius virtutis dignitatem, sed quia nititur alieno merito, scilicet Christi. Haec est expedita et vera responsio, et sine sophistica.

Dilutio scholasticarum objectionum[1]).

Addam et scholasticas quasdam obiectiones, quae explicatae multum lucis addunt huic disputationi et interdum exercent argutos. Iusticia est obedientia erga totam legem: Bona opera sunt obedientia erga totam legem, Ergo bonis operibus iustificamur. Respondeo: Primum neganda est minor. Nam bona opera non sunt perfecta obedientia erga legem, quia natura humana repugnat legi Dei. Deinde ad maiorem respondeo: Maior est vera de iusticia legis. Nam iusticia legis est obedientia erga totam legem. Sed quia hanc non praestamus, ideo Evangelium offert gratuitam imputationem iusticiae, sicut et Paulus admonet nos de verbo imputationis. Haec obiectio admodum utilis est, monstrat enim discrimen iusticiae legis et Evangelii. Ostendit alibi aliter usurpari vocabulum iusticiae. Id fefellit Sententiarios: qui cum in Aristotele legissent, iusticiam significare universalem obedientiam, somniarunt idem in Prophetis et Aposto-

1) Dilutio sch. obj. *B.* Aliud *A. C. W.*

lis ubique significare[1]). Psalmus inquit: Iusticia tua exultabunt. Hic non significat Aristotelicas virtutes, sed relative, iusticia tua id est imputatione iusticiae, qua tu nos per misericordiam reputas iustos, hoc est adceptos. Iusticia legis significat obedientiam, ut cum dicitur: Feci iudicium et iusticiam. Sed iusticia, de qua proprie concionatur Evangelium, significat relative imputationem iusticiae, hoc est adceptationem gratuitam ad vitam aeternam, etsi cum ea coniuncta est donatio Spiritus sancti. Ita et[2]) cum audis verbum iustificari, de Hebraica phrasi cogites, qua significat reputari seu pronunciari iustum seu absolvi adcusatum. Et iustus significat adceptum Deo ad vitam aeternam. 2 Cor. 5: Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei per ipsum, id est Christus factus est[3]) pro nobis reus, ut nos fieremus adcepti propter ipsum. Haec est simplex grammatica et vera vocum enarratio. In aliis locis aliter vocabulum usurpatur, alias fit mentio iusticiae legis, alias imputationis. Haec discrimina observare necesse est.

Aliud.

Opera contra legem Dei sunt peccata, Ergo bona opera sunt iusticia. Consequentia valet ex natura contrariorum. Quare sequitur et bonis operibus iustificari homines, cum sint iusticia. Respondeo: Valeret consequentia, si bona opera essent integra obedientia; sed quoniam procul absunt[4]) ab integra obedientia, facile intelligi potest argumentum non valere, quia non est vera contrarietas. Viciosa sunt integre viciosa. Bonis operibus plurimum viciorum admixtum est, quibus et ipsa contaminantur. Pomponius Atticus est modestus, iustus erga cives, sed dubitat an Deus curet res humanas, est sine timore Dei. Horum interiorum viciorum magnitudo non cernitur. Ideo argumentum fallit non admonitos. Sed neganda est consequentia, quia non est vera contrarietas. Idem respondeo ad sequens argumentum.

Aliud.

Mala opera damnant, Ergo bona salvant. Nego consequentiam, et ratio est quia non est contrarietas. Mala sunt integre viciosa. Bonis plurimum mali admixtum est, ut etiamsi David habet bona opera, tamen habet multos viciosos impetus, habet dubitationes de Deo. Et haec caligo trahit secum magnum agmen viciorum, securitatem, fiduciam propriae sapientiae et iusticiae: nec timore nec dilectione Dei nec fide ardet pectus ut debe-

1) significare *A. B.* significari *C. W.* 2) et *A.* omitt. 3) factus est *B. C. W.* est factus *A.* 4) absunt *B. C. W.* absint *A.*

bat. Scio quosdam fuisse, qui hoc argumento valde quassatam esse nostram sententiam praedicabant, sed quam sit inane et futile, lector mediocriter adtentus facile potest iudicare.

Aliud.

Peccatum est odium Dei, Igitur dilectio est iusticia. Memini Eccium magnos triumphos agere, cum hoc argumento conabatur ostendere non sola fide iustificari homines. Sed est facilis responsio: Adsentior perfectam dilectionem esse iusticiam, quam lex postulat, sed ut supra[1]) dictum est non sumus iusti lege. Non enim potest existere dilectio, nisi prius fide reconciliati simus. Postea sequitur incoatio quaedam et tamen manet ingens infirmitas repugnans legi Dei, indignans et fremens adversus iudicium Dei, sicut Psalm. significat: Irascimini, nolite peccare etc. Ideo opus est alia iusticia, scilicet imputatione gratuita.

Aliud.

Iusticia est in voluntate[2]), Fides est in intellectu, Ergo fides non est iusticia. Respondeo: Maior est vera de iusticia legis, quae significat nostras virtutes et qualitates in voluntate nostra. Sed cum de iusticia fidei concionatur Paulus, iusticia significat imputationem iusticiae. Docet enim homines reputari iustos, hoc est adceptos non propter propriam qualitatem, sed propter aliud extra nos, scilicet propter mediatorem filium Dei per misericordiam. Et tamen hanc misericordiam fide adcipi oportet. Et est fides non tantum noticia sed adsensus, ad quem etiam requiritur motus voluntatis[3]), ut norunt eruditi: qui est velle et adcipere promissionem et in ea adquiescere. Concipitur autem haec fides, cum adsentimur promissioni evangelicae, qua cum mens perterrefacta se sustentat, Spiritus sanctus simul per verbum movet corda ad credendum.

Aliud.

Fide sumus iusti, Fides est opus, Ergo operibus sumus iusti. Ad maiorem responderi debet, qua recte intellecta poterit explicari et dilui argumentum. [Fide sumus iusti, non quia est opus aut qualitas aut virtus in nobis, sed quatenus adprehendit misericordiam et nititur Christo[4]).] Et ut res fiat planior, transformanda est oratio in correlativam: Fide sumus iusti, id est per

---

1) supra *A. B. C.* — *W.* omitt. 2) voluntate *A. C. W.* voluptate *B.* 3) voluntatis *A. C. W.* voluptatis *B.* 4) Fide — Christo *C. W.* — *A. B.* omitt.

misericordiam propter Christum sumus iusti, sed tamen fide statuendum est illam misericordiam ad nos pertinere. Minor est vera: Fides est opus, scilicet ut ceterae virtutes, dilectio, pacientia, castitas. Et ut aliae virtutes sunt imperfectae, ita et fides est imbecillis: quare non sumus iusti propter ipsius virtutis dignitatem, sed quia misericordiam adprehendit. Necesse est enim aliquod esse ut ita dicam instrumentum, quo adprehendatur misericordia, necesse est intueri Christum et statuere quod nobis ignoscat. Respondeatur ergo ad minorem: Fides est opus, sed non sumus iusti propter ipsius operis dignitatem, sed quia adprehendit misericordiam. Ideo non potest sequi, nos propter opera iustos esse. Potest et hoc erudite dici, plus esse in conclusione, quam in praemissis: [nam[1]) conclusio vult homines propter opera iustos esse. Id non sequitur ex his praemissis.]

Aliud.

Gratia sumus iusti, Gratia est dilectio infusa animis, Ergo dilectione sumus iusti. Respondeo ad minorem: Gratia praecipue significat relative favorem seu misericordiam seu gratuitam adceptationem propter Christum. Tenenda est igitur apta vocabuli interpretatio. Ceterum cum hac adceptatione coniuncta est donatio Spiritus sancti. Sed qui sic enarrant, gratia sumus iusti, id est, propter virtutes infusas sumus iusti, hi fingunt interpretationem ex diametro pugnantem cum Paulo et prorsus tollentem e conspectu veras consolationes piarum mentium. Si in invocatione aspicere nos ipsos deberemus ac imaginari nos ita adcessuros ad Deum, cum satis ornati erimus his virtutibus, ita sperandum[2]) esse vitam aeternam, cum videbimus in nobis hanc novam mundiciem, fugerent animi et desperarent auxilium et salutem. Et quo magis expavescunt mentes, eo propius aspiciunt immundiciem et infirmitatem nostrae naturae. Paulus autem hanc ipsam ob causam, quia videmus nos ad Deum non posse adferre merita et dignitatem, proponit gratiam, id est gratuitam condonationem et adceptationem propter Christum. Etsi non adfers dignitatem ad Deum, tamen adcede fiducia mediatoris Christi, sicut inquit: Hunc habentes pontificem adcedamus ad thronum gratiae.

Has refutationes adieci, tum ut eruditis qui de proprietate sermonis disputant quantum possem satisfacerem: nam et nos vera ac recta dicere et vitare ἀκυρολογίας cupimus, tum ut instruerem discentes, ut maiori dexteritate cavillationes scholasticas diluere pos-

1) nam — praemissis *C. W.* — *A. B.* omitt. 2) sperandum *A. C. W.* sperandam *B.*

sint. Ac prodesse haec exempla opto, primum ad perspicuitatem causae, deinde etiam ad acuendam discendi curam in studiosis. Nam hae refutationes ostendunt opus esse eruditione et quadam exercitatione his, qui dextre tales controversias explicare conantur. Non putent se leve onus suscipere studiosi, qui doctrinae Christianae explicationem profiteri volent. Deum autem oro ut studia piorum gubernet nec sinat in Ecclesia extingui lucem Evangelii ac veram Christi noticiam.

Caput I.

Paulus servus Iesu Christi, vocatus Apostolus etc.[1]).

[*Παῦλος δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ, κλητὸς ἀπόστολος*, v. 1.]

Epigrapha, quemadmodum fit in Epistolis, praefixa est, quo more in Ecclesia maxime opus est, ut certo sciri possit, doctrinam divinitus adceptam esse, concionantem non de rebus vulgaribus, quas ratio iudicat, sed de voluntate Dei. Ita patres ut scirent unde doctrina tradita esset, nominatim dicebant, Deus Abraham, Deus Israël, ut sciretur illud verbum, illos cultus amplectendos esse, quos Deus tradidit Abrahae etc. Autores inde usque ab initio cogitandi sunt, per quos propagata est vera Dei noticia et promissio Evangelii, ne existimetur temere aut casu orta professio, sicut superstitiones pleraeque in mundo vel casu ortae sunt vel excitatae a diabolo, ut veram religionem obscurarent.

Est autem haec summa Epigraphes: Paulus Apostolus Romanis optat gratiam et pacem. Sed inserta est longiuscula descriptio officii Pauli, item descriptio Evangelii. Ac necessaria causa est, cur officii mentionem faciat, ut Ecclesia sciat doctrinae Pauli credendum esse tanquam voci Dei de coelo sonanti. Ut igitur Moises praefatur: Locutus est Dominus Deus cunctos sermones hos etc., ut sciret populus proponi non humanam doctrinam, sed certo et expresse traditam a Deo: ita Paulus praefatur se esse Apostolum, non humano iudicio electum sed Christi voce, ac Evangelium adferre divinitus traditum: et hanc sententiam, quam de lege, de promissionibus, de peccato, de gratia, de fide proponit, non esse humanum inventum, sed divinitus ipsi patefactam et commendatam, ut eam Ecclesiis tradat. Ideo non ociose toties hic et

1) Sic *A. C. W.* — *B.* omitt. voc. Apost.

alibi repetit mentionem muneris sui, inculcat[1]) titulos. Haec eo commemoranda sunt, ut legamus Paulum non ut Ambrosium aut Augustinum legimus, tantum ceu eruditum interpretem propheticae scripturae, sed ut certo adferentem coelestem doctrinam, cui necesse est adsentiri. Estque diligenter hoc loco discernenda apostolica vocatio ab Episcopi vocatione.

Apostolus est immediate a Christo vocatus ad docendum Evangelium et habet certum testimonium suae doctrinae, quod sit divina, ac certum est eum habere Spiritum sanctum et in doctrina non errare, ac potest ubique in omnibus Ecclesiis docere.

At[2]) Episcopus est vocatus per homines[3]) ad docendum Evangelium certo loco, et potest errare nec necesse est certum esse quod habeat Spiritum sanctum. Ex his descriptionibus multa iudicari possunt. Ut enim Prophetae in populo Israël longe antecellebant sacerdotibus et multa agebant heroica, quae non concedebat lex ceteris sacerdotibus: ita Apostoli vocationem habent longe superiorem ceteris Episcopis, legem abrogant, vocant gentes ad societatem populi Dei, enarrant obscuros articulos de Messia, quod sit filius Dei, quod non fuerit habiturus regnum politicum. Expresse impertiunt remissionem peccatorum, quod sacerdotes Levitici nequaquam fecerant. Enarrant articulum de iusticia fidei, quem pauci in populo legis antea audierant. At Episcopi dictata ab Apostolis adcipere debent, non incoare novum aut aliud doctrinae genus. Ut igitur Paulus admoneret omnes de autoritate suae doctrinae, facit mentionem suae vocationis, inquiens: Servus Iesu Christi, vocatus Apostolus. Origenes hic inepte rhetoricatur de liberatione a[4]) ceremoniis et de servitute Pauli, qua ceremoniis fuerat obnoxius ante conversionem. Hae declamationes non pertinent ad hunc locum. Paulus enim hic non de privata servitute loquitur sed de officio, vocat se servum, id est, ministrum gerentem officium pertinens ad regnum Christi.

Vocatus.

[*Κλητός.*]

Id ex Galatis melius intellígi potest, ubi addit se non ab hominibus neque per homines vocatum esse, sed per Iesum Christum et Deum patrem. Id significat, cum hic se vocat non vulgarem concionatorem, sed *κλητὸν ἀπόστολον*. Et hae sententiae opponendae sunt hoc tempore Papistis, quorum tanta est impudentia, ut aperte ausint dicere non plus esse credendum Paulo, quam Romano Pontifici aut Episcopis. Imaginantur Paulum esse Irum ali-

1) inculcat *A. B.* et inculcat *C. W.* 2) at *B. C. W.* ac *A.* 3) per homines *B. C. W.* per omnes homines *A.* 4) a *C. W.* et *A. B.*

quem aut erronem, qui sine autoritate vagatus et pertinaciter de religione rixatus sit. Nos autem audita Apostoli mentione cogitemus prophetica autoritate eum concionari, et eius dicta tanquam vocem Dei de coelo sonantem adcipiamus. Hoc si cogitabimus, valde nos eius sententiae confirmabunt.

Segregatus ad Evangelium Dei.

[*Ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον θεοῦ.*]

Nominat genus negocii, quod ei mandatum fuit, inquit se delectum esse ad propagandum Evangelium. Iam hoc loco meminisse lectorem oportet, plurimum interesse inter haec duo doctrinae genera, inter legem et Evangelium. De eo discrimine et supra dictum est in praefatione, et infra dicendum erit capite tertio. Ipse etiam addit descriptionem Evangelii: Evangelium est promissio divinitus facta, tradita in scripturis sanctis, de filio Dei Iesu, nato ex semine David secundum carnem, declarato autem filio Dei, potente per Spiritum sanctificantem, resuscitato ex mortuis, qui est Messias seu Rex, per quem fit liberatio a peccato et a morte aeterna.

Haec definitio fiet illustrior, si antithesis legis et Evangelii instituatur. Lex est doctrina praecipiens quales esse nos et quid agere oporteat, requirens perfectam obedientiam, non promittens gratis remissionem peccatorum, non liberans nos a peccato et a morte, sed potius armans peccatum, cum nos adcusat et terroribus letalibus opprimit. At Evangelium est promissio, quae pollicetur nobis remissionem peccatorum gratis et liberationem a[1]) peccato et a morte per filium Dei, natum ex posteritate David iuxta promissiones ac divina potentia nos sanctificantem et vivificantem[2]) vita aeterna. Haec membra copiosius infra declarabuntur.

Ideo autem Paulus initio statim proposuit definitionem, ut sciremus quid professus sit et diligenter discerneremus legem ab Evangelio, quasi dicat: Paulus divinitus vocatus ad docendum Evangelium de Christo, non ad docendam[3]) legem aut philosophiam.

Quod ante promiserat[4]) *per Prophetas in scripturis sanctis etc.*

[*Ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις*, v. 2.]

Ideo inserit, ut tacite[5]) obiectioni occurrat. Cum novum genus doctrinae profiteretur, haud dubie obstrepebant Pharisaei.

1) a peccato *A. B. W.* peccato *C.* 2) et vivificantem *A. B. W.* — *C.* omitt. 3) docendam *A. B. W.* docendum *C.* 4) quod ante promiserat *B.* — *A. C. W.* omitt. 5) tacite *A. B.* tacitae *C. W.*

Cum semper ab initio mundi aliqua fuerit Ecclesia Dei, necesse est eam tenuisse doctrinam necessariam ad salutem. Quaerebant igitur Pharisaei, an et Apostolorum[1]) doctrinam tenuerint. Si non tenuerint[2]), clamitant Pharisaei novam et commenticiam esse. Respondet Paulus: Imo unum et idem Evangelium est de Messia, quod Patribus promissum et Prophetis monstratum et nunc exhibitum est. Non adferimus doctrinam ignotam Patribus et Prophetis, sed a vobis[3]) obrutam per humanas opiniones de iusticia legis, de regno politico Messiae. Vos execramini hoc genus doctrinae tanquam novum et commenticium, quia non intelligitis de qua liberatione Patres et Prophetae concionati sint. Fingitis vos[4]) esse iustos[5]) lege, Messiam venturum esse, ut occupet mundi imperium, vobis det provincias regendas, ut opibus et voluptatibus adfluatis: Haec est liberatio, quam vos temulenti somniatis. At illi expectabant Messiam, qui divina potentia aboleat peccatum et mortem, qui destruat regnum diaboli: id volebat promissio, in qua promittitur semen quod conterat[6]) caput serpentis. Eodem modo nunc nobis opponunt Papistae Ecclesiam: Vociferantur nos adferre genus doctrinae ignotum Ecclesiae. Nos reclamamus et testamur fulsisse doctrinam nostram in Ecclesia Patrum, Prophetarum, Apostolorum, ac deinceps apud pios. Adlegamus Ecclesiae testimonia, videlicet Prophetarum, Apostolorum et aliorum piorum. Nullum enim genus doctrinae recipi debet, quod verae Ecclesiae Christi semper ignotum fuit. Sed multis iam saeculis obscurata fuit verae Ecclesiae sententia[7]). Nam pontifices, sacrificuli, monachi sparserunt in Ecclesia falsas et pharisaicas opiniones de iusticia operum, excogitaverunt ἐθελοθρησκείας[8]), cumulaverunt ethnicas supersticiones, invocationem mortuorum, idolomaniam manifestam, et horribili impietate profanaverunt coenam Domini.

Haec partim supersticione, partim quaestus partim muniendae tyrannidis causa excogitata sunt. Hic coetus impiorum pontificum et monachorum non est Ecclesia Christi, quare iniuste hunc honestissimum titulum sibi adrogant et[9]) suam autoritatem commenticiam, non verae Ecclesiae autoritatem nobis opponunt. Monet igitur Paulus hoc loco, ne sine testimoniis scripturae divinae dogmata recipiantur, monet etiam ut verae Ecclesiae sententias requiramus et veram Ecclesiam a falsa discernamus.

---

1) an et Apostolorum *A. B.* an Apostolorum *C. W.* 2) tenuerint *A. B.* tenuerunt *C. W.* 3) vobis *C. W.* nobis *A. B.* 4) vos *C. W.* nos *A. B.* 5) iustos *A. B. W.* iustus *C.* 6) conterat *A. B.* conteret *C. W.* 7) sententia *A. B. W.* sententiae *C.* 8) ἐθελοθρησκείας *C. W.* ἐθελητρησκείας *A. B.* 9) et *A. B.* cum *C. W.*

De filio suo.

[*Περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*, v. 3.]

Opponit et hanc particulam vulgaribus Iudaeorum persuasionibus. Iudaei expectabant Messiam, qui non esset natura filius Dei, sed tantum homo ceteris Prophetis similis, hoc est, antecellens vulgus sapientia, iusticia et felicitate in rebus gerendis, ut facile orbis imperium occuparet. At Patres et Prophetae norant Messiam esse filium Dei, tunc quoque ipsos gubernantem et iuvantem. Iacob inquit: Angelus qui eripuit me ex omnibus malis, benedicat his pueris, ubi significat se loqui de liberatore, quem norat promissum esse. Nam huius proprium munus est liberare ex omnibus malis. Ac viderunt eum Iacob, Moises et Daniel. Ideo Ioannes, ut testetur Messiam esse filium Dei et semper adfuisse patribus, inquit: In principio erat verbum, omnia per ipsum facta sunt etc. Significans omnes gloriosas victorias Noae, Abrahae, Ioseph, Moisi, Samuelis, Davidis, Esaiae, Ieremiae partas esse hoc duce et propugnatore nostro adversus diabolum. Quare et hoc loco Paulus de duabus naturis in Messia concionatur: vocat filium Dei, ut Iudaeorum errorem taxet, sicut et Christus ipse taxavit Ioan. 5 et saepe alias. Loquitur autem Paulus de persona et apte tribuit personae adpellationem filii Dei. Non enim tantum divinae naturae tribuenda est haec adpellatio, sed personae Christi. Hunc autem testatur constare duabus naturis, ait hunc filium secundum carnem natum esse ex semine Davidis[1]): Adfirmat igitur in Christo esse humanam naturam. Et hic locus refutat Manichaeos et plerosque alios, qui humanam naturam Christo detraxerunt aut negarunt adceptam esse ex sanguine matris virginis. Deinde concionatur de divina natura, cum ait: Qui[2]) declaratus est esse[3]) filius Dei, potens per Spiritum sanctificantem ex resurrectione mortuorum.

Singularis est emphasis in voce ὁρισθέντος, quam enarrant Graeci per vocabulum ἀποδειχθέντος. Estque sententia, certo agnitum esse hunc filium Dei per haec testimonia, quod resurrexit a mortuis, quod potentiam suam immensam multis miraculis ostendit, ut cum Lazarum resuscitavit, quod iam dat Spiritum sanctum Ecclesiae, qui et mentes confirmat adversus diabolum, et multa ingentia miracula edit; nam et Paulus resuscitavit mortuum auditorem, et omnia tunc plena erant miraculorum, quae fiebant ab Apostolis, petentibus ea munera a filio Dei. Loquitur ergo Paulus de

1) Davidis *A. B.* David *C. W.* 2) qui *B. C. W.* quis *A.* 3) esse *A. C. W.* — *B.* omitt.

testimonio erga nos: nam propter haec testimonia pronunciatur certo καὶ ὁρίζεται hic Iesus esse filius[1]) Dei natura, cum potentiam habeat divinam et immensam. Hoc significat verbum ὁρίζεσθαι, certo pronunciari. Opponit autem haec omnia Iudaicis opinionibus, qui expectabant Messiam praestantem quidem virum, sed tantum humanam naturam habentem, florentem victoriis heroicis, daturum opes, non novam naturam et aeternam vitam. At Paulus inquit, hunc Messiam esse potentem et dare Spiritum sanctificantem, per quem in credentibus incoatur nova lux, iusticia et vita aeterna et vincitur diabolus. Haec, inquit, est vera liberatio, quam patres et intellexerunt et experti sunt in exercitiis fidei, luctantes cum diabolo, cum morte, in variis periculis: ac longe maior est liberatione, quam vos expectatis[2]), qui Messiam arbitramini partiturum esse provincias, sicut Alexander distribuit regna suis commilitonibus[3]). Hos errores reprehendit Paulus hac quanquam brevi descriptione. Cum autem nominat hunc Christum, animo intueamur omnes veteres promissiones in Prophetiis, ut videamus eas vere cum hac Evangelii concione congruere et ut cogitatione beneficiorum Christi adcendamus fidem in nobis eumque invocemus. Nisi enim fides exerceatur in invocatione, non potest regnum et praesentia Christi intelligi.

Longum esset has tantas res explicare, ut earum magnitudo postulat. Cum autem modus quidam esse commentariorum debeat, non immorabor prolixius huic Epigraphae[4]), praesertim cum eaedem res saepe recurrant. Et pius lector admonitus de consilio autoris ac de summa sententiae, adsidua meditatione magnitudinem rerum contemplabitur et discet quomodo haec Christi noticia lucere debeat in vita, in invocatione, in periculis, in omni actione, ut sit nobis quoque filius Dei potens, liberator a peccato, a morte et a diabolo: ut sit nobis pontifex pro nobis interpellans apud Deum, sit dux noster, qui in calamitatibus nostris adiuvet nos, sicut pollicetur infirmis auxilium, inquiens: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Adolescentes syntaxin verborum diligenter observent, qua animadversa multum lucis adcedit sententiae. Paulus Apostolus vocatus ad docendum Evangelium de Iesu Christo, qui natus est ex posteritate David secundum carnem et declaratus est esse filius Dei per resurrectionem et dato Spiritu sancto, optat Romanis salutem.

---

1) filius *A. C. W.* filium *B.* 2) expectatis *B. C. W.* expectetis *A.* 3) commilitonibus *A. C. W.* commilitoribus *B.* 4) Epigraphae *B. C. W.* Epigraphiae *A.*

Per quem adcepimus gratiam[1]) *etc.*

[*Δι' οὗ ἐλάβομεν χάριν*, v. 5.]

Etsi supra se nominat[2]) Apostolum ac[3]) dicit se segregatum seu delectum esse ad munus docendi Evangelii, tamen non dixerat nominatim se a Christo vocatum esse. Quare hic nominatim hoc adiicit: Per quem adcepimus gratiam, id est reconciliationem cum Deo, et munus Apostoli ad obedientiam fidei, id est, ut obediatur fidei seu Evangelio concionanti de fide, apud omnes gentes. Id adiicit, ut obiter testetur et gentes vocandas esse ad Evangelium. Porro dixi supra adlegari[4]) autoritatem mandati muneris, ut sciamus necessario credendum esse huic concioni Pauli. Sic legas Paulum, ut existimes te non humanam disputationem legere, sed ipsum audire Deum tecum loquentem.

Gratia vobis et pax.

[*Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη*, v. 7.]

Primum optat eis gratiam, id est, reconciliationem et donationem Spiritus sancti. Deinde pacem, id est, cetera bona quibus opus est. Nam vocabulum Pacis generaliter significat Hebraica consuetudine res secundas et laetas. Est autem opus etiam Ecclesiae multis donis, doctrinae puritate, virtutum augmento, concordia, constantia, victu, hospitio. Haec omnia complectitur vocabulum pacis. Coniungit autem Deum patrem et Dominum Iesum Christum. Primum, ut moneat, nobis gratiam et cetera donari a Deo propter filium mediatorem. Deinde, ut sciamus quomodo haec certo nobis contingant, scilicet si propter filium petamus. Tertio significat Christum natura Deum esse, pari potentia cum patre regnantem, adiuvantem nos divina potentia, sicut promittitur in Psalm.: Adlevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos.

Exordium.

Membra orationis diligenter discernenda sunt, aliud enim aliis locis agitur. Hic praeparat animos lectorum, ut fit in exordiis: nondum disputat, nondum versatur in arce causae. Sed rhetorica quaedam praeponit[5]), gratulatur illis cognitionem Evangelii, significat suam erga illos benevolentiam, ait se cupere illorum stu-

1) gratiam *B.* — *A. C. W.* omitt. 2) se nominat *B.* cum se nominat *A. C. W.* 3) ac dicit *A. B.* — *C. W.* omitt. ac. 4) adlegari *A. B. W.* adligari *C.* 5) praeponit *A. B.* proponit *C. W.*

dium adiuvare. Deinde subiicit *αἰτιολογίας* sumtas a functione Apostoli.

Eruditi norunt talem commemorationem[1]) nostrae voluntatis in exordiis usitatam esse, nec difficile est partes exordii ad vulgaria praecepta conferre. Quatuor membris constat, gratulor vobis cognitionem Evangelii et opto ut ea cognitio in vobis crescat. Deinde sequitur exordii propositio: Cupio vos coram docere. Cui adtexit statim adversativam: sed hactenus detinuerunt me harum regionum Ecclesiae, ut ad vos proficisci non potuerim. Tertio sequitur ratio propositionis, cur illos coram docere cupiat: Quia, inquit, debeo iuvare Evangelii studia apud omnes, eruditos et ineruditos. Haec omnia pertinent ad locos conciliandae benevolentiae.

Altera *αἰτιολογία* reddit lectorem adtentum, a dignitate Evangelii sumta: Non pudet me Evangelii. Hanc vocem opponit impiorum omnium iudiciis. Nam Epicurei in mundo, quorum est ingens multitudo, contemnunt Evangelium et arbitrantur commenticium et stultum poëma barbarorum hominum esse. Plerique gubernatores Reipublicae etiam crudeliter oderunt hoc doctrinae genus, quo existimant turbari civitatum et imperiorum[2]) tranquillitatem, cupiunt extinguere tanquam facem seditionum et discordiarum civilium. Praeter hos hypocritae fascinati supersticionibus, ut tunc Iudaei et hoc tempore Monachi et horum similes, multo acerbius oderunt Evangelium quam alii, quia iudicant esse contumeliosum adversus Deum, cum vituperat supersticiosos cultus, quos isti tanquam summam pietatem et religiones angelorum admirantur.

Et hos furores in impiis diabolus immani odio Christi ardens auget et confirmat, intentus[3]) in occasiones, quibus irritare impellere et adcendere animos singulorum potest. Hos enim habet captivos et incitat obiiciens varias occasiones, sicut in idolomania et aliis horrendis lapsibus conspicitur diaboli potentia. Lucianus narrat quendam furenter amasse statuam Veneris et solitum complecti lacrimantem et deosculari. Ac possent multa narrari ex historiis horrenda auditu, quae cum aliena sint a communi consuetudine naturae, satis adparet proprie a diabolo orta esse. Quae cum legimus, cogitemus diabolum non habere ociosam tyrannidem, sed horribiliter impellit impios ad nefaria scelera. Quare nihil miremur eum posse adcendere odia et saeviciam in hypocritis et tyrannis.

Videbant Pharisaei aboleri ceremonias legis et traditiones

---

1) commemorationem *C. W.* commorationem *A. B.* 2) imperiorum *A. B. W.* impiorum *C.* 3) intentus *A. B.* intuens *C. W.*

suas. Fremebant igitur et querebantur[1]) Deum contumelia adfici, prohiberi opera Deum placantia, concedi licentiam peccandi. Deinde videbant abolita lege mutari Rempublicam suam, confundi discrimen sacerdotum et populi, tolli et[2]) Reipublicae praecipuum decus, videlicet ἀξίωμα ἱερατικόν. Talis mutatio ingentem dolorem adfert sapientibus. Has flammas odii augebat diabolus, incendebat Principes ad crudelitatem, ad interficiendos Apostolos.

Ita et hoc tempore superbissime deridemur ab Epicureis, quod Evangelium non esse commenticium sentimus, quod serio sentimus ei obtemperandum esse. Reges et Principes fremunt turbari tranquillitatem civitatum dissimilitudine doctrinae. Pontifices nolunt reprehendi idolatriam, ne autoritas eorum labefiat, Monachi metuunt quaestui: pauci superstitione fascinati contendunt prohiberi bona opera. Ex tot causis existit immanitas odiorum contra Evangelium: sed nos contra ingenti animo statuamus non esse abiiciendam Evangelii professionem. Non pudeat[3]) nos huius doctrinae. 'Non est enim inanis fabula, non est barbarica superstitio, sed est sententia Dei patefacta divinitus, qua vult hominibus impertire salutem aeternam.

Est Deus conditor omnium rerum ac generis humani, is non voluit prorsus perire genus humanum, quod condiderat ut in eo luceret Dei noticia. Quare se ab initio certis testimoniis patefecit patribus eisque Evangelium tradidit. Nec alia est usquam doctrina de hac voluntate Dei, certa autoritate adcepta aut confirmata veris testimoniis coelestibus, nisi haec Evangelii doctrina. Quare non aspernemur eam, sed ei obtemperemus ac sciamus Deum vere praestare quae [hic][4]) pollicetur. Infigamus ergo animis hoc dictum Pauli: Non pudet me Evangelii, ut nos adversus iudicia impiorum erigat.

Etsi autem in exordio nondum disputat Paulus, tamen haec ἠθικὰ continent quinque utiles locos. Primus est de cultu spirituali. Ait se servire Deo in spiritu per munus concionandi. Hic docet praecipuum cultum esse docere et discere Evangelium, quod meminisse studiosi et pii debent, ut hos cultus maiore[5]) cura Deo praestent.

Secundus est de mutua confirmatione. Paulus cupit illos docere et confirmare ac vicissim ab eis excitari. De hac mutua confirmatione inquit Christus ad Petrum: Et tu conversus confirma fratres tuos. Prodest piis audire piorum et peritorum testimonia de doctrina.

---

1) querebantur *B. W.* quaerebantur *A. C.* 2) et Reipublicae *A. B.* ex Republica *C. W.* 3) pudeat *A. B. W.* pudet *C.* 4) quae hic pollicetur *C. W.* — *A. B.* hic omitt. 5) maiore *A. C. W.* maiori *B.*

Tertius de apostolico officio. Debitor, inquit, sum sapientibus et insipientibus. Gloriosa profecto vox videtur. Audet Apostolus profiteri se etiam sapientes posse docere. Qualis haec adrogantia visa est proceribus Romanis, erronem Iudaeum polliceri se etiam sapientum magistrum esse! Plerunque excellentes ingeniis et doctrina, praesertim si adcedat persuasio sanctitatis de sese, nimium se ipsi admirantur ac sibi divinos honores tribui postulant, quales vidi aliquos. Tales ex alto despiciunt Paulum ac derident hanc vocem, qua se magistrum[1]) esse sapientum dicit. Sed nos meminerimus Apostolum esse, qui adfert non humanam doctrinam sed coelestem: ut Elias, Elisaeus, Esaias erant Regum et Pontificum doctores et gubernatores, sic audiamus et Paulum, nec pudeat sapientes a Deo discere, cum toties experiamur humanam sapientiam turpiter hallucinari ac procul deerrare, ut omnes sapientes questi[2]) sunt. Et Deus inquit: Perdam sapientiam sapientum, ut profecto omnium temporum historiae ostendunt et quotidiana vita testatur.

Pertinet autem ad Apostoli officium utrosque docere, sapientes et insipientes, adtemperare se etiam ad imbecillium captum debet, sicut Paulus inquit 1 Cor. 3: Ut carnalibus, ut infantibus in Christo concionatus sum, lacte vos potavi. Ita doctores et gubernatores Ecclesiarum proponant utilia et se ad discentium captum adtemperent. Imperiti et rudes, cum non audiunt diserte explicata, interdum falsas persuasiones concipiunt, ut saepe animadverti. Iam ad imaginem Pauli conferantur Pontifices et Monachi. Paulus ait se debitorem esse ut doceat, est obligatus[3]) mandato Dei ad hoc munus. At Pontifices ne volunt quidem docere, sed tantum tyrannico more dominationem tueri. Confirmaverunt idolatriam in Ecclesia ortam a diabolo, videlicet profanationem coenae Domini, invocationem divorum, Monachatum et similia: confirmaverunt libidines nefaria lege de coelibatu. Nunc admoniti mordicus retinent teterrimos errores et turpitudinem, ac ne quidem praetexunt doctrinam, fatentur se errare, sed aiunt opes potentiam autoritatem propugnandam esse. Ideo tantum crudelitate suppliciorum defendunt sua scelera, ut Nabugdonosor iussit in fornacem adcensam iniici omnes qui nollent adorare statuam. Summa dissimilitudo est inter Apostolum et tyrannum, ut inter pios angelos et diabolos. Nam et boni doctores vocantur angeli Dei apud Malachiam, et tyrannus est vere organum diaboli in mundo. Ideo haec verba Pauli diligenter expendamus, quae quidem testantur Pontifices adversantes Evangelio non esse habendos pro Episcopis ac

---

1) magistrum *A. B. W.* magistratum *C.* 2) questi *A. B. W.* quaesti *C.* 3) est obligatus *A. C. W.* est igitur obligatus *B.*

successoribus Apostolorum, sed vitandos tanquam tyrannos eiectos extra veram Ecclesiam. Episcopus est debitor conscientiae subditi, quare non debet ei legem imponere, qualis est lex de coelibatu, cui sine sceleribus et offensione Dei obtemperare non potest. Deinde satellites tyrannorum, scriptores et Monachi quid[1]) docent? Sapientibus proponunt pueriles traditiones de vestitu, de cibis, de pompis ceremoniarum. Has ornant et pingere iam eloquentia incipiunt: sicut nunc quidam[2]) allegorias gestuum comminiscuntur, ad in templis excusandam superstitionem[3]). Haec doctrina quid conducit sapientibus? qua[4]) revocantur ad puerilem disciplinam et πτωχὰ στοιχεῖα κόσμου, cum audire deberent doctrinam ignotam rationi de interioribus viciis, de dubitatione, de diffidentia, de securitate, de admiratione nostrae sapientiae et iusticiae, de infirmitate quaerente praesidia humana contra mandata Dei. Sicut reges Iuda confugiebant iam ad Assyrios iam ad Aegyptios, cum Deo diffiderent. Rursus erigendi erant veris consolationibus spiritualibus, ne succumbant, cum fefellerunt eos humana consilia aut humani errores. Haec est sapientum doctrina, in qua crescit agnitio Dei. Quomodo erudiunt insipientes? Duo genera doctrinae regnant apud adversarios: Labyrinthi quaestionum in Longobardum, quos ne ipsi quidem professores intelligunt: et excerptae summae ex Iure canonico, quae colligunt peccata contra traditiones humanas. Utraque res est infinita, plena errorum et perplexitatis. Quare multi boni viri ante haec tempora optaverunt emendationem doctrinae ecclesiasticae. Quid quod multa sunt idolatrica[5]), quam sunt futiles disputationes in quarto sententiarum: An mus rodens panem[6]) Sacramenti rodat corpus Domini? Horresco referens. Ibi illud erat monendum: Sacramenta actiones esse nec spectacula aliena ab instituto usu Sacramenta esse. Possem multa exempla recitare futilium quaestionum, sed libri sunt in promtu, qui satis ostendunt opus fuisse doctrinae emendatione. Notus est Ovidii versiculus:

Quodque parum novit, nemo docere potest.

Sit igitur prima cura docentis Evangelium, recte ut ipse teneat[7]) summam doctrinae Christianae, ex qua deinde poterit eligere utilia ad utrosque docendos, ad erudiendos rudiores et ad[8]) admonendos

---

1) quid e conict. — *A. B. C. W.*: quos. 2) quidam *B. C. W.* quidem *A.* 3) Sic *A.* — *B.*: ad excusand. superst. quae pervasit in templa. *C. W.*: alleg. gest. in templis commin. ad excus. superstitionem. 4) qua *A. B.* qui *C. W.* 5) idolatrica *A. B. W.* — *C.*: idolatria. 6) panem *A. B. W.* patrem (!) *C.* 7) recte ut ipse teneat *A. B.* ut ipse recte teneat *C. W.* 8) ad *A. B.* — *C. W.* omitt.

ac corrigendos sapientes, sicut Paulus corrigebat Petrum, Esaias Ezechiam etc.

Quartus locus consolatio est: confirmat enim nos suo exemplo, inquiens: Non pudet me Evangelii, ne deterreamur ab Evangelio iudiciis mundi. Etiamsi Epicurei derident nos tanquam amentes, proptera quod Evangelium sentimus non esse inanem fabulam: etiamsi tyranni et hypocritae delere nomen Christi ingenti acerbitate suppliciorum conantur, tamen non sinamus nos abstrahi ab hoc genere doctrinae, et hanc professionem nobis gloriosam esse coram Deo, filio eius, piis angelis et Ecclesia universa statuamus[1]). Haec iudicia respiciamus et sciamus nobis per hanc doctrinam vere exhiberi promissa beneficia, scilicet reconciliationem et vitam aeternam.

Quintus locus est insigne et memorabile dictum de ministerio verbi, quod videlicet dentur remissio peccatorum, Spiritus sanctus et incoatio vitae aeternae per vocem Evangelii auditam, lectam seu cogitatam. Cum voce Evangelii sustentantur animi in pavoribus, Spiritus sanctus simul est efficax, ut infra dicitur: Fides ex auditu est. Idem hic sentit, inquiens: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, id est, est instrumentum per quod Deus est efficax, dat Spiritum sanctum, non ut fingunt Pharisaei ex opere operato, sine cogitatione mentis, sed Deus iubet fide adcipi Evangelium. Et cum adcipit mens, luctatur cum pavoribus et diffidentia. Ideo ad Galat. dicitur: Ut promissionem spiritus adcipiamus per fidem. Addit autem summam Evangelii, quae est propositio totius disputationis, quae sequitur: Iusticia Dei in eo revelatur ex fide in fidem. Haec est summa omnium beneficiorum Christi. Nam reconciliatis Deus adest, donat eos nova luce et aeterna vita, exaudit et defendit eos in omnibus calamitatibus. Quare cum nominat iusticiam Dei, complexus est omnia beneficia Christi.

Porro genus sermonis observetur: Iusticia Dei, id est, adceptatio divina, qua nos Deus recipit et adprobat, haec patefit in Evangelio. Estque antithesis observanda, quasi dicat: Antea legem habetis, in qua patefit iusticia legis, sed propter legem nondum habebatis iusticiam Dei, id est, non eratis adcepti Deo. At in Evangelio patefit iusticia Dei, hoc est, adceptatio, qua nunc Deus nobis[2]) certo propicius est, remittit peccata et reputat nos[3]) iustos. Ideo sequitur: Patefit ex fide in fidem[4]). Id quoque opponitur iusticiae legis, quasi dicat: Lex docebat esse iusticiam satisfacere legi: At nunc patefit iusticia ex fide, id est,

---

1) Sic *B.* — *A.* omitt. *C. W.*: hanc profession. sciamus etc. 2) nobis *A. B.* vobis *C. W.* 3) nos *A. B.* vos *C. W.* 4) Sic *A. B. C.* — *W.*: patefit iusticia ex f. in fid.

iusticia per misericordiam imputata. Nam cum vocabulum fidei legimus, statim veniat in mentem correlativum, scilicet misericordia promissa. Sermo Paulinus redolet phrasin Hebraicam: aliter enim loquitur Cicero, cum ait de Caesare: Dextram tuam fide praestantem. Quare phrasis in Paulo observanda est, ubi fides significat fiduciam misericordiae propter Christum promissae. Quare cum[1]) nominat iusticiam fidei, intelligit iusticiam quae imputatur per misericordiam. Et hanc opponit iusticiae legis, quae esse debebat[2]) perfecta obedientia iuxta legem. Hanc autem cum nemo praestare possit, cum haec misera natura hominum sit captiva peccati, patefit in Evangelio nova iusticia, scilicet iusticia imputata per misericordiam. Sed tamen hanc fide, hoc est agnitione et fiducia Christi adcipi oportet, ut inquit Esaias: Noticia Christi iustificabit multos, quasi dicat: Cum lege homines non sint iusti seu adcepti Deo, sed habeant peccata, Deus vult eis ita remittere peccata et esse propicius, si agnoverint eum haec beneficia velle impertire propter filium, qui est victima et placator. Haec est simplex et nativa enarratio.

Ait autem: Ex fide in fidem, id est, ex imperfecta fide in perfectiorem. Patefit quidem misericordia, sed non omnibus contingit, quia Deus vult eam fide adcipi: sed cum multi nolint adcipere et aspernentur hanc ineffabilem bonitatem, pereunt. Nec fides est ociosa noticia, sed crescere eam in adsidua lucta, in invocatione, in omnibus negociis et periculis oportet. Semper luceat in cordibus, quod Deus propter filium mediatorem nobis sit propicius, [sit][3]) opitulaturus. Et hac fide invocemus eum et petamus omnium negociorum et periculorum gubernationem. Ita crescunt in cordibus piorum fides et vera agnitio Dei. Quod autem vera sit sententia, quam proposuit[4]), videlicet fide homines iustos esse, mox addit testimonium, ut auditor sciat Paulinas conciones vere congruere cum propheticis et renovare Apostolos Prophetarum doctrinam.

Iustus ex fide vivet[5]).

[*Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται*, v. 17.]

Perspicua est antithesis in Galat. ubi inquit: Quod autem lege nemo iustificetur manifestum est, quia iustus ex fide vivet. Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea vivet in illis. Hic manifeste definit iusticiam legis esse facere legem, hoc est, praestare perfectam obedientiam legi. At nemo hanc praestat, ideo proponitur

1) quare cum *A. C. W.* cum igitur *B.* 2) debebat *B. C. W.* debeat *A.* 3) sit *C. W.* — *A. B.* omitt. 4) proposuit *A. C. W.* praeposuit *B.* 5) vivet *A. B.* vivit *C. W.*

alia iusticia, scilicet iusticia per misericordiam imputata credenti, confugienti ad misericordiam. Cum igitur Propheta inquit: Iustus ex fide vivet, docet ita nos demum[1]) iustos esse, non cum legem intuemur, non cum virtutes nostras et facta proponimus Deo: sed cum fide, id est fiducia misericordiae statuimus nobis Deum propicium esse, nos exaudire, velle servare, et expectamus salutem propter promissum liberatorem[2]). Haec est[3]) sententia dicti prophetici. Observabis autem fidei duas laudes ingentes tribui, quod videlicet fide et iustificemur et vivificemur. Deus enim ideo filium suum pro nobis dedit, ideo nobis fit propicius, ne pereamus, sicut inquit iurans: Vivo, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Cum mens perterrefacta fide statuit remitti sibi[4]) peccata, simul liberatur a pavoribus et concipit veram consolationem, quae est incoatio in nobis vitae aeternae, sicut Christus inquit: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum et quem misisti Iesum esse Christum. Quare sciamus simul cum remissione peccatorum et reconciliatione coniunctam esse donationem Spiritus sancti, sciamus regnum Christi in Ecclesia, hoc est iustis, non esse ociosum, sed vere adesse nobis filium Dei, vere destruere opera diaboli, propugnare, adiuvare et servare credentes. Haec omnia complectitur vox Prophetae, cum promittit vitam, id est laeticiam, victoriam, aeternam salutem credenti.

Sed sycophantae quidam calumniantur gnomas a Paulo citatas, dicunt male detortas esse ad Paulinam causam. Hoc inquiunt agebat Paulus, homines reconciliari Deo per fidem in Christum: at Propheta non dixit in eo loco de Christo. Item cum alibi citat dictum de fide Abrahae: Abraham credit se habiturum posteros ex se propagatos. Quid haec fides, inquiunt, ad Pauli causam pertinet? Respondeo: Tenenda est regula, quod etiam cum fides versatur circa corporalia obiecta seu beneficia, tamen semper expectationem corporalis beneficii in credente praecedit fides, quae est fiducia misericordiae et adcipit remissionem peccatorum. Iacob expectat defensionem contra hostes, David expectat victoriam, sed ideo expectant, quia sentiunt se habere Deum propicium. Nam conscientia non potest alia beneficia a Deo petere aut[5]) expectare, si sentiat eum nobis iratum esse, nos non exaudire. Necesse est igitur semper praecedere fiduciam misericordiae. Et dicta de fide in genere semper complectuntur articulum de remissione peccatorum. Sic in oratione quotidiana, cum petimus panem quotidianum, veniat in men-

1) nos demum *A. B.* demum nos *C. W.* 2) propter promissum liberatorem *B.* — *A. C. W.* omitt. 3) est *A. B. W.* ex *C.* 4) remitti sibi *B.* sibi remitti *A. C. W.* 5) aut *A. B.* et *C. W.*

tem hanc petitionem nostram exaudiri, si Deus sit nobis propicius, et esse propicium propter Christum. Ideo statim sequitur: Et remitte nobis debita nostra.

Sed quaerat aliquis: Unde norant patres hanc doctrinam de fiducia misericordiae et de remissione peccatorum? Respondeo: De hoc articulo pugnabant Prophetae cum doctoribus legis. Ideo tot Psalmi, tot dicta Prophetarum vociferantur homines non esse iustos lege et inculcant conciones de misericordia. Et Esaias diserte inquit, Messiam venturum victimam fore[1]) pro peccato. Renovabant igitur promissionem primum Adae, postea Abrahae factam de venturo liberatore, intelligebant Deum promisisse reconciliationem propter illum liberatorem et benedictorem, de quo dictum est: Caput serpentis conteret. In hanc promissionem intuebantur et norant promissioni credendum esse, propter hanc expectabant omnia cetera beneficia. Ad hanc promissionem de venturo liberatore referebant ceteras promissiones. Vaticinantur Prophetae rediturum esse populum ex Babylone, quia norant oportere Messiam nasci ex Iuda et palam edere Evangelium in Sion. Hanc principalem promissionem intuentur[2]), cum promittunt alia beneficia: ut nunc quoque credere debemus Deum conservaturum esse ministerium Evangelii, quare servabit aliquos ministros et suppeditabit eis defensionem et alia necessaria vitae commoda[3]). Sic nos includemus[4]) in promissionem gratiae cetera commoda: Cum Deus nobis sit propicius propter Christum, petimus cetera beneficia. Est enim opus Ecclesiae vita ministrorum victu pace civili.

Haec in genere respondi de dictis, in quibus fit mentio fidei. Ceterum dicta quae citat Paulus etiam nominatim de liberatore promisso concionantur, Abacuc loquitur de expectando liberatore illo, qui erat patribus promissus, ut ostendit textus. Et Abraham credit non tantum se habiturum liberos, sed illud semen, quo benedicendae erant omnes gentes. Scio ab astutis multas cavillationes excogitari posse ad eludenda et obruenda haec testimonia. Nam sapientia humana, quia iusticiam fidei non intelligit, non adcipit dextre dicta Prophetarum, sed varie detorquet. Pii vero consensum totius scripturae propheticae et vera exercitia fidei intuentes facile intelligent haec dicta recte a Paulo ad praesentem causam de remissione peccatorum adcommodari.

---

1) Mess. venturum vict. fore *B.* Mess. venturum victimam *A.* Mess. futurum victimam *C. W.* 2) intuentur *B. C. W.* intueantur *A.* 3) commoda *B. C. W.* incommoda *A.* 4) includemus *A. C. W.* includamus *B.*

Revelatur enim ira Dei de coelo.

[*Ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ*, v. 18.]

Horrendum est initium ac fulmen quo incoat disputationem, qualia sunt initia in concionibus propheticis, ut Esaiae primo: Audite coeli et auribus percipe terra, vae genti peccatrici etc. Una est enim concionum propheticarum et apostolicarum forma, quam Christus complexus est his verbis: Ite praedicantes poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine meo. Ita Paulus cum quidem aptissimam *μέθοδον* doctrinae Christianae instituat, primum ponit propositionem, quae est doctrina poenitentiae seu arguens peccata. Supra enim absolvit exordium, nunc incipit controversiam explicare. Et duas propositiones tradit, quarum altera aditum ad alteram patefacit. Prima propositio est: Evangelium arguit omnes homines ac pronunciat omnes sub peccato esse, id est reos peccati et aeternae mortis, nec posse liberari a peccato et aeterna ira per propriam iusticiam. In hac[1]) propositione commoratur per duo capita. Vult enim omnes ad poenitentiam vocare: vult nos vere expavescere iudicium Dei, ut quaeramus salutem ac agnoscamus liberatorem, per quem promissa est reconciliatio et salus. Sequitur ergo in tertio capite principalis propositio, quod homines consequantur remissionem peccatorum et reputentur iusti et liberentur ab aeterna morte non propter propriam iusticiam, sed per misericordiam propter Christum gratis. Et hoc fide fit, cum credimus nobis propter filium Dei patrem placatum et propicium esse. Et haec est principalis propositio huius Epistolae et status disputationis ac summa Evangelii. Sed priusquam ad hanc propositionem pervenit, altera prius tractatur: non enim potest tradi consolatio, nisi prius arguantur peccata. Et Deus postulat poenitentiam, sicut et Ioannes et Christus suas conciones incoant: Agite poenitentiam. Et Christus inquit [Ioan. 16, 8]: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, de iusticia et de iudicio. Et Esaias: Ubi habitabit Dominus? In spiritu contrito et tremente sermones meos. Et usus est Paulus atrocibus verbis, cum ait Revelari iram Dei de coelo. Minatur aeternas poenas omnibus qui non expavescunt nec confugiunt ad filium Dei. Vides igitur cohaerere[2]) Pauli sententias et seriem in docendo congruere cum concionibus Prophetarum et Christi.

Arguit autem Evangelium non tantum externa delicta, quae ratio iudicare potest, sed etiam immundiciem cordis in omnibus hominibus, ideo sic dicit: Revelatur ira[3]) Dei de coelo, hoc est praedicatur in Evangelio divinitus tradito adversus omnem impie-

1) hac *A. B. W.* hoc *C.* 2) cohaerere *B.* congruere *A. C. W.* 3) ira *A. B. W.* ita *C.*

tatem et iniusticiam[1]) hominum. Hebraismus est transposita particula Omnem: cum sit sententia, super impietatem et iniusticiam omnium hominum: postea enim diserte et expresse dicet se adcusare omnes homines.

Significat autem impietas proprie vicia pugnantia cum prima tabula, ignorationem Dei, vacare metu dilectione fiducia Dei, habere securitatem et contemtum Dei, indignationem et fremitum adversus Deum in adflictionibus, fiduciam propriae sapientiae, iusticiae, operum[2]), quaerere praesidia humana contra mandatum Dei, anteferre mandatis Dei fortunas nostras voluptates existimationem gloriam vitam, sicut haec anteferunt qui fugiunt pericula confessionis, ludere fingendis opinionibus falsis de Deo, delectari Epicureis aut Academicis erroribus et non vere adsentiri verbo Dei. Denique immensa est moles viciorum pugnantium cum prima tabula, quae omnia complectitur nomine impietatis. Iniusticia generale nomen est, complectens omnia peccata contra Deum et homines: significat enim universalem inobedientiam.

Qui veritatem in iniusticia detinent.

[*Τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων*, v. 18.]

Veritatem vocat noticiam Dei seu legem naturae. Cum enim arguuntur peccata in praedicatione poenitentiae, citatur lex, sicut Paulus inquit: Per legem cognitio peccati. Ita hic adlegat legem naturae, ait omnes homines habere aliquam Dei noticiam. Per hanc adcusat et condemnat omnes: Quia enim scimus legem, et tamen non obedimus: Lex quae est iudicium Dei adcusat et condemnat omnes.

Primum igitur admonendi sunt studiosi, ut diligenter discernant legem et Evangelium. Aliqua legis noticia nobiscum nascitur, etsi in hac depravatione naturae humanae est obscurior, non tamen prorsus obliterata est. Sunt autem hae noticiae de Deo: Quod sit Deus unus, immensae potentiae, sapiens, iustus, bonus, conditor et conservator naturae, puniens iniustos et sceleratos, exaudiens et servans, non gratis, non reos peccati, sed iustos ac mundos, quod Deo sit obediendum, quod praecipiat honesta ac prohibeat turpia, quod inseverit animis nostris discrimen honestorum et turpium. Hae sunt naturales noticiae, quas audimus nobis in conscientia perpetuo concionantes. Non novit ratio naturalis gratuitam condonationem aut reconciliationem propter Christum, sed est legis noticia requirens condicionem nostrae obedientiae: iudicat[3]) eos tantum placere Deo, qui sunt sine peccato. Haec est naturalis vox conscientiae.

---

1) iniusticiam *A. B. W.* iusticiam *C.* 2) operum *A. B.* opum *C. W.* 3) iudicat *A. C. W.* ac iudicat *B.*

Sed Evangelium promittit gratuitam condonationem et reconciliationem propter filium Dei. Haec noticia non nascitur nobiscum, sed est revelata divinitus, ut Ioannes inquit: Filius qui est in sinu patris, ipse enarrat nobis. Et quia dissentit a naturali voce conscientiae et a chirographo contra nos scripto in nostris mentibus, ideo difficile est adsentiri promissioni gratuitae reconciliationis. Haec initio meminisse lectorem oportet, noticiam naturalem de Deo esse quandam legis noticiam, ne intempestive confundat legem et Evangelium.

Mira est autem[1]) Pauli concio et longe superans Philosophorum cogitationes, ait in nobis esse noticiam, quam vocat veritatem. At Epicurei et Academici has ipsas noticias obruerunt, sed mentientes et pugnantes cum ipsa natura hominis: haeret enim aliqua in nobis de Deo noticia, ut dictum est. Deinde addit Paulus, Hanc ipsam noticiam detineri in iniusticia, id est, voluntatem hominis seu cor non adsentiri his noticiis nec obtemperare. Multo penitius introspexit mentes humanas, quam Philosophi. Hic colligit ingentia vicia. Esse Deum utcunque statuit mens, sed quia videt florere improbos et duriter exerceri bonos, et quidem a sceleratis, a tyrannis crudeliter interfici, incipit dubitare an Deus curet res humanas, an puniat sceleratos, an benefaciat bonis. Iudicat Deum aut non curare res humanas, aut esse crudelem, qui tam imbecillem naturam oneraverit tantis calamitatibus. Ex hac dubitatione et caligine oriuntur multa vicia: Cor vacat metu, fiducia, dilectione Dei: Et cum sit sine freno, obtemperat cupiditatibus contra noticias naturales. Etiamsi scit Paris iniustum esse rapere alterius coniugem, tamen gerit morem suae libidini, contemto Deo. Erudite igitur descripsit Paulus infirmitatem humanam, adtribuit homini noticiam aliquam et tamen testatur huic noticiae nec adsentiri nec obtemperare voluntatem seu cor, quod est aversum a Deo et sine motibus divinis, sese amat non Deum, ideo rapitur motibus errantibus ac variis contra mandatum Dei. Haec omnia significat Paulus, inquiens veritatem detineri tanquam captivam in iniusticia, id est pravitate voluntatis seu cordis, quae est ut infra dicitur inimicicia adversus Deum.

Quatenus enim Deus cognosci potest, notus est eis.
[*Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς*, v. 19.]

Expositio est superioris propositionis: Hic enim adlegat legem naturae et expresse dicit, quae sit illa veritas in mentibus hominum arguens et adcusans nos. Est noticia inquit de Deo, et ceterae noticiae, quae vocantur leges naturae. Syntaxis observanda est: Invisibilia eius, videlicet aeterna potentia eius et

1) est autem *A. B. C.* autem est *W.*

divinitas conspiciuntur ab opificio mundi, animadversa ex operibus. Divinitas eius et aeterna potentia, id est, quod sit Deus, aeternus, potens, sapiens, iustus, bonus, puniens iniustos, exaudiens et adiuvans iustos. Haec, inquam, agnoscit mens intuens opificium mundi. Nam ex multis vestigiis ratiocinatur ista de Deo. Neque tamen haec[1]) ratiocinaretur, nisi etiam insita esset menti noticia quaedam[2]) seu προλήψις de Deo. Quare prius inquit: Deus manifestavit eis. Postea autem foris admonita mens conspectu mundi et ordine operis, cogitat non potuisse haec casu existere aut oriri, sed haud dubie ab aliqua mente aeterna condita et distributa esse. Nihil dubium est homines praecipue conditos esse, ut in eis luceret noticia Dei. Patefacere se Deus voluit et ab humano genere agnosci ac celebrari. Ideo in mente humana fulsit admiranda lux et clara ac illustris noticia de Deo, insita ei in condicione. Ac si non adcessisset caligo per morbum originis, mens humana fuisset tanquam speculum, ostendens ut ita dicam imaginem, hoc est multas perspicuas noticias de Deo. Ideo scriptum est mentem esse quandam Dei imaginem. Nec dubium est hunc totum mundum conditum esse, ut dicat testimonium de Deo. Ordo operum perspicue monstrat non potuisse haec casu oriri. Et si natura hominis mansisset integra, hac philosophia praecipue fuisset occupata, considerasset vestigia divinitatis in natura et praedicasset sapientiam et bonitatem architecti. Sed postquam caligo subiit mentes propter morbum originis, non fulget imago et noticiae naturales sunt admodum obscurae et cor seu voluntas propter aversionem a Deo non satis adsentitur illis noticiis, nec constanter eas propugnat facileque sibi excuti etiam veras noticias de Deo sinit, obiectis aliis persuasionibus: ideo tanta fuit manetque inter homines dissensio de Deo. Philosophi omnes de providentia dubitarunt, quia etsi aliqui movebantur natura, ut esse Deum statuerent, tamen an curaret res humanas dubitabant, cum viderent res secundas sceleratorum et iustos opprimi a sceleratis. Hac offensione perturbati animi postea magis ruunt, et offundit nebulas maiores diabolus, ut multi athei omnibus temporibus prorsus negarunt esse Deum seu aliquod aeternum numen, sicut Cyclops apud Homerum et Euripidem: sed hi pugnant cum suis mentibus et mentiri se norunt.

Itaque cum tanta caligo sit humanae mentis ac levitas, ut etiam vera argumenta facile nobis excutiantur, praecipua cura sit ut confirmemus nos verbo Dei. Nam et lex divina ideo promulgata est, ut renovaretur Dei agnitio. Sed tamen, quia non prorsus[3]) deleta est in animis noticia naturalis, excitemus eam et aspiciamus vestigia Dei in natura rerum. In Actis scriptum est Deum adeo

---

1) haec *A. B. W.* hae *C.* 2) noticia quaedam *A. B.* quaedam noticia *C. W.* 3) prorsus *A. B. W.* prursus *C.*

prope adesse, paene ut manibus contrectari possit. Nec frustra impressa sunt naturae tot vestigia Dei. Admoneri nos Deus vult per has notas, vult eas considerari et agnosci autorem. Ideo studiosi quaerant haec vestigia, sed ita ut tamen regulam teneant, scilicet verbum Dei. Postea profecto ad confirmandas bonas opiniones multum prodest tenere infixas animo veras rationes, quae testantur esse Deum conditorem et conservatorem rerum. Et eruditus physicus multa apte colligere potest. Itaque Philosophi qui dextre physicen tractarunt honestius de Deo senserunt, ut Galenus. Econtra Epicurei, ut physica turbarunt, ita nec vestigia Dei in natura aspicere voluerunt, quare illa Cyclopica de Deo furenter professi sunt. Recitabo igitur breviter novem argumenta sumta[1] a natura, quae testantur esse Deum conditorem et conservatorem rerum.

Primum. Maxime illustria testimonia sunt de Deo mens humana et discrimen honestorum et turpium impressum menti. Inde sumitur argumentum: Homo habet mentem, homo aliunde oritur, Ergo necesse est eum ab aliqua aeterna mente ortum esse, quia impossibile[2] est mentem a natura bruta oriri. De hoc argumento nos et Psalmus admonet: Qui fecit oculos, non videret etc.

Secundum. Discrimen honestorum et turpium naturaliter notum est humanae menti. Id impossibile est casu extitisse aut a bruta natura profluxisse. Ideo necesse est fateri Deum esse conditorem. Id argumentum labefactare nemo potest, vel si Cyclopes Gigantes Epicurei Academici Mezentii et similes omnes concurrant et coniunctis viribus coelo bellum inferre conentur. Fateri eos[3] necesse erit discrimen honestorum et turpium non casu extitisse, sed ab aliqua mente ordinatum esse.

Tertium. In atrocibus delictis omnes homines naturaliter expavescunt et iudicant Deum esse ac delicta punire[4]. Ergo utraque noticia insita est menti humanae, et quod sit Deus et quod scelera puniat. Quantumvis furit Mezentius, tamen necesse est eum saepe conscientia suorum scelerum perterrefieri. Clamitat igitur in eius animo, vel si repugnet, esse Deum vindicem scelerum. Alioqui cur non vere laetatur animus post facinus atrox, sicut vere laetatur recordatione recte factorum.

Quartum. Ab ordine rerum in tota natura. Videmus quam certae sint leges motuum coelestium, certum numerum specierum, et propagari similia ex similibus non promiscue alia ex aliis. Videmus causas finales rerum: Singula nascuntur ad aliquam utilitatem. Est et mirabilis consensus superiorum et inferiorum cor-

---

1) sumta *A. B. W.* — *C.* omitt. 2) impossibile *A. B. W.* impossibili *C.* 3) eos *C. W.* nos *A. B.* 4) delicta punire *A. B.* punire delicta *C. W.*

porum. Motus coelestes certas vices aestatis et hiemis ad utilitatem viventium efficiunt. Quid fontium et fluminum perennitas? Quid in corpore humano partium singularum distributio? Quid ipsa numeri et ordinis agnitio? Nonne testantur clare hanc naturam non extitisse casu, sed ab aliqua aeterna mente ortam esse? Impossibile est enim haec semper ita fieri casu, impossibile est noticias numeri et ordinis casu aut ex materia tantum ortas esse. O caecas hominum mentes, quae tam perspicuis argumentis, tam expressis vestigiis divinitatis non moventur, ut melius de Deo sentiant et eum revereantur!

Quintum. Ad ordinis considerationem pertinet et politici ordinis consideratio. In hoc quoque lucent sapientia et bonitas Dei: Quod natura humana ad societatem condita est, quod consociata multis vinculis, contractibus, pactis, iudiciis, imperiis, poenis. Totus hic ordo testatur humanum genus non extitisse casu.

Sextum. A poenis homicidarum et conservatione ac eversione imperiorum. Manifestum est homicidas retrahi ad poenas non humana diligentia, sed divinitus, ut conservetur societas vitae. Ita manifestum est imperia constitui non humanis viribus, sed ab aliquo numine, ac rursus everti propter tyrannides et libidines: quia Deus punit in societate civili atrocia delicta: sicut Tarquinius pulsus est: victi Lacedaemonii, cum quidam per vim stuprassent hospitis filias et postea eas interfecissent.

Septimum. A significationibus rerum futurarum. Multae sunt physicae significationes certae vel stellarum vel inferiorum corporum: ut certissima et perpetua experientia testatur, congressus stellarum humidarum in signis humidis significare pluvias, tempestates. Item, prodigia multa adparent sine certa lege, et tamen significantia. Item vera vaticinia, ut Danielis de imperiorum ordine. Hae significationes non possunt nisi ab aeterna aliqua mente proficisci.

Octavum. Heroici motus sunt motus supra naturam humanam[1]) et magnae alicuius utilitatis causa interdum contingunt hominibus, ut ad imperiorum constitutionem, aut ad artes illustrandas vitae utiles. Ergo oriuntur ab aliqua praestantiore natura et intelligente.

Nonum. A serie causarum. Causae sunt in natura ordinatae, ita ut necesse sit perveniri ad unam primam, quae non aliunde movetur, sed movet ceteras. Si est prima, necesse est eam ex sese habere vim movendi: Ergo est infinitae potentiae. Et esse aliquam primam necesse est: alioqui enim nullus esset ordo causarum, si sparsae essent in[2]) infinitum. Hoc argumentum in physicis prolixe

1) naturam humanam *A. B.* humanam naturam *C. W.*
2) in *A. B. W.* — *C.* omitt.

tractatur et satis firmum est: sed superiora sunt magis illustria, quae a natura mentis, a discrimine honestorum et turpium, ab ordine in natura et societate sumta sunt: quae quidem testantur non solum opificem esse Deum sed etiam vindicem, nosque ad timorem Dei invitant. Quare adolescentes talibus cogitationibus confirment animos. Nam quo diligentius haec argumenta consideramus, eo magis adsentimur, ut Plato inquit et nos ipsi experimur. Sciant autem studiosi omnia haec argumenta esse leges naturae, praecipientes ut agnoscamus Deum esse conditorem omnium et nos ei debere obedientiam. Atque ita adcommodat hoc loco Paulus. Cum autem supra in propositione adcuset omnes homines, nunc instituit distributionem: Primum concionatur gentibus, postea Iudaeis: ait gentes esse sub peccato, quia cum Deum norint non tamen glorificaverunt ut Deum nec ei gratias egerunt.

Non glorificaverunt ut Deum.

[*Οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν*, v. 21.]

Glorificare ut Deum est Deo aeterno rerum conditori tribuere hanc gloriam, quod sit Deus, id est aeternus, immensae potentiae, rerum conditor et conservator, sapiens, iustus, puniens iniustos, exaudiens et adiuvans iustos, eique obedire ac vere timere eius iudicium et vere ei credere et ab eo petere et expectare bona. Hunc honorem Deo tribuere omnes debebamus, idque vocat hic glorificare ut Deum.

Gratias agere est credere quod Deus sit rerum conditor, quod ei curae simus, quod vitam et alia bona ab ipso adcipiamus, auxilium et defensionem ab eo petere et expectare ac propterea eum agnoscere tanquam Dominum eique obedire, ne simus ingrati et contumaces adversus Dominum, et celebrare ac praedicare eius nomen, potentiam, bonitatem, iusticiam. Haec sunt opera primi et secundi praecepti necessaria et ad quae praecipue conditi sumus. Sed mundus ea non praestat: ideo vox Evangelii omnibus temporibus adcusat impietatem mundi. Nam homines alii sunt ἄθεοι, alii sunt idolatrae. His duobus modis peccant homines contra primam tabulam legis divinae. ἄθεοι, ut Cyclopes et Epicurei, prorsus negant esse Deum aut curare res humanas. Hos satis constat non glorificare Deum, non metuunt, non credunt ei, non invocant eum, iudicant inane nomen esse: id enim est glorificare Deum, tribuere ei gloriam potentiae, sapientiae, providentiae, bonitatis, iusticiae[1]): nec est exigua multitudo talium Cyclopum, etsi mirum est posse innatas noticias adeo obrui. Sed diabolus qui habet captivas mentes

1) Sic *B.* id enim est ei gloriam aliquam tribuere potentiae bonitatis iusticiae *A. C. W.*

hominum, is naturae alioqui infirmae offundit maiores errores: ac nunc quidem nonnulli literati praesertim Romae sapientiam putant esse, delectari his Cyclopicis opinionibus.

At idolatrae aliter errant, honorem Deo debitum transferunt in alias res. Est enim εἰδωλολατρεία tribuere divinitatem ei quod non est Deus, invocare id quod non est Deus: tribuere alteri honorem redemtionis, quam Christo: tribuere fiduciam operibus nostris, quae Deo debebatur: adligare Deum ad certos cultus et statuas contra suum mandatum: plus timere aut diligere aliud quam Deum. Haec proprie complectitur et significat εἰδωλολατρεία, ut vulgo vocant. Hinc facile intelligi potest mundum plenum esse Idolomania. De hoc cultu verum est dictum Poëtae: Primus in orbe Deos fecit timor. Securi sunt plerunque Cyclopes. Alii in periculis quaerentes Deum, ut ratio monstrat Deum esse opitulatorem, anxii non recte quaerunt Deum. Cum enim habeant opiniones legis et cogitent Deum exaudire iustos, cultores suos, bene meritos, invocant quidem, sed sine promissione gratiae, sine noticia mediatoris, ideo aut dubitant se exaudiri ac respici, aut induunt inanem fiduciam suorum cultuum, sicut apud Homerum inquit sacrificulus: Si gratas[1]) hostias tibi mactavi Phoebe, exaudias me. Prima est igitur impietas, quod aut dubitant se exaudiri a Deo, aut induunt fiduciam propriae iusticiae nec norunt mediatorem. Hoc errore admisso adcedunt multa scelera. Fiducia propriorum cultuum moventur homines, ut cumulent ceremonias et excogitent novos cultus et Deos: ut cum rustici putarent bonas tempestates impetrari ceremoniis, instituerunt cultum ut ad Iovis tonantis statuam certa[2]) sacrificia facerent. Milites, cum putarent ceremoniis impetrari victorias a Deo, instituerunt cultum, ut ad statuam Martis alia[3]) quaedam sacrificia facerent. Ita humana audacia excogitavit novos cultus, fiducia operum sine mandato Dei et contra mandatum Dei. Hinc longius aberrantes animi etiam numen quoddam tribuerunt statuis, ac deinceps alii aliis rebus, quo impellebat diabolus aut quo adfectus aliquis traxerat, tribuebatur divinitas[4]) statuis, pecudibus.

Nec tantum ab Ethnicis petantur exempla. Quid nunc fit? Homines invocant divos, prorsus ut olim Herculem aut Romulum invocabant Ethnici. Et alia sunt aliorum numina, milites invocant Georgium, nautae Nicolaum, avari Annam. Curritur ad statuas more gentium et aut ipsis statuis numen tribuitur, aut adligatur[5]) Deus ad statuas hac opinione, quod placatior sit ad hanc statuam: cum Deus nolit adligari[6]) ulli rei, ad quam se non expresso man-

---

1) gratas *B. C. W.* gratus *A.* 2) certa *B.* quaedam *A. C. W.* 3) alia *B.* — *A. C. W.* omitt. 4) divinitas *A. B.* divinitus *C. W.* 5) adligatur *B. C. W.* adlegatur *A.* 6) adligari *B. C. W.* adlegari *A.*

dato iubet invocari. Est igitur manifesta in mundo idolatria et hanc probant ac defendunt Pontifices et Reges. Luteciae quidam sustulerant ligneam statuam Mariae, fortassis ut supersticionem populi prohiberent, restituta est alia argentea, ut confirmaretur εἰδωλομανία. Deinde multiplex est idolatria in aliis cultibus. Tribuunt missae et votis honorem debitum Christo quod satisfaciant pro peccatis, quod mereantur remissionem peccatorum.

Cum igitur maneat impietas, videlicet Epicurea securitas et supersticio cuiuscunque modi, agamus poenitentiam, quaeramus verbum Dei et Deum recte colere et invocare vera fide discamus, regantur verbo Dei fides et opera iuxta illud: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Nam cum ab hac lucerna disceditur, statim infiniti errores obrepunt. Amplectamur igitur verbum Dei et oremus Deum ut per filium suum liberet nos ab omnibus erroribus et impietate, cum filium ideo nobis exhibuerit, ut destruat opera diaboli. Hortetur ad poenitentiam nos et magnitudo poenarum: Contemtus Dei et supersticio muniuntur etiam in hac vita caecitate et amentia. Homines deserti a Deo ruunt in omne genus flagicii et adcensis animis aliqua cupiditate amore odio diabolus offert occasiones. Quam foeda leguntur in historiis, quae recitare non volo. Quam foedus Alexander, qui videbat se donatum esse tanto regno et quod erat gloriosius[1]) ornatum esse tanta ingenii praestantia, is tamen inter pocula interfecit amicum, postea saeviit in optime meritos Principes, tandem in[2]) convivium ab amatore vocatus ibi[3]) dat poenas, cum ex intemperantia in morbum letalem incidisset. Haec et similia, hoc est maximam partem historiae mundi complectitur Paulus inquiens: Cum se esse sapientes gloriarentur[4]), stulti ac vani fuerunt. Satis enim in tanta turpitudine conspici potest Alexandri amentia, quo tamen vix aliud excellentius fuit ingenium. Intueamur animo et veteres historias et praesentium temporum vicia eaque cogitemus esse poenas aut Cyclopici contemtus Dei aut idolomaniae. Hoc monet Paulus, cum aliquoties repetit, ideo traditos esse homines in desideria cordium suorum, quia Deum non glorificaverint. Ceterum hic de phrasi admonendi sunt rudiores: Tradidit eos in desideria, id est, permisit eos ruere. Usitata est haec phrasis apud Hebraeos, ut: Ne inducas nos in tentationem, id est non sinas nos induci. Permissive haec intelligenda sunt: Deus enim nequaquam est causa peccati, sed diabolus et humana voluntas, ut infra dicetur cp. IX. Et Ioannes inquit: Qui facit peccatum ex diabolo est, qui quidem[5])

---

1) gloriosius *B. C. W.* gloriosus *A.* 2) in *B. C. W.* cum in *A.* 3) ibi *A. B.* — *C. W.* omitt. 4) gloriarentur *A. C. W.* glorientur *B.* 5) Sic *B.* — sed diabolus, ut scriptum est: qui facit p. ex diab. est, et is etc. *A. C. W.*

vere est causa efficax et impellens ad hos furores, qui hic describuntur.

Plenos omni iniusticia.

[*Πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ*, v. 29.]

Addit coacervationem et magnum cumulum peccatorum, ut cetera vicia etiam arguat. *ἀδικία* generale est, significans universalem inobedientiam contra primam et secundam tabulam legis divinae, sicut iusticia legis significat universalem obedientiam.

πονηρία significat proprie cupiditatem nocendi. *κακία* peccata omissionis ut vocant continet. Nam ut Latinis turpitudo generale oppositum virtuti, ita Graecis *κακία* est oppositum *τῇ ἀρετῇ*. Marcus Antonius est *κακός*, helluo, negligens. Sed Domitianus est *πονηρός*, cupidus nocendi, cui hoc ipsum voluptati est nocere aliis. *κακοήθεια* proprie est malevolentia qualis est in obtrectatoribus, qui simpliciter aut candide dicta et facta arte depravare norunt. Estque vere oppositum vicium candori, *κακοηθὲς μὴ καθαρόν*: haec enim inter se opponit Plutarchus. Saeva pestis est malevolentia et saepe Reipublicae perniciosa, cum malevolae naturae exagitant alios mediocres aut etiam bene meritos, tantum animi morbo, ut Scipionis res gestas carpebat Lentulus, item ut Aeschines adcusavit Demosthenem nulla justa causa motus, sed naturae perversitate et malevolentia [1]). Extant versiculi Menandri, in quibus describuntur gradus quidam hominum, quibus praecipue delectantur potentes:

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται,
πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων, δεύτερος
ὁ συκοφάντης, ὁ δὲ κακοήθης τρίτατος,
ὃς ἐστι δεινὸς μηχανορράφος κακῶν [2]).

Primum locum tribuit adsentatori, nam hic est dulcissimus; proximus est delator seu susurro, qui init gratiam perferendis fabellis et confingendis ac instruendis calumniis. Tertium locum habet *κακοήθης*, qui novit adludere ad Domini adfectus, candide [3]) facta secus interpretari, odia incendere. *θεοστυγεῖς*, sive active sive passive adcipiatur, significat palam contumeliosos in Deum, quales describuntur Sennacherib et Rabsaces in historia Esaiae, aut Mezentius apud Vergilium [4]), aut Antiochus in historia Maccabaeorum. Et habet haec aetas exempla nimis multa tyrannorum, qui aperte profitentur se esse hostes Dei.

1) Sic *B.* — ut Cato non favebat Ciceronis laudibus. Nam id quoque ad *κακοήθειαν* solet adcedere, simulatione gravitatis (gratuitatis *C.*) tegitur vicium. *A. C. W.* 2) Sic *B. C. W.* ὃς μηχανῶν κακ' ἐστὶ τεχνικώτατος *A.* 3) candide *A. B.* candida *C. W.* 4) Vergilium *A. B.* Virgilium *C. W.*

ἐφευρετὰς κακῶν. Graeca Scholia admonent compositione ἐπὶ significari eos, qui praeter veteres malas artes et flagicia vetera excogitant novas technas et sunt autores novae turpitudinis, ut cum praediti pravis ingeniis mercatores excogitant novas imposturas, mutant iusta precia monetae, aut aulici inveniunt novos praetextus iniustarum expilationum aut miris technis coniungunt aut dissociant Principes aut fingunt causas occupandi aliena. Seu ut causidici novas fraudes in iudiciis reperiunt aut eruditi quaerunt excusationes turpitudinis, ut multi falso et sophistico praetextu eius quod interest excusant et confirmant usuras ut gratificentur foeneratoribus. Sunt et ἐφευρεταὶ κακῶν, a quibus inhonesta exempla oriuntur, ut qui nudorum corporum certamina in palaestris in Graecia instituerunt. Item ut Lamech primus discessit a vera coniugii institutione et habuit simul plures uxores et hunc viciosum morem invexit in mundum [1]).

ἀσύνετοι, furiosi, qui caeci contra iudicium communis sensus ruunt praecipites in omnia scelera et exitium suum, sicut Catilina, Thomas Monetarius, qui furens arma ceperat ad delendos omnes Principes, ad communionem rerum instituendam. Item nebulo Monasteriensis, qui se vocabat regem templi Dei. Hanc amentiam saepe dicunt Prophetae poenam esse impietatis. Sic Pharao, Saul et alii sibi adcersiverunt exitium. Deest eis utrunque bona conscientia et moderatum consilium. ἀσύνθετοι non servantes pacta, συνθήκας, in contractibus ac foederibus. ἄστοργοι, qui naturales adfectus erga parentes, liberos, fratres aut beneméritos exuunt. Nam στοργή significat bonos adfectus divinitus inditos naturae hominum, etsi nunc propter morbum originis nonnihil aberrant. Sed tamen probat eos Deus et recte regi vult, iubet nos diligere coniuges, parentes, liberos, iubet gratos esse: hae sunt στοργαί. Damnat igitur Paulus illos ferreos homines, qui exuunt has στοργάς, quales sunt fratres in tragoediis Atreus et Thyestes. ἀσπονδοι sunt implacabiles, sicut Saul nullo officio placari potuit, ut rediret in gratiam cum Davide. Iterum autem in fine adlegat ius naturae ac vocat ius Dei. Meminerint ergo studiosi regulam: Quod violatio legum naturae sit violatio iuris divini et vere peccatum mortale. Contuli in locis ius naturae cum decalogo, qui quidem est optima methodus et summa legum naturae, si quis dextre decalogum intelligat.

Damnat autem Paulus non solum facta contra legem externa admittentes, sed etiam consentientes. Consentiunt autem impiis dubitantibus de Deo omnes qui non sunt renati in Christo, habent et pravas cupiditates, etsi alias aliae in aliis magis se promunt; maxime autem consentiunt impiis reges et principes impii, qui cum Cyclopicam im-

---

1) ἐφευρετὰς κακῶν — mundum *B.* — *A. C. W.* omitt.

Quod haec facientes etc.[1])

[Ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες, v. 32.]

Mira profecto sententia est, quod ait homines naturaliter intelligere dignos morte esse omnes, qui violant naturae leges. Facile intelligi potest ea delicta severe punienda esse, quae perturbant communem pacem, ut homicidia et latrocinia. Neque enim conservari societas civilis posset, si impune liceret rapere aliorum facultates aut insontes homines trucidare. Hic utilitas communis admonuit gubernatores ut poenas constituerent.

Sed cur Paulus in genere de omnibus viciis inquit, digni morte sunt et turpia facientes et consentientes? An invidus plectendus est capitali poena? Respondeo: Paulus non loquitur hoc loco de magistratuum iudicio aut de suppliciis, quae propter pacem et utilitatem communem irrogantur latronibus aut grassatoribus: sed loquitur de privato conscientiae iudicio in quolibet homine. Ac multo altius introspicit mentes, quam vel Epicurei vel hypocritae, qui securi et ebrii voluptatibus non sunt experti veros pavores conscientiae. Non iudicat Saul se morte dignum esse, cum contra mandatum Samuelis parcit regi captivo. Sed tunc agnoscit conscientia quodlibet peccatum morte dignum esse, cum veri terrores incutiuntur animo, cum videt Deo non esse obtemperatum. Hic peccatum ut infra dicitur fit excellenter reum ac damnatum.

Adam cum gustaret pomum contra mandatum existimabat id factum non magni momenti esse, nondum illos horribiles terrores conscientiae expertus erat, qui mortem adferunt. Postea vero obiurgatus a Deo, agnovit peccatum esse contemtum Dei, sensit irasci Deum, expavit et extinctus esset magnitudine doloris, nisi divina promissione ex morte revocatus esset. Lex inquit Paulus est po-

---

pietatem et idolatriam punire deberent severissimis poenis, praecipue eam adprobant confirmant et stabiliunt. Sed hic discant se Deo poenas daturos esse. Mirum est autem dictum quod ait naturaliter homines scire dignos esse morte utrosque qui prava faciunt et qui consentiunt. Unde scimus esse morte dignos? ex veris terroribus conscientiae. Nam Paulus longe aliter introspicit mentes quam homines securi. Videt qui terrores existant, cum in adflictione peccata magis agnoscuntur.

Caput II.

Quapropter inexcusabilis es o homo etc.

Opus est extare hanc doctrinam in ecclesia, quod externa disciplina seu obedientia non satisfaciat legi nec justificet coram Deo. Ideo

---

1) Quod haec facientes — Non enim qui audiunt legem cp. II. *B. C. W.* Damnat autem — satisfacimus legi *A.*

tentia peccati. Ita lex naturae in mentibus hominum iudicat et damnat peccatum, ostendit Deum irasci cuilibet peccato, cum videlicet vere cernitur, ut fit in illis terroribus.

De hoc vero iudicio conscientiae loquitur hic Paulus ac damnat non solum externa delicta, sed etiam universam immundiciem interiorem, ignorationem et contemtum Dei et omnes pravas cupiditates. Etsi autem alii adfectus in aliis magis erumpunt, alii magis indulgent odiis, alii libidinibus, alii avariciae, tamen corda impiorum omnium sunt sine timore Dei, sine fiducia, delectantur impiis opinionibus et erroribus, delectantur aliquibus voluptatibus obscoenis, etsi alii aliis diligentiores sunt in frenandis his inclinationibus. Ut non facit caedem Pomponius Atticus, sed tamen voluntas est aversa a Deo, delectatur opinionibus Epicureis aut Academicis de Deo, vult suaviter vivere, quaerit suam[1]) tranquillitatem sine agnitione Dei. Denique multos habet motus a Deo aberrantes: hoc vult Paulus cum damnat non solum facientes, sed etiam consentientes, *συνευδοκοῦντας*. Non enim loquitur tantum de his qui adiuvant aliorum scelera, ut in foro consensum interpretantur, sed de omnibus qui similibus rebus delectantur, id enim est proprie *συνευδοκεῖν*. Et hanc sententiam mox exaggerat.

Caput II.

Ideo inexcusabilis es.

[*Διὸ ἀναπολόγητος εἶ*, v. 1.]

Extare in Ecclesia hanc doctrinam de lege necesse est, quod lex Dei non tantum externa delicta adcuset et damnet, sed etiam interiorem pravitatem, dubitationem de Deo et cetera vicia cordis et omnes pravas cupiditates. Ideo Christus Matth. 5 taxat Pharisaeos, qui legem Dei tantum de externis factis interpretabantur, sicut leges politicas intelligimus, ac addit novam enarrationem de

iam adcusat Paulus illos qui confidunt se iustos esse propter externos bonos mores cum tamen habeant corda impia et immunda; in hanc sententiam inquit: Ideo inexcusabilis es omnis qui iudicas, id est, qui damnas alios et fingis te iustum esse. Ac diligenter hic expendenda est universalis. Omnis qui iudicat facit exaequationem omnium hominum, ut omnes sciant se reos esse nec iudicent, id est non confidant sua iusticia, non iustificent se et damnent alios. Haec exaequatio valet ad perterrefaciendos hypocritas et superbos: Et econtra ad erigendos pavidos ne desperent quia agnoscunt se non habere merita, sicut in hoc loco fit exaequatio, conclusit omnes sub peccato, ut omnium misereatur. Est autem syllogismus. Maior est in fine prioris

1) suam *B.* — *C. W.* omitt.

interiori pravitate. Ita hoc loco Paulus, ut ostendat omnes homines esse reos peccati, ut postea dicet, adcusat etiam eos qui, quia sine externa turpitudine vivunt, putant se iustos esse propter illos civiles mores.

Observanda est autem series partium, ut melius intelligi possit unde oriatur initium secundi capitis, quod est conclusio, adcusans omnes qui se propter civiles mores iudicant esse iustos. Est enim syllogismus integer, maior propositio recitatur in fine capitis: Digni morte sunt omnes, tum facta iniusta perpetrantes tum consentientes facientibus, seu qui similes cupiditates habent.

Sequitur minor in secundo capite: Tu qui iudicas alterum, eadem facis, id est, Qui praeditus moribus civilibus damnat eos tantum qui obnoxii sunt manifestae turpitudini nec damnat seipsum, sed arbitratur se iustum esse propter suos mores, is eadem facit, id est habet impietatem in mente, dubitat an Deus curet humana, an puniat, exaudiat homines, habet et alias pravas cupiditates odia atque amores. Haec est sententia huius dicti. Eadem facis, videlicet interioribus motibus animi.

Deinde adcedit conclusio: Ergo cum eadem facias, inexcusabilis es quisquis iudicas, id est alios damnas obnoxios manifestae turpitudini, te non damnas qui similem habes interiorem pravitatem. Estque haec conclusio clara et perspicua adcusatio omnium, qui se propter civiles mores arbitrantur[1]) iustos esse, cum interim sciant obnoxios externae turpitudini non esse iustos nec tamen cogitent se similibus morbis in animo obnoxios esse. Hoc significat verbum, qui iudicas, id est damnas alios, te non damnas, obnoxium similibus morbis sed interioribus.

Ac diligenter memineris particulam sequentem, cum ait: Eadem agis. Loquitur enim de interioribus motibus. Pomponius Atticus non fecit caedem manu, non rapuit aliorum facultates,

---

capitis, conclusio in principio sequentis, deinde minor: facientes et consentientes sunt digni morte, vos hypocritae estis consentientes, ergo et vos estis inexcusabiles. Quod ait: eadem facis, loquitur non de externo opere sed de interiore immundicia: habes impias opiniones et dubitationem de Deo sicut illi, habes pravas cupiditates sicut illi: deinde adhortatur et nos ad poenitentiam. Estque insignis commemoratio bonitatis Dei, quod Deus differt iudicium et poenam ut concedat spacium ad agendam poenitentiam. Sicut docet etiam parabola de ficu Lucae XIII.

Qui redditurus est unicuique juxta facta sua. etc.

Hic locus citatur contra doctrinam de fide, quod opera mereantur vitam aeternam. Sed facilis est responsio. Primum enim quod necesse

---

1) arbitrabantur *C.*

ut Sulla: sed de Deo non recte sentit, dubitat ut Academici an Deo sint curae humana[1]), adplaudit usitatae idolatriae, cogitat superstitiones prodesse ut vulgus eo metu tanquam carcere contineatur. Deinde habet et alios multos adfectus viciosos et a Deo aversos.

Ideo addit Paulus: Iudicium Dei secundum veritatem est, id est iudicat non solum externam umbram actionum, sed mentes et fontem actionum. Si in mentibus non lucet vera de Deo sententia, si voluntates aversae sunt a Deo et sese plus amant quam Deum, certe non obtemperant legi Dei, quae inquit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. Cum talis sit infirmitas in omnibus hominibus fateantur se non satisfacere legi Dei. De hoc vero iudicio concionatur hic Paulus.

Ac deinde addit adhortationem et vocat omnes ad poenitentiam ac docet quare Deus differat poenas, videlicet ut spacium nobis concedat, quo resipiscamus. Poterat subito interficere primum parentem Adam cum deliquisset. Item Petrum in lapsu, cum negaret familiaritatem cum Christo. Et statim extiterunt in utriusque animo pavores, qui mortem adlaturi erant. Sed dat spacium miseris, ut redire in viam possint, iuxta illud: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Et huc pertinet parabola de ficu, Lucae 13.

Qui reddet[2]) *unicuique iuxta facta sua.*

[Ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, v. 6.]

Removeantur a dogmatibus divinis praestigiae sophismatum et astutae depravationes rectarum sententiarum. Constat hoc agere Paulum in hac tota Epistola, Fide gratis propter filium Dei iustificari homines, non propter dignitatem nostram aut merita. Hoc vere agi a Paulo cum constet, tamen adversarii hoc dictum reddet

---

sit τὸ ῥητὸν mitigare aliqua interpretatione inde intelligi potest, quia nemo legi satisfacit, quare nemo salvus fieret si sic esset adcipienda sententia, quod propter impletionem legis homines salvandi sint. Necesse est igitur addere interpretationem de fide et de misericordia. Est autem phrasis legis: reddet unicuique iuxta opera sua. Nam cum lex opera nominat, intelligit cuiusque iusticiam aut iniusticiam, quasi dicat: Deus reddet unicuique secundum ipsius iusticiam aut iniusticiam. Et quidem lex solet de fide tanquam de opere loqui, et tamen interim ex evangelio sciendum est quod fide gratis adcipiatur iustificatio, quam postea necessario sequi debet nova et incoata obedientia. Hoc totum lex vocat

---

1) humana *B. W.* humanae *C.* 2) reddet *B. W.* reddat *C.*

iuxta facta, detorquent ad suas opiniones contra Pauli sententiam. Contendunt homines pronunciari iustos propter dignitatem operum, contendunt opera esse precium vitae aeternae. Sed recte instituti in doctrina Christiana facile talia dicta conciliare cum aliis possunt, quae loquuntur de gratuita imputatione et donatione vitae aeternae propter Christum.

Ut enim tota scriptura divina alias legem proponit alias Evangelium, ita sunt sua quaedam dicta legis et sua quaedam Evangelii. Et tamen Evangelium est lumen et interpretatio legis. Haec est phrasis legis: Reddet unicuique iuxta opera sua. Estque sententia: Tribuet iustis praemia et iniustos puniet. Nec dubium est ex Evangelio addendam esse enarrationem, qui sint iusti et quae opera Deo placeant. Nam dicta legis sine Evangelio pariunt desperationem. Nunquam conscientia in veris pavoribus statuere potest se opera habere digna remissione peccatorum aut vita aeterna. Ut cum ait Christus: Si vis in vitam ingredi, serva mandata. Hic necesse est τὸ ῥητὸν mitigari addita interpretatione ex Evangelio. Nemo enim legi satisfacit.

Quare breviter respondendum est, phrasin legis esse reddet iuxta opera, id est reddet iustis praemia, iniustis poenas. Sed qui sint iusti docet Evangelium et quomodo opera placeant Deo. Et quidem lex de fide tanquam de opere loquitur, quia revera est praecipuus cultus Dei et praecipuum opus fiducia misericordiae Dei, qua Deus vere invocatur. Unde autem oriatur haec fides docent promissiones seu Evangelium. Postea placent et reliqua opera a Deo mandata, quae sequi fidem necessario debent. Est ergo sententia: Reddet iuxta opera, id est iustis dabit vitam aeternam, hoc est ut Evangelium docet fide iustificatis. Et in his necesse est esse incoatam obedientiam, quae placet non quia legi satisfaciat, sed quia fide reconciliata est persona et agnoscit suam infirmitatem et tamen credit hos cultus propter Christum patri placere, ut supra dictum est. Et infra docet Paulus, inquiens: Non estis sub lege, sed sub gratia. Facilis est explicatio intelligentibus naturam fidei. Fateri enim necesse est Paulum cum de iustorum operibus loquitur complecti fidem. Quoties autem fit mentio fidei,

---

opera. Solet autem scriptura discernere iustificationem et glorificationem, sicut Paulus inquit: Eos quos iustificat eosdem et glorificat. Ideo cum hic et alibi dicitur: iuxta opera, significatur qualibus detur vita aeterna. Quamvis enim fides et opera non sunt merita, tamen fides est instrumentum, quo adcipimus reconciliationem et quo efficimur filii Dei et cohaeredes Christi, et hanc necessario sequi debet nova obedientia, quae non satisfacit legi. Quare non est meritum aut precium vitae aeternae, sed placet quia credimus Christo. Ergo non potest hinc colligi quod nostra opera sint merita et precium vitae aeternae, quia non satisfacimus legi.

reipsa dictum est exclusivum, hoc est etsi adesse oportet incoatam obedientiam, tamen fides nititur sola misericordia et statuit nos iustos, id est adceptos esse per misericordiam.

Non enim qui audiunt legem iusti sunt etc.

[*Οὐ γὰρ οἱ ἀκροαταὶ νόμου δίκαιοι παρὰ τῷ θεῷ*, v. 13.]

Generalis sententia est de iusticia legis. Nam Iudaei adrogabant sibi iusticiam propter legem. Hic opponit Paulus definitionem iusticiae legis. Est enim iusticia legis facere legem, praestare integram obedientiam legi, non tantum audire legem aut profiteri legis ceremoniam. Sic ait: Factores legis iustificantur, id est pronunciantur [1]) iusti, sunt iusti [2]). Ita loquitur Paulus de idea et coarguit Iudaeos quod non sint iusti lege, quia nemo legi satisfacit. Quare hic locus non potest detorqueri contra iusticiam fidei, nec addit hic Paulus quomodo incoëtur lex et quomodo placeat. Tantum enim refutat illos, qui fingunt se esse iustos propter externam professionem legis.

Sibi ipsis lex etc.

[*Ἑαυτοῖς εἰσὶν νόμος*, v. 14.]

Dixerat impios perituros esse Iudaeos et Gentes, etiamsi hae legem non habuerunt. Nunc addit correctionem: Imo Gentes etiam habuerunt legem, hoc est noticiam naturalem de moribus discernentem honesta et turpia. Hic iterum extat testimonium de lege naturae. Ac Paulus erudite ratiocinatur quod Gentes habeant legem, ac simul declarat quid sit lex naturae: habent conscientiam adcusantem et excusantem, id est discernentem honesta et turpia, Ergo habent legem. Consequentia est nota ex definitione. Nam lex proprie est illa naturalis noticia docens honesta et reprehendens turpia. Diligenter autem observandum est quod ait: Natura faciunt, id est, naturali noticia ac lumine. Et testatur Paulus hoc verbo natura, quod noticia illa sit opus Dei conditum in mente, sicut lumen in oculis. Natura enim proprie significat rem conditam a Deo. Quare noticiae illae sunt verae et sunt lex divina, ut supra dictum est.

In hoc loco valde sudat Augustinus, cum nihil habeat obscuri. Primum disputat quid velit Paulus, cum ait Gentes legem fecisse, an loquatur de aliquibus sanctis, ut de Iob et similibus. Secundo disputat de particula natura, cum lex non possit vere fieri sine

1) pronunciantur *A. B. W.* pronunciatur *C.* 2) sunt iusti *A. B. W.* — *C.* omitt.

Spiritu sancto, quare Paulus dicat Gentes natura fecisse. Has difficultates adfert ad Paulum Augustinus, nam ipse textus non usque adeo obscurus est. Primum enim natura significat principaliter noticiam naturalem. Paulus enim ratiocinatur de noticia et de iudicio. Deinde manifestum est etiam non renatos viribus naturalibus posse externa legis opera facere et disciplinam seu civilia opera praestare. Paulo hic satis est ostendere quod Gentes intelligant discrimen honestorum et turpium: hoc ostendit disciplina: inde ratiocinatur quod legem habeant. Loquitur ergo de facientibus externa opera et de disciplina: et quidem confert Iudaeos et Gentes. Significat Gentes tantundem profecisse ex lege naturae, quantum Iudaeos ex lege Moisi. Non enim dicit lege fuisse iustas Gentes coram Deo, sed significat utrosque externa civilia opera fecisse. Excelluerunt pulcherrimis virtutibus Fabius Scipio Atticus et plerique alii: ac fortassis disciplina et diligentia in omni officio superarunt multos praestantes Iudaeos. Hic ratiocinatur Paulus Gentes habere[1]) legem, id est noticiam naturalem de moribus. Neque sequitur ex hac collatione quod propter illam disciplinam ulli fuerint iusti coram Deo.

Ecce tu Iudaeus.

[*Εἰ δὲ σὺ Ἰουδαῖος*, v. 17.]

Ut antea[2]) nominatim Gentes adcusavit, ita nunc nominatim adcusat Iudaeos, ut perveniat ad illam exaequationem[3]) Gentium et Iudaeorum, in qua conspicitur quod omnes homines sint[4]) sub peccato et lege non liberentur a peccato. Est autem haec obiurgatio sic adcipienda, ut intelligamus adcusari et manifesta peccata et hypocrisin, sicut necesse est praedicari poenitentiam iuxta illud mandatum Christi: Ite[5]) praedicantes poenitentiam et remissionem peccatorum. Et quanquam aliqui inter Iudaeos fuerunt sancti, tamen Paulus loquitur de Iudaeis, quatenus nihil habent nisi legem nec sunt sanctificati fide et agnitione promissi Christi. Hoc enim vult efficere, quod Lex non sufficiat ad iustificationem. Quare[6]) valet argumentum: Si lex sufficeret ad iustificationem, omnes essent iusti, qui legem adceperunt et observant externos cultus. Atqui hi non sunt iusti, Ergo lex non sufficit ad iustificationem. Diligenter enim considerandum est quo consilio Paulus haec scripserit. Adcusat Iudaeos, ut intelligant opus esse alio beneficio ad iustificationem. Est autem hic gravis obiurgatio adrogantiae in

---

1) habere *W.* omitt. 2) antea *A. B.* autem *C. W.* 3) exaequationem *C. W.* exaequutionem *A. B.* 4) sint *C. W.* sunt *A. B.* 5) ite *A. B. W.* ita *C.* 6) quare *A. B. W.* quale *C.*

hypocritis, qui tument fiducia propriae iusticiae. Tales loci observandi sunt, et ut timorem discamus et ut perterrefactae mentes concipiant consolationem. Nam in utranque partem plurimum valent tales loci qui et carnalem securitatem tardant et rursus erigunt pavidas mentes, iuxta illud: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Nam circumcisio quidem prodest, si legem servaveris.

[*Περιτομὴ μὲν γὰρ ὠφελεῖ ἐὰν νόμον πράσσῃς*, v. 25.]

Occupatio est. Paulus enim occurrit obiectioni de meritis externorum cultuum, cum Iudaei se praeferrent Gentibus et obiicerent se habere certos cultus a Deo institutos et disputarent hos cultus non esse frustra institutos, sed mereri remissionem peccatorum etc. Respondet Paulus novo paradoxo: Circumcisio prodest, si legem observes. Estque generale dictum de omnibus externis cultibus, quod non prosint ex opere operato, ut vulgo loquuntur, nec mereantur remissionem peccatorum, sed placeant in his qui sunt iusti. Adcommodandum est autem hoc dictum non solum ad Leviticos cultus, sed etiam ad externa opera et ceremonias in Ecclesia.

Caput III.

Quid igitur habet Iudaeus in quo praecellat?

[*Τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου*, v. 1.]

Digressio est in qua velut interpellatus occurrit quibusdam obiectionibus: magna enim et difficilis quaestio oritur ex illa exaequatione Gentium et Iudaeorum. Nam si Iudaei non sunt iusti propter suos cultus, si non liberantur a peccato propter opera legis, quare data est lex? quare Deus eam requirit? quare vocat cultus et propiciationes? Quare Iudaei dicuntur populus Dei, si lex non facit discrimen inter Iudaeos et Gentes? quam habent Iudaei praerogativam? Paulus respondet bifariam. Primum adfirmative, deinde negative. Primum ait Iudaeos praestare Gentibus et hanc habere praerogativam, quod habeant promissiones. Praestant igitur non propter legem, non quod lege mereantur iustificationem, sed quia habent promissiones. Haec erat ingens praerogativa, nosse verbum Dei et promissionem de Christo, et quidem habere hoc ius, quod promissio nominatim ad hunc populum pertineret. Itaque multi audientes verbum illud salvabantur, et quidem certum erat semper aliquos ex Iudaeis salvari, quia sic erat edita

promissio, ut[1]) nominatim ad posteros Abrahae pertineret. Ideo hic locus iam docet de principali fine totius politiae Iudaicae. Indocti imaginantur leges illas traditas esse, ut per eas iustificaretur populus, sed Paulus detrahit legi gloriam iustificationis et ostendit finem fuisse politicum. Oportuit enim certum populum esse, in quo revelarentur promissiones de Christo certis et claris testimoniis Dei. Ideo Deus hunc populum discrevit a Gentibus et multis evidentibus miraculis testatus est eos habere verbum Dei. Quare cultus et tota politia fuerunt res externae praecipue ad hunc politicum finem ordinatae, ut hunc populum discernerent a reliquis gentibus. Interim tamen miracula editae legis et reliqua erant testimonia, quod Deus dedisset huic populo verbum: et cultus ipsi erant a Deo ordinati, ut admonerent homines in hoc populo esse verbum Dei et quidem promissionem de Christo, et iustis erant exercitia fidei, item admonebant alios etc. Proinde hic locus Pauli utiliter docet quod cultus non merebantur remissionem peccatorum, quod non iustificabant[2]).

Num incredulitas illorum etc.

[*Μὴ ἡ ἀπιστία αὐτῶν*, v. 3.]

Inserit obiter alias quaestiones: Utrum ideo amiserint Iudaei promissiones et tota gens damnata sit, quia non crediderunt sed interfecerunt Christum? Respondet Paulus promissionem gratiae non fieri irritam, sed manere ratam omnibus quicunque credunt, etiamsi plurimi eam aspernantur. Hic locus continet egregiam consolationem ac monet ne propter ingentem multitudinem impiorum suspicemur promissionem gratiae Ecclesiae factam irritam esse, sed sciamus vere eam exhiberi credentibus, etiamsi paucissimi sint.

Omnis autem homo mendax.

[*Πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης*, v. 4.]

Addit antithesin, ut fiat illustrius quod Deus sit verax, quia servat promissa indignis propter suam veritatem et bonitatem. Omnis homo mendax, non recte iudicans de Deo, non vere timens Deum, non vere credens Deo, non existimans eum irasci peccato aut misereri agentium poenitentiam, sed dubitans, negligens, diffidens Deo. Horum peccatorum et harum tenebrarum reliquiae sunt etiam in sanctis, ideo dicit: Omnis homo men-

---

1) ut *A. B. W.* — *C.* omitt. 2) iustificabant *B. C. W.* iustificabantur *A.*

dax. Pendent igitur promissiones non ex dignitate nostra, sed ex eo quod Deus est verax.

Ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.

[Ὅπως ἂν δικαιωθῇς κτλ., v. 4.]

Addit[1]) aliud testimonium, quod detrahit dignitatem seu gloriam iusticiae et meritorum nobis et celebrat Deum iustum et servantem pacta propter suam veritatem. Sed repetamus integrum versiculum. Continet enim uberrimam doctrinam ac evidenter refutat hypocritas et persuasiones legales et doctrinam monachorum, qui fingunt homines propter propriam dignitatem seu propter legem placere Deo. Rursus etiam dulcissimam consolationem proponit agnoscentibus suam immundiciem et agentibus poenitentiam. Verba haec sunt: Tibi tantum peccator sum, ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas cum iudicaris. Est autem confessio peccati plana et simplex, quales multae sunt in aliis Psalmis: Agnosco me non adferre ad te iusticiam dignitatem merita: sed tantum esse peccatorem. Et hic observanda est phrasis Hebraica. Nam verba saepe ipsis significant habitus: Tibi pecco, id est sum peccator. Et est singularis emphasis in adpellatione peccati. Tantum sum peccator, id est reus damnatus maledictus κάθαρμα. Nam adpellatio peccati haec duo significat, aut enim peccatum est quiddam pugnans cum lege Dei, quod meretur iram Dei et poenas nisi remittatur, aut simpliciter de effectu intelligitur, videlicet pro re aliqua rea seu damnata: ut cum

---

Citatur[1]) in eandem sententiam versiculus ex Psalmo, in quo primum est confessio peccati Deinde tribuitur Deo gloria iustitiae et veritatis: Tibi solum pecco et malum coram te facio ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas cum iudicaris, id est tantum sum peccator, agnosco me nihil adferre ad te nisi peccata. Posterior pars continet petitionem et rationem petitionis. Ideo exaudias me fretum non mea dignitate sed tua promissione, ut adpareat te esse iustum et servantem promissa propter tuam veritatem et vincas cum mundus te iudicat et blasphemat quod non cures non exaudias homines. Item cum hypocritae fingunt se exaudiri propter suas iusticias etc. Tu nunc me exaudias, ut extet exemplum quod vere exaudias confugientes ad te et exaudias non propter nostram dignitatem sed per misericordiam. Sic fit dulcior hic versiculus cum ad confessionem peccati additur petitio, quae certe est coniuncta cum confessione peccati. Versiculus Psalmi proponit uberrimam consolationem. Significat enim conscientiam non adferre ad

---

1) Addit — calumniatorum *B. C. W.* Citatur — deformare conantur *A.*

hostiae seu piacula vocantur peccata. Hic ergo cum fatetur Propheta se esse peccatorem et addit exclusivam tantum, abiicit dignitatem propriam, agnoscit se habere immundiciem pugnantem cum lege Dei ac se reum esse ac meritum iram Dei et poenas. Haec confessio quid sit in vera contritione pii experiuntur. In his pavoribus excutitur adrogantia et fiducia propriae dignitatis seu iusticiae legis.

Ut autem clarius refutarentur hypocritae, adiecta est ratio confessionis. Ideo me peccatorem esse confiteor, ut iustificeris in sermonibus tuis, id est ut te solum praedicem iustum esse, cum adcusas nos tibi soli tribuatur gloria iusticiae. Item: ut vincas cum iudicaris, id est ut vincas et tibi tribuatur laus iustitiae, cum hypocritae adcusant te ac tribuunt tibi iniusticiam et crudelitatem quando puniuntur et abiiciuntur. Saul tantis rebus gestis pro salute populi Dei existimat se meritum esse ne abiiciatur a Deo, ne eiiciatur ex regno. Itaque in calamitate irascitur Deo, adcusat eius iudicium. Econtra David in calamitate fatetur se iuste puniri, non adcusat Deum sed praestat obedientiam, sicut alibi praecipitur: Humiliamini sub potenti manu Dei. Haec est simplex vera et plana versiculi Davidici interpretatio, quod videlicet sit confessio peccati, adiecta antithesi ut Deus praedicetur iustus, non adcusetur quod insontes puniat, quod hanc infirmam naturam iniuste tantis calamitatibus oppresserit: sicut eum adcusant hypocritae, Saul Cato et similes. Fortassis haec sententia subobscura est hominibus ociosis et Epicurea securitate fruentibus[1]). Sed tamen facile intelligi potest ab eis qui non sunt omnino rudes verae poenitentiae seu contritionis ut vocant.

Ceterum Grammatici hic intempestive disputant de verbis, an sint passive adcipienda: ut iustificeris, item: cum iudicaris. Recte Paulus utrunque[2]) passive reddit et quadrant passivae voces ad hanc simplicissimam sententiam, quam recitavimus. Volo retineri passivas voces et ad has congruit Hebraica phrasis, ut eruditi facile iudicare possunt.

Deum merita sed tantum agnitionem peccati et iustificari non propter aliqua merita, sed quia adprehendit promissam misericordiam propter filium et tribuit Deo gloriam quod ipse sit iustus et iustificans et quod sit verax servans promissa. Hanc ei laudem non tribuunt Epicurei et hypocritae sed iudicant Deum, vel quod non exaudiat vel quod non recte iudicet Deus, puniat indignos et non exaudiat nisi propter merita etc. Si ad usum nostrum et excitandam fidem et invocationem in nobis transferamus fiet sententia illustrior. Porro iam ex hoc versiculo oriuntur

---

1) furentibus *W.* 2) utrunque *B.* — *C. W.* omitt.

Illud autem adiiciam. Cum ait: ut iustificeris in sermonibus tuis, referatur dictum ad utrunque, ad legem et promissionem gratiae. Agnosco me esse peccatorum reum, ut fatear[1]) te iustum esse adcusantem ac punientem nos. Agnosco me esse peccatorem et iure abs te adcusari ac celebro te solum esse iustum, nos non esse iustos.

Haec interpretatio adhuc vox est legis adcusantis nos, nondum facit mentionem promissionis. Ideo hoc dictum: ut iustificeris in sermonibus tuis transferamus non solum ad legem sed etiam ad promissiones. Quanquam sum reus et nihil adfero ad te nisi agnitionem peccati, tamen confugio ad promissam misericordiam, expecto veniam: ut iustificeris in sermonibus tuis, ut praedicemus te esse veracem et servantem promissa et recipientem invocantes per misericordiam, etiamsi non adferant merita.

Hanc ei laudem non tribuunt hypocritae. Non dicunt: expecto veniam ut iustificeris in sermonibus tuis, ut praedicemus, te propter promissam misericordiam recipere indignos; sed negant recipi vel exaudiri indignos. Prior interpretatio, quae est vox legis, facilius intelligi potest. Posterior aliquanto est obscurior, sed vera tamen et ad hanc Paulus magis respicit. Ideo adtexit sequentem quaestionem: Si misericordia Dei amplificatur per hoc, quod recipit ac iustificat indignos ac tantum peccata adferentes, quare Deus irascitur peccantibus, siquidem peccata nostra amplificant gloriam misericordiae ipsius? Item si non sumus iusti propter nostras virtutes: Quorsum opus est benefacere? Item, quo plura peccata remittit misericordia, eo fit illustrior. Peccemus igitur et laxemus frena cupiditatibus.

---

novae quaestiones. Si misericordia Dei amplificatur per hoc, quod vivificat indignos et nihil nisi peccata adferentes: quare Deus irascitur peccantibus? siquidem peccata nostra amplificant gloriam misericordiae ipsius? Item si non sumus iusti propter nostras virtutes, quorsum opus est benefacere? Item: quo plura peccata remittit misericordia, eo fit illustrior, peccemus igitur etc. Haec absurda nunc quoque obiiciuntur his qui doctrinam de gratia et de fide defendunt. Quare satis adparet eandem esse causam quam Paulus agit et quam nunc defendimus iuxta Pauli doctrinam. Infra autem ad haec absurda respondet et diluit ea capite sexto. Nunc abrumpit tantum, obiurgans illos qui carnali iudicio his diabolicis calumniis ingens beneficium Evangelii deformabant et ex promissionibus male detortis falsa ratiocinabantur. Etsi enim gratis iustificat Deus tamen non concedit licentiam peccandi, sed ita iustificat ut iustificatio adferat novam vitam et novam lucem et debemus obedien-

---

1) fatear *B. W.* fateor *C.*

Haec absurda obiiciebant Paulo docenti gratis pronunciari iustos eos qui credunt: Si fit misericordia illustrior, cum peccata adferimus, ergo prolixe peccemus. Infra autem ad haec absurda respondebit eaque diluet capite sexto. Nunc tantum abrumpit adiecta obiurgatione calumniatorum.

Quid igitur? Praecellimus eos?

[*Τί οὖν; προεχόμεθα;* v. 9.]

Hic redit ad institutum principale, videlicet ad exaequationem Iudaeorum et Gentium, ut doceat omnes homines sub peccato id est reos esse peccati et irae Dei. Observabis autem dissimiles responsiones ad quaestiones in digressione additas. Primum adfirmative respondet Iudaeos habere magnam praerogativam, quod ad promissionem adtinet, non quod ad merita adtinet. Ideo hic additur negativa responsio: Iudaei nihil praestant, scilicet quod ad meritum adtinet. Est ergo sententia: Nequaquam excellimus, id est non sumus iusti propter nostram dignitatem, propter opera legis, propter nostras virtutes etc.

Nam ante causis redditis ostendimus et Iudaeos etc.

[*Προῃτιασάμεθα γὰρ Ἰουδαίους κτλ.*, v. 9.]

Repetitio est[1]) propositionis: Ac diligenter observandum est quod iam effert eam universaliter et ait omnes sub peccato esse, id est, omnes homines esse reos peccati, irae Dei et mortis aeternae. Loquitur autem de omnibus hominibus excepto Christo, ac sanctos etiam complectitur, quatenus ipsorum natura consideratur nec intelliguntur per misericordiam reconciliati. Semper autem haec exaequatio nos admoneat, quod superbos hypocritas et securos perterrefacit. Rursus prostratos erigit, quia testatur quod Deus vere gratis propter Christum nobis ignoscere velit. Confirmat autem propositionem citatis testimoniis, in quibus non tantum ci-

---

tiam Deo, etiam aliud precium propositum est propter quod iustos pronunciat, quia haec nostra obedientia non satisfacit legi. Obiurgatio posita est atrocibus verbis sicut blasphemamur, item quorum condemnatio iusta est. Significat enim calumnias illas esse blasphemias adversus Evangelium et sic conviciantes ait iuste damnari. Haec comminatio admoneat nos ut reverenter audiamus et discamus Evangelium et fugiamus blasphemos, qui piam doctrinam calumniantur depravant aut quoquo modo deformare conantur.

1) est *A. C. W.* — *B.* omitt.

vilia delicta culpantur, sed interiora peccata contra primam tabulam. Non est intelligens nec requirens Deum, id est omnes contemnunt Deum, sunt sine timore Dei et sine fide, propterea habent impias opiniones et doctrinas et impia consilia et per superbiam et fiduciam sui multa audent contra voluntatem Dei et persequuntur pia docentes et monentes. Ita describit praecipue hypocritarum arcana vicia, quae mundus suspicit tanquam excellentem sapientiam et iusticiam.

Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro etc.

[*Διότι ἐξ ἔργων νόμου κτλ.*, v. 20.]

In conclusione iterum repetit universalem: Ut omne os obstruatur[1]) et[2]) totus mundus sit reus coram Deo. Sed quidam qui fingunt homines mereri remissionem peccatorum et esse iustos propter bona opera moralia, eludunt hanc universalem et dicunt esse synecdochen, quasi Paulus non prorsus omnes arguat sed plurimos, et ab hac universali sint excipiendi paucissimi quidam boni: ut quamvis Romae plurimi sint rei, tamen fingunt ex illo numero excipiendos esse paucos quosdam, Scipionem Atticum. Etsi inter Iudaeos plurimi peccant, tamen paucos quosdam excipi volunt, ut Ioannem Petrum etc. Adversus huiusmodi cavillationes muniendi sunt animi, ut simplicem et veram sententiam Pauli retineamus, ac prudenter cavit ipse Paulus ne haec exceptio adfingi posset. Primum enim saepe inculcat universalem: deinde addit rationem, quae ostendit quid adcuset. Ait enim: Eo quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Hic diserte non tantum personas adcusat, sed illis ipsis bonis operibus detrahit iustificationem, quae illi volunt excipi. Deinde Psalmus inquit: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Haec sententia et pleraeque similes testantur exceptionem illam falsam esse, quia clare docent nostra bona opera non posse opponi iudicio Dei. Praeterea si moralia opera iustificarent, iustificassent Iudaeos etiam ceremoniae, nam apud illos hae quoque habebant mandatum Dei. Quare sententia Psalmi et Pauli universaliter intelligatur de omnibus hominibus et de omnibus operibus nec admittatur synecdoche, quae fingit aliquos esse iustos et mereri remissionem peccatorum propter propriam dignitatem et propria opera etc. Diserte autem addit coram Deo reos esse, quia loquitur non de humano iudicio, sed de divino iudicio. In illo agone non potest conscientia pacificari ullis operibus, sed sciat mandatum Dei esse ut credat nobis ignosci certo

1) obstruatur *B. C. W.* obscuretur *A.* 2) et *A. C. W.* — *B.* omitt.

propter Christum per misericordiam etc. Et quidem pondera verborum observanda sunt, quae hortantur omnes ad poenitentiam. Minatur enim gravissime securis et confidentibus propria iusticia, cum ait: Ut omne os obturetur. Item: Ut reus fiat totus mundus.

Per legem enim agnitio peccati etc.

[*Διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας*, v. 20.]

Occupatio est. Poterat enim obiici: Si non sumus iusti lege, ad quem usum data est lex? Paulus respondet, sed brevius quia haec occupatio infra repetetur. Et haec responsio prorsus nova et[1]) absurda videtur mundo, Lege tantum ostendi peccatum, non tolli. Nam legumlatores in imperiis ferunt leges, non tantum ut ostendant peccata, sed ut tollant. Verum hic monendus est auditor, Paulum prorsus non concionari hoc loco de iusticia civili et de externis moribus; alia res agitur: Quomodo coram Deo iusti reputemur: Quomodo consequamur remissionem peccatorum: Quid ibi conferat lex. Ideo discernendi sunt usus legis. Et loquimur hic non tantum de lege Moisi, sed de lege morali indita omnibus hominibus. Est autem duplex usus, alter est politicus, scilicet foris coërcere homines carnales. Requirit enim Deus hanc quoque externam iusticiam, etiamsi propter eam non sumus iusti coram Deo: etiamsi non meretur remissionem peccatorum. De hoc usu non loquitur in hac sententia. Alibi de hoc usu loquitur: Lex est iniustis posita etc. Alter usus non est politicus, sed pertinet ad iudicium Dei et ad conscientiam, scilicet adcusare et perterrefacere conscientiam, sicut alibi inquit: Aculeus mortis peccatum est[2]): potentia peccati lex est, id est: Lex ostendit peccatum et perterrefacit corda: de tali agnitione hic loquitur. Non enim intelligit ociosam speculationem, sed agnitionem talem, in qua iram Dei adversus peccatum agnoscimus et vere expavescimus. Et hi terrores vere fiunt mors aeterna in his, qui non eriguntur per Evangelium. Est igitur sententia: Lege non sumus iusti coram Deo, non meremur remissionem peccatorum. Et cum conscientiae perterrefiunt, non possunt lege pacificari, quae nos magis magisque adcusat et ad desperationem adigit, sicut alibi inquit: Ut peccatum fiat excellenter peccans et nocens, id est illis terroribus occidens. Hinc clare sequitur quod alio verbo opus sit ad consolationem et iustificationem.

---

1) et *A. B. W.* — *C.* omitt. 2) Sic *B. C.* *W.* — sicut alibi inquit Aruleus: mortis peccatum est *A.*

Nunc vero absque lege iusticia Dei manifestata est.

[*Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη θεοῦ πεφανέρωται*, v. 21.]

Supra fecit aditum ad principalem propositionem. Dixit enim omnes homines esse reos peccati et irae Dei nèc posse a peccato liberari per legem. Nunc igitur sequitur principalis propositio, quae est status huius controversiae, qui diligenter observandus est et propter magnitudinem causae: continet enim haec propositio propriam et praecipuam Evangelii sententiam de beneficio Christi: et quia ad hunc statum velut ad caput deinde referenda erunt argumenta. Porro in propositionibus maxime requiritur perspicuitas. Ideo Paulus adcurate proprie et perspicue tradit propositionem. Sed phrasis consideranda est, et ipsa verborum pondera observanda sunt: Iusticia Dei, scilicet qua iustificat nos, hoc est adceptatio vel remissio peccatorum et imputatio iusticiae. Estque sententia: Nunc manifestatum est quomodo Deus iustificet, quomodo velit pronunciare iustos et remittere peccata et nos adceptare. Inquit autem: Sine lege. Hoc videtur absurdum mundo. Quare haec particula diligenter consideranda est. Ostendit enim quid proprie sit Evangelium et quod discrimen sit Legis et Evangelii. Mundus enim habet imaginationes politicas de Christo, cogitat esse legislatorem adferentem novam legem aliquanto commodiorem quam Mosaicam, quia abolet ceremonias, quae non erant commodae omnibus gentibus, et praecipit multa de dilectione. Deinde colligunt quas leges addiderit Christus Mosaicis et fingunt harum legum observatione[1]) homines mereri remissionem peccatorum et esse iustos et interpretantur, sine lege, id est sine ceremoniis. Hic error eximendus est animis: Nam Christus non venit ut legem ferret nec Moises est nec Solon, sed habet aliud multo maius officium, est victima pro peccato et gratis donat nobis remissionem peccatorum et imputationem iusticiae et Spiritum sanctum ac vitam aeternam. Loquitur igitur Paulus cum ait sine lege de tota lege ac sentit Christum adferre remissionem peccatorum et imputationem iusticiae non propter ullam legem nec propter ceremonias, nec propter moralia opera, sed gratis. Et sciamus hoc dictum non ad civilem vitam aut externos mores pertinere, sed ad conscientiam agentem coram Deo et quaerentem quomodo consequatur remissionem peccatorum et reconciliationem. Hinc discrimen legis et Evangelii multo fit illustrius, vel quia testatur in Evangelio adnunciari gratuitum beneficium non pendens ex condicione legis seu meriti nostri. Et hic locus non solum opponendus est Anabaptistis et similibus, qui fingunt Evangelium novam politiam mundanam, sed etiam tenendus est in agone conscientiae, ut ibi vere intelligamus

1) observatione *A. B. W.* observationem *C.*

beneficium Christi esse gratuitum. Estque sententia: Iusticia manifestata est sine lege, id est, consequimur remissionem peccatorum et reputamur iusti non propter ullam legem, sed propter Christum gratis per misericordiam. Etsi enim in his qui fide iustificati sunt incoatur nova obedientia, tamen illa nova obedientia seu lex non est causa propter quam consequimur remissionem peccatorum et reputamur iusti seu adcepti, verum haec gratis donantur propter Christum.

Destituuntur gloria Dei.

[Ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, v. 23.]

Carent illa gloria quam Deus adprobat, carent illa iusticia, quam Deus iudicat esse gloriam. Aut si quis mavult active interpretari, erit eadem sententia[1]): Carent gloria Dei, id est sapientia et iusticia glorificante Deum, id est quae vere tribuit gloriam Deo, agnoscit, diligit, praestat perfectam obedientiam: Carent gloria Dei, id est luce qua agnoscitur et glorificatur Deus. Estque repetitio sententiae universalis, quae docet omnes homines reos esse peccati et irae Dei, carere gloria, id est reiectos esse coram Deo nec propter legem iustos esse. Est et hoc observandum, quod extenuat iusticiam legis et illos sanctissimos cultus, quos certe[2]) Iudaei putabant esse gloriam Dei, et docet hanc externam iusticiam non esse gloriam Dei, quia non est agnitio et glorificatio Dei.

Iustificamur autem gratis.

[Δικαιούμενοι δωρεάν, v. 24.]

Id est consequimur remissionem peccatorum et reputamur iusti, id est adcepti, et cum hac reputatione coniuncta est donatio Spiritus sancti et adceptatio ad vitam aeternam. Haec igitur complecti debemus, cum de Iustificatione disputamus, scilicet remissionem peccatorum et imputationem iusticiae, id est adceptationem, cum qua est coniuncta donatio Spiritus sancti et adceptatio ad vitam aeternam. Est autem perspicua Pauli descriptio, cum ait: Gratis per gratiam, id est per misericordiam. Hic clare ostendit se de alia iusticia concionari, quam de iusticia legis seu nostrorum operum. Excludit enim condicionem legis seu meriti et testatur nos iustificari gratis non propter ullam dignitatem nostram aut opera nostra.

---

1) erit eadem sententia *A. B.* erit enim eadem sententia *C. W.* 2) certe *A. B.* certo *C. W.*

Per redemtionem, quae est in Christo Iesu.

[*Διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, v. 24.]

Quia Deus iratus peccato requirebat aliquam victimam, ideo Paulus inquit: Per redemtionem quae est per Chrisum Iesum. Atque-hic resistant animi nostri et cogitent primum de ira Dei adverus peccatum, deinde de magnitudine misericordiae, quia utrunque hic proponitur. Mundus non videt magnitudinem irae Dei adversus peccatum et dicit peccatum rem levem esse. Sed hic discamus tantam esse iram, ut nulla hostia placari potuerit Deus, nisi tantum morte filii. Est igitur horribile peccatum securitas in eis, qui perseverant in peccatis et contemnunt iram Dei. Secundo tanta est misericordia, ut pater dederit filium pro nobis et voluerit nos tali pignore dato de misericordia certos esse. Iam quanta est blasphemia gloriam filii Dei transferre in humana opera et fingere alias victimas, ut satisfactiones, Missas, monachatus? etc.

Reconciliatorem.

[*Ἱλαστήριον*, v. 25.]

Commoratur in descriptione officii Christi, quod sit victima, propiciator etc. Et quidem propiciator titulus est significans certum esse beneficium, quod propter illum propiciatorem promissum est, quia hic[1]) Christus non est frustra factus propiciator. Sed quare addit per fidem? Haec particula diligenter observanda est, quia iam de adplicatione loquitur, ut sciamus quomodo consequamur beneficium Christi.

Per fidem.

[*Διὰ πίστεως*, v. 25.]

Adversarii etiam fatentur Christum esse mediatorem et propiciatorem. Sed hoc ipsum postea mutant et corrumpunt. Nihil enim dicunt de adplicatione nec docent utendum esse mediatore Christo. Ac primum nihil prorsus de hac fide, id est de fiducia mediatoris dicunt, non docent uti mediatore Christo, imo iubent dubitare conscientiam. Haec dubitatio manifeste pugnat cum fide, quam hic requirit Paulus. Secundo fingunt Christum esse propiciatorem tantum, quod ad occasionem merendi adtinet, ut cum paterfamilias iratus servo placatur ab amico aliquo. Ibi amicus ille aditum servo impetrat ad Dominum, deinde nihil ibi negocii habet, sed placet servus propter propria officia. Tantum tribuunt Christo quod hoc principium et occasionem merendi nobis promeruerit. Ipsi sic loquuntur, Christum meruisse primam gratiam. Postea sepeliunt eum et fingunt ociosum esse, et imaginantur homi-

1) hic *A.* — *B. C. W.* omitt.

nes mereri remissionem peccatorum et iustos esse propter propriam impletionem legis et cetera. Nos econtra recte intelligamus Christum semper manere mediatorem et adplicandum esse fide, id est statuendum quod placeamus non propter nostram dignitatem aut impletionem legis, sed propter Christum. Non debemus opponere iudicio Dei nostras virtutes, sed victimam et propiciatorem Christum. Ita diserte infra Paulus de adplicatione loquitur, cum ait: Per quem habemus adcessum fide in gratiam hanc, quasi dicat: Ita adcedimus ad Deum, si utamur mediatore Christo, si fide confugiamus ad hunc propiciatorem et putemus nobis propter ipsum ignosci.

Ad ostensionem iusticiae suae.

[*Εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ*, v. 25.]

Sententia erit planior mutata forma orationis: Ad ostensionem iusticiae suae, id est ut declaret Deus quod ipse iustificaturus sit, estque antithesis. Supra arguit omnes et dicit nos non esse iustos, etiam cum habemus legis opera. Sed nunc in Christo revelat Deus iusticiam suam, id est quod ipse sit iustificaturus, quemadmodum in promissionibus pollicitus est, quod novam iusticiam, novam et aeternam vitam donaturus sit, quod sit instauraturus genus humanum abolito peccato et abolita morte. Hanc novam iusticiam et vitam iam revelat in Evangelio etc.

Propter remissionem.

[*Διὰ τὴν πάρεσιν*, v. 25.]

Definitio est praecedentis particulae, interpretatur enim quid dixerit iusticiam suam. Si mutes in verba erit clarius[1]), ut declaret quod sit iustificaturus, scilicet per remissionem peccatorum. Ita ponit definitionem et ut ita dicam formale iustificationis. Proprie enim iustificatio est remissio peccatorum propter Christum, cum qua coniuncta est donatio Spiritus sancti etc. Et remissio peccatorum intelligatur non tantum de actualibus delictis, sed etiam de naturali immundicie. Est itaque iustificatio iustos reputari non propter nostras virtutes, sed Deo remittente peccata et immundos et indignos adceptante per misericordiam propter Christum. Sicut alias definit iustificationem esse remissionem peccatorum: Beati quorum remissa sunt peccata.

Praeteritorum peccatorum.

[*Τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων*, v. 25.]

Hanc particulam dicunt adiectam esse, ut sciamus in Evangelio non concedi licentiam peccandi, sed sciamus peccata remitti

1) si mutes in verba erit clarius *A. B.* si mutes verba erit in clarius *C.* si mutes verba erit clarius *W.*

in his qui agunt poenitentiam, in quibus peccatum mortificatur. Nec tamen inde sequitur quod lapsis post remissionem, si rursus agant poenitentiam, non possit iterum venia contingere: quia semper, quotiescunque contingit remissio, fit remissio praecedentis peccati. Est ergo descriptio remissionis praesentis in genere, non est exclusiva sequentium remissionum.

Sed meo iudicio simplicissima sententia est, si intelligatur opponi haec particula legi, quasi dicat: Peccatum regnavit hactenus, ne lex quidem abolevit peccatum et mortem, sed hac fide in Christum iam aboletur peccatum, quod hactenus extitit seu regnavit. Quia Paulus loquitur non solum de actualibus delictis, sed etiam de originali. Quasi dicat, remitti peccatum quod hactenus extitit, sicut infra ait: Usque ad legem peccatum fuit in mundo, id est ne lex quidem abolevit peccatum. Iam autem peccatum originis aboletur bifariam, imputative scilicet, quia reatus tollitur, et incipit reipsa aboleri et mortificari, scilicet quando in poenitentia existunt veri terrores, vera consolatio ac initium novae creaturae in corde.

Ubi igitur gloriatio?

[*Ποῦ οὖν ἡ καύχησις*, v. 27.]

Addit propositioni epiphonema. Confert enim contrarium, scilicet quid sit sentiendum de merito. Nam gloriatio proprie significat hoc loco fiduciam meriti seu meritum.

Est autem hic locus egregia confirmatio nostrae interpretationis. Clare enim ostendit Paulum hoc ipsum velle, quod nos interpretamur et docemus monachorum opinionem de merito falsam esse, qui fingunt contingere remissionem peccatorum propter merita, non gratis, et abolent fidei doctrinam, ut cum docent: Si contritio fuerit sufficiens, merebitur remissionem. Et quia nunquam possumus statuere quod sit sufficiens, iubent dubitare, sic deinde fingunt hominem placere propter impletionem legis etc.

Haec est summa imaginationis monachorum, quam Paulus hic[1]) aperte damnat, cum ait: Exclusa est gloriatio per legem fidei, id est doctrina de fide docet gratis donari remissionem, non propter nostra[2]) merita, et pariter donari credentibus sive Iudaeis sive Gentibus, hoc est eis qui non habent opera legis. Haec exaequatio, ut saepe iam dictum est, terret securos et consolatur pavidos.

Illud etiam observandum est, cum Paulus prorsus excludit gloriationem certe etiam detrahit moralibus operibus in reconciliatione condicionem meriti. Quia si propter moralia opera daretur remissio, iam esset gloriatio, esset aliquod meritum remissionis

1) hic *A. B.* — *C. W.* omitt. 2) nostra *A. B.* — *C. W.* omitt.

peccatorum. Item cum fidem opponit nostrae dignitati et[1]) tollit gloriationem, satis adparet quod fidem intelligat fiduciam gratuitae misericordiae.

Lex operum significat doctrinam, quae requirit opera et docet homines propter opera iustos esse. Econtra lex fidei significat doctrinam quae concionatur de fide, id est docet homines iustos esse non propter propriam dignitatem aut impletionem legis aut opera, sed fiducia misericordiae promissae propter Christum. Nam fides non significat Legem naturae aut Decalogum, ut quidam falso interpretantur, sed significat fiduciam misericordiae promissae propter Christum, quam opponit Paulus dignitati nostrae. Hoc enim disputat, an contingat reconciliatio propter nostra opera an vero propter Christum per misericordiam gratis. Quare fides non significat legem aliquam, sed habet se correlative ad promissionem estque fiducia adprehendens promissam misericordiam.

Arbitramur igitur fide iustificari hominem, absque operibus legis etc.[2])

[*Λογιζόμεθα οὖν δικαιοῦσθαι πίστει ἄνθρωπον κτλ.*, v. 28.]

Epiphonemati adiecit conclusionem, in qua breviter repetit summam propositionis et iterum inculcat exclusivam, ut sententia sit certior. Iustificari significat consequi remissionem peccatorum et reputari iustum, id est adceptum ad vitam aeternam. Cum hac adceptatione coniuncta est donatio Spiritus sancti. Fides significat fiduciam misericordiae propter Christum promissae. Est igitur sententia: Pronunciamus hominem consequi remissionem peccatorum et reputari iustum coram Deo propter Christum per misericordiam, non propter legem. Et hanc misericordiam fide adcipi oportet.

Porro hanc sententiam mutilant adversarii et interpretantur tantum excludi ceremonias: Sine operibus legis, id est, sine ceremoniis. Deinde fingunt hominem consequi remissionem peccatorum et reputari iustum propter moralia opera seu ut loquuntur propter dilectionem et intelligunt fidem tantum de noticia historiae. Ita transferunt beneficium Christi in propriam dignitatem.

Sed haec interpretatio pugnat cum sententia Pauli: Nam Paulus detrahit toti legi hanc gloriam meriti seu iustificationis, sicut constat ex superioribus dictis: Ut totus mundus fiat reus etc. Item[3]) non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Hae sententiae excludunt a causa iustificationis etiam moralia. Et facile hoc in-

1) et tollit gloriationem *A. B.* tollit et gloriationem *C. W.* 2) absque operibus legis *B. C. W.* — *A.* omitt. 3) Item *A. B.* — *C. W.* omitt.

telligi potest. In vero certamine conscientia non potest statuere quod propter nostras virtutes et dignitatem remittantur nobis peccata aut simus adcepti. Ergo quaerenda est alia causa quare simus adcepti, scilicet mediator Christus.

Hinc facile intelligi potest Paulum de tota lege concionari, non tantum de ceremoniis, sicut etiam infra ostendit eius confirmatio detrahi iustificationem toti legi. Et quidem ipse adlegat legem moralem: Non concupisces, ne sit ambigua disputatio. Item hoc loco inquit: Stabilimus legem. Quare necesse est eam intelligi de moralibus[1]). Item cum vocabulum fidei recte intelligitur[2]), satis adparet toti legi detrahi iustificationem seu reconciliationem, quia fide iustificari est iustum reputari fiducia misericordiae non propter nostram dignitatem. Ita haec ipsa formula, fide iustificamur, opponitur imaginationi illorum, qui fingunt homines iustificari propter propriam dignitatem seu impletionem legis moralis. Excludit ergo etiam moralia a causa iustificationis, quia nemo satisfacit legi morali. Ceterum non excludit ab effectu: necesse est enim sequi novam et incoatam obedientiam.

Legem igitur irritam facimus?

[*Νόμον οὖν καταργοῦμεν*; v. 31.]

Occupatio necessaria est. Quia omnes statim cum audiunt hanc novam concionem, homines reputari iustos per misericordiam non propter legem, interrogant an concedatur licentia peccandi? An ita sit abrogata lex, ut si concessa licentia peccandi? Paulus respondet non aboleri legem per fidem, sed multo magis stabiliri, id est impleri.

Hic locus docet nos interpretari omnia dicta de operibus et lege. Quale est: Si vis in vitam ingredi serva mandata, et similia. Hic enim Paulus testatur legi addendum esse Evangelium de fide. Teneantur ergo hae duae regulae: Sine fide impossibile est legem fieri. Item: Fide fit et placet lex, Fide incoatur obedientia et placet.

Prior regula: Impossibile est sine fide fieri legem, intelligatur dupliciter. Primum de ipsa obedientia spirituali: Pia corda cum sentiunt iram Dei, cum dubitant, fugiunt Deum, desperant, non diligunt Deum, non invocant; sed conscientia fide erecta cum agnovit misericordiam fide propositam iam incipit diligere et invocare iuxta illud Pauli: Per fidem habemus adcessum ad Deum. Secundo intelligatur de adceptatione, id est, etiam hoc quod facit homo sine fide tamen non placet sine fide. Hinc clare intelligi potest legem

1) moralibus *A.* moribus *B. C. W.* 2) intelligitur *A. B.* intelligatur *C. W.*

non posse fieri sine fide. Quare cum laudantur bona opera, necesse est id intelligi ita, ut meminerimus addendum esse Evangelium de Christo et sciamus fidem necessariam esse ad faciendam legem nec placere legem sine fide.

Altera regula intelligatur etiam dupliciter. Lex fit fide primum, quia fides est motus spiritualis, quo agnoscimus misericordiam Dei in Christo propositam, ideo parit agnitionem Dei, dilectionem et alios bonos motus, invocationem etc. Item, fide adcipitur Spiritus sanctus, qui excitat bonos motus et novam obedientiam in cordibus. Secundo: Lex placet propter fidem, id est, quanquam legi non satisfacimus [1]), tamen quia sumus in Christo placet iam nova obedientia, et id quod deest condonatur credentibus propter Christum.

Hic intellectus necessarius est, ut conscientiae teneant firmam consolationem et agnoscant ineffabilem misericordiam Dei adprobantis incoatam obedientiam, in qua plurimum est infirmitatis et inobedientiae [2]). Ita hic Paulus inquit: Legem stabilimus, id est fide implemus, et quia conscientiae placatae fide agnoscunt Deum et diligunt et invocant etc. [3]), et quia incoata illa obedientia non placeret, nisi fide essemus reconciliati.

Caput IV.

Quid igitur dicemus invenisse Abraham patrem nostrum?

[*Τί οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν εὑρηκέναι*; v. 1.]

Sequitur confirmatio, in qua diligenter distribuenda sunt argumenta et ad propositionem referenda. Haec enim non solum confirmant propositionem, sed plurimum etiam lucis ei addunt. Praeclare etiam docent, muniunt, consolantur et erigunt nostras conscientias, cum anguntur de remissione peccatorum et de gratia. Monstrant enim fontes huius quaestionis et promissionem Evangelii eruditissime discernunt a lege, discernunt et iusticiam legis et Evangelii.

Porro mirum in modum hic extenuat Paulus et abiicit iusticiam legis, ut nusquam alias. Ideo prudenter videndum est quo pertineat haec disputatio. Quaerit enim de iusticia coram Deo: An iusticia nostra possit opponi terroribus peccati, irae et iudicio Dei? An consequamur remissionem peccatorum propter nostram dignitatem: An nostra dignitas liberet nos a peccato et a morte? An in vero agone conscientia debeat niti propria dignitate? An vero misericordia

1) satisfacimus *A.* satisfaciamus *B. C. W.* 2) inobedientiae *A. B. W.* obedientiae *C.* 3) etc. *A. B.* — *C. W.* omitt.

propter Christum promissa? Ad hoc certamen referendae sunt hae extenuationes iusticiae legis, non ad securas conscientias aut ad vitam exteriorem aut civilem. Nam Evangelium concionatur de spirituali et aeterna vita, concionatur de vera poenitentia et liberat a peccato et a morte. Exterior vita habet opus disciplina et lege. Sed de hac exteriore vita non disputatur hoc loco.

Ideo Paulus diserte praefatur de Abraham, qui habuit multas excellentes et heroicas virtutes et haud dubie dotibus ingenii sapientia et omni genere virtutum excelluit omnibus hominibus eius aetatis. Has tantas virtutes et haec dona Dei non aspernatur Paulus, sed negat posse opponi irae et iudicio Dei et discernit ab illa iusticia, de qua concionatur Evangelium, videlicet a remissione peccatorum quae datur propter Christum.

Haec initio monendi sunt imperiti, ut sciant quo pertineat Pauli doctrina et quo referenda sit haec nova et mira extenuatio iusticiae legis. Nam profani transferunt ad exteriorem vitam, postea interpretes aliqui, cum somniant Paulum de exteriori vita et iusticia loqui, corrumpunt Pauli sententias et putant tantum hoc agi ut abrogentur ceremoniae Mosaicae in vita exteriore: non referunt hanc doctrinam ad remissionem peccatorum et agonem conscientiae.

Sunt autem quinque argumenta. Primum ab exemplo. Abraham iustificatus est coram Deo fiducia misericordiae, non propter suas virtutes, Ergo et nos iustificamur fide. Consequentia est manifesta, quia eadem est ratio virtutum. Si Abraham, cum tot excellentes et heroicas virtutes haberet, non fuit propter eas iustus coram Deo, quanto minus hoc praestant virtutes inferiores in aliis!

Secundum ex definitione. Iustificatio est gratuita imputatio iusticiae, Ergo non iustificamur propter nostram qualitatem aut dignitatem etc.

Tertium ex definitione. Iustificatio est remissio peccatorum, Ergo non contingit[1]) propter nostram dignitatem, siquidem semper habemus opus remissione peccatorum.

Quartum ex ordine causarum et effectuum. Abraham pronunciatur iustus ante circumcisionem, Ergo non est iustus propter illud opus.

Quintum ex causa promissionis. Promissio pendens ex condicione legis non est certa. Promissio gratiae debet esse certa, Ergo promissio gratiae non pendet ex condicione legis, sed fide gratis adcipienda est.

---

1) contingit *B. C. W.* contigit *A.*

Primum argumentum [1]).

Primum argumentum de exemplo Abrahae diligenter inculcandum est animis. Etsi enim mirum in modum offendit Iudaeos haec ut videtur immodica extenuatio iusticiae legis, tamen piis et pavidis conscientiis adfert uberrimam [2]) consolationem. Ac semper meminerimus hanc concionem non pertinere ad [3]) exteriorem vitam, sed ad remissionem peccatorum in vera poenitentia.

Et hic diligenter amplificemus virtutes Abrahae. Neque enim dubium est, quin ille heroicus vir habuerit excellentes virtutes et moribus ac sanctis operibus longe vicerit multos. Et tamen Paulus audet detrahere eis hanc gloriam iustificationis. Habet laudem, inquit, sed non coram Deo, id est virtutes illae non possunt opponi irae et iudicio Dei, non liberant a peccato et a morte. Hoc exemplum magnam consolationem piis adfert. Ne quidem Abraham propter dignitatem propriarum virtutum iustificatus est. Ergo vere statuamus nobis gratis ignosci. Itaque posita negativa sententia addit ex Genesi [15] antithesin, quae est antecedens argumenti. Abrahae imputatum est ad iusticiam quod credidit [4]), Ergo et nos iustificamur fide, non propter nostra opera aut legem.

Sed hoc argumentum cavillantur aliqui multis modis. Alii dicunt esse synecdochen et credere dicunt esse opus et significare universam [5]) obedientiam: Abraham credidit, id est: obedivit Deo iuxta synecdochen, quia fidem debet sequi obedientia, Ideo fide aiunt significari universam [6]) obedientiam.

Alii dicunt male detorqueri hoc dictum, quia Genesis non faciat ibi mentionem de Christo aut de hac fide adcipiente remissionem peccatorum. Has calumnias prodest confutari, ut sententia verborum Genesis melius intelligatur.

Primum igitur hoc observandum est, Paulum hoc dicto Genesis discernere iusticiam legis et fidei. Quare necesse est hoc dictum intelligi proprie de fide. Item, Paulus addit interpretationem quod fide gratuita imputatio adcipiatur. Ergo hic proprie intelligit fidem adsensum et fiduciam, qua adcipimus promissam misericordiam, id est, qua statuimus quod Deus vere velit nobis ignoscere et propicius esse per misericordiam gratis, etiamsi sentiamus nos indignos esse.

Est ergo sententia, credidit, id est statuit se habere Deum propicium, quamvis sentiebat se indignum esse, et hac fiducia expectabat auxilium et promissum semen etc. Ita fide iustificatus est, id est, placuit per misericordiam gratis, non propter propriam dignitatem. Et id fide statuit iuxta promissionem, quia Deus

1) Primum argumentum *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) uberrimam *A. B. W.* uberimam *C.* 3) ad *A. B. W.* ac *C.* 4) credidit *C W.* credit *A. B.* 5) universalem *C. W.* 6) universalem *C.*

dixerat: Ego ero protector tuus etc. Et norat Abraham promissionem factam de illo venturo semine, quo Deus vellet aboleri peccatum et mortem. Quare non est adfingenda synecdoche, Abraham est iustificatus propter noticiam verbi et suos mores convenientes doctrinae et professioni. Quia fides non nititur dignitate virtutum propriarum, sed intuetur tantum misericordiam. Haec breviter moneo de prima cavillatione, ut retineatur simplex et vera significatio verbi Credidit.

Secunda cavillatio. Locum Pauli detortum esse, quia Genesis non videatur loqui in illa sententia de fide in Christum, sed de expectatione rei corporalis, videlicet posteritatis. Ad hanc cavillationem respondeo: Fides est fiducia promissae misericordiae propter Christum, et haec fiducia reddit pacatam conscientiam et vincit terrores peccati. Itaque proprium obiectum fidei est promissa misericordia. Hoc obiectum semper primum intuetur fides, etiamsi postea aliae res externae petuntur vel expectantur.

Hoc modo in omnibus dictis de fide primum intelligatur comprehendi fides, quae adcipit remissionem peccatorum. Deinde fides alias circa alia obiecta externa versatur.

Fides Moisi ad Mare rubrum versabatur circa defensionem populi. Interea tamen ipse statuebat se habere Deum propicium et[1]) propterea expectabat liberationem.

Fides Iacob Genesis 28 versabatur circa expectationem victus et reditus. Haec tamen non posset petere nec expectare a Deo, nisi prius statueret se habere Deum placatum.

Ita nos, quoties petimus panem quotidianum, simul statuamus Deum propicium esse propter Christum. Haec fides adcipiens remissionem peccatorum in omni oratione requiritur.

Quanquam igitur externa negocia sunt dissimilia, tamen primum obiectum et proprium scilicet promissa misericordia idem est in omnibus promissionibus et omni exercitio fidei. Cum igitur fides habeat obiectum praecipuum, Paulus recte citat hoc dictum.

Praeterea patres norant primam promissionem de Christo et sciebant ad hanc omnes promissiones referendas esse, omnia dari propter illud semen, propter quod Deus sit propicius, et quidem Abraham hanc ipsam promissionem sciebat proprie pertinere ad venturum semen Christum.

Tertia cavillatio. Huic testimonio citato ex Genesi opponunt alium locum de Abraham, Gen. 22: Quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo, benedicam tibi. Hinc argumentantur: Abraham laudatur propter opus, Ergo iustificatus est propter opus, non tantum fide.

Respondeo breviter: Neganda est consequentia, quia opus in

1) et *A.* — *B. C. W.* omitt.

credente habet suam laudem et est necessaria obedientia et fit iusticia, et tamen non habet hanc dignitatem quod propter ipsum opus persona habeat remissionem peccatorum et sit iusta, id est adcepta ad vitam aeternam coram Deo. Quia oportet personam prius habere remissionem peccatorum et iustificationem, postea placet incoata obedientia et est cultus Dei. Primum, quia per Christum est adcessus. Item: Omnè quod non est ex fide peccatum est. Secundo, quia conscientiae fierent incertae, si penderet remissio peccatorum ex dignitate operum. Ideo necesse est personam prius habere fidem.

Et haec facile iudicari possunt in vero certamine, quia conscientia non potest nostrum opus opponere irae aut iudicio Dei iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Nec Abraham opponebat opus suum iudicio Dei. Imo in ipso opere agnovit suam infirmitatem et hanc vicit fide et statuit se certo placere Deo propter aliud, scilicet misericordiam promissam, et tamen postea in credente obedientia placet Deo et habet magna praemia. Nam textus hic non dicit Abraham propterea iustum reputari, sed promittuntur ei praemia corporalia, etsi in his quoque repetitur promissio de Christo.

Ideo uterque locus in Genesi discernendus[1]) est. Alter docet simpliciter de imputatione iusticiae. Alter de laude et praemiis obedientiae, quae oritur ex fide et habet ingentia praemia. Quare discernendum est quomodo Genesis de iustificatione docuerit et quid[2]) de sequenti obedientia iudicandum.

Secundum argumentum.

Iustificatio est gratuita imputatio misericordiae, Ergo iustificatio non est nostrum opus. Antecedens est Pauli, Paulus enim agitat verbum imputandi et interpretatur de gratuita imputatione. Opponit enim debito.

Est autem phrasis observanda. Ut nunc utuntur adversarii vocabulo meriti, ita Paulus utitur correlativo vocabulo debiti: ut igitur tollit debitum ita tollit meritum in iustificatione et clare adfirmat quod imputatio fiat non propter debitum seu meritum, sed sit gratuita et adcipiatur fide.

Tertium argumentum.

Est declaratio et confirmatio secundi. Iustificatio est remissio peccatorum, Ergo iustificatio non fit propter nostram dignitatem seu merita.

Hoc argumentum multo magis declarat sententiam Pauli de

---

1) discernendus e coniectura, cf. quod modo sequitur: quare discernendum est quomodo Genesis etc. — discendus *A. B. C. W.*
2) quid *A. B. W.* qui *C.*

gratuita imputatione seu de exclusiva. Nam Sadoletus et alii imaginantur synecdochen: Fide iustificamur, id est fide consequimur virtutes, propter harum dignitatem placemus Deo. Sic illi imaginantur. At[1]) Paulus excludit hoc meritum et dicit nos coram Deo peccatores esse et ita iustos reputari, scilicet remissione peccatorum.

Ergo haec est sententia germana Pauli: Quod iusti reputemur per misericordiam propter Christum, non propter nostram dignitatem, et quod hanc misericordiam fide oportet adcipi. Haec sententia retinet exclusivam et tollit synecdochen.

Ceterum illud sciendum est, quod cum imputatione et remissione peccatorum est coniuncta donatio Spiritus sancti, cum fide adprehendimus verbum. Iam quanta est haec consolatio piis conscientiis scire quod iustificatio sit remissio peccatorum? Ergo non deterreamur eo, quod peccata ad Deum adferimus non merita, sed sciamus quod haec ipsa sit vox[2]) Evangelii et aeterna voluntas patris et immutabile Christi beneficium, quod vere velit iustificare quanquam indignos adferentes peccata, si tamen credamus. Et hic iterum observa repeti exclusivam: Cui imputat Deus iusticiam sine operibus.

Sed cavillantur hunc locum adversarii hoc modo. Alii loci tribuunt beatitudinem operibus: Beatus vir qui timet Dominum: Beati misericordes etc. Ergo simili modo possumus argumentari quod iustificemus propter opera, sicut Paulus argumentatur ex Psalmo quod iustificemur remissione peccatorum.

Respondeo: Neganda est consequentia, quia in omnibus locis de operibus debet includi hic[3]) locus: Beati quorum remissae sunt iniquitates, quia opera non placent nisi in credente seu iusto. Ideo Paulus rectissime citat hunc locum, cum de remissione peccatorum loquitur, quae est gratuita.

Sed dicat aliquis: Quare facis synecdochen in locis operum et non in locis fidei? Respondeo: Quia opera non placent nisi in credente seu iusto. Ideo in locis operum includimus fidem. In locis de fide non est synecdoche, quia adcipit remissionem per misericordiam nec nititur dignitate operum, imo fieret incerta et excuteretur, si penderet ex dignitate operum seu merito. Ideo gratis, ut sit firma promissio. Praeterea, quandocunque dicitur opera placent propter fidem, iam eo ipso detrahitur operibus iustificatio, quia fides non nititur operibus, sed est fiducia solius misericordiae. Et hoc ipsum dicit, fide personam prius esse reconciliatam, postea placere opera.

Psalmus [31]: Beati quorum etc. est doctrina et confessio, in qua doctrinae exemplum proponit. Deinde tertio loco addit doc-

---

1) at *A. B. W.* ad *C.* 2) sit vox *A. B. C.* vox sit *W.* 3) hic *A. B.* — *C. W.* omitt.

trinam legis de disciplina et de causis calamitatum humanarum. Initio doctrinam tradit seu concionem, quae duas partes continet, scilicet doctrinam quod omnes sint sub peccato. Item promissionem quod Deus velit remittere peccata et docet quomodo remittat, quomodo iustificet, scilicet gratis, non imputans peccata etc.

Est igitur propositio. Beati quorum remissae sunt iniquitates, id est: Ita[1]) sumus iusti, non propter dignitatem nostram aut merita, sed Deo non imputante, Deo remittente peccata. Ergo omnes homines habent peccatum et omnibus potest Deus imputare peccatum et[2]) omnes agnoscere debent se habere peccatum. Ideo inquit: Nec est in spiritu eius dolus, id est, qui agnoscit et confitetur peccatum: Beatus est etc. Atque ita reputamur iusti, cum agnoscimus et confitemur nos habere peccata et credimus nobis remitti per misericordiam propter Christum.

Deinde sequitur confessio ipsius, quae est exemplum propositae concionis. Quoniam tacui inveteraverunt ossa etc. Tacere opponit confessioni. Confessio autem est agnoscere peccatum et petere et credere remissionem. Hoc vult cum inquit: Dixi confitebor adversum me iniusticiam meam Domino. Econtra tacere est sentire peccatum et non petere aut credere gratuitam remissionem, sed manere in illa dubitatione et pavoribus aut quaerere per opera consolationem, sicut alii per monachatus, alii per alia opera quaerunt. Ita dicit: Mansi in pavoribus et paene consumtus essem. Deinde addit de confessione, in qua clare docet quod Deus remittat peccata, et quidem remittat confitenti, non adferenti iusticiam legis: Ergo gratis remittit.

Transfert exemplum ad alios: Pro hoc oravit ad te omnis sanctus, id est, etiam sancti agnoscunt se habere peccata et petunt et credunt sibi ignosci, Ergo est gratuita remissio. Hac fide servabuntur et non obruentur fluctibus, non opprimentur terroribus. Vides igitur coniungi doctrinam de poenitentia et de remissione. Non promittit remissionem securis et non dolentibus, sed eis ubi simul existit poenitentia et existunt terrores.

Ideo addit concionem ad populum legis, quem hortatur ad poenitentiam: Nolite fieri sicut equus et mulus, id est agnoscite iram Dei adversus peccatum. Et addit de poenis peccati: Deus onerat mundum calamitatibus et morte ut[3]) coërceat et puniat impios et ut humiliet nos, ut agnoscamus peccata. Ita omnes plagae mundi sunt pars legis et conciones divinae, quae testantur mundum esse subiectum peccato et Deum irasci peccato.

Hanc sententiam opponit iudiciis humanis. Nam homines cogitant casu adcidere calamitates et sine consilio Dei aut iniusto iu-

---

1) ita *A. B. C* — *W.* omitt. 2) et *A. B.* — *C. W.* omitt. 3) ut *A. B. W.* et *C.*

dicio Dei: sed Propheta hic concionatur et docet sapientiam divinitus revelatam, quod sciente et ordinante Deo adcidunt, ut Deus coërceat impios et declaret[1]) iram adversus peccatum, ut agnoscamus peccatum et quaeramus in Christo gratiam et liberationem. Praeterea docet sanctos, etiamsi simul adfliguntur, tamen servari et tandem liberari a morte et omnibus malis.

Quartum argumentum.

Quartum argumentum ex ordine causarum. Abraham pronunciatur iustus ante circumcisionem, Ergo opus illud non meretur remissionem peccatorum nec iustificationem. Hoc argumentum est illustre, quia continet collationem iustificationis seu reconciliationis et sequentium operum. Praeterea docet de usu Sacramentorum.

Primum autem diluenda est cavillatio. Cum Paulus nominaverit ceremoniam, videtur tantum ceremoniis detraxisse iustificationem. Ad id respondendum est: In Abraham Davide et similibus ceremoniae tam habebant mandatum Dei, quam alia bona opera, Ergo ratio diversitatis nulla est hic. Si cetera opera mandata a Deo merebantur remissionem peccatorum et iustificationem, multo magis cum illis merebantur id ceremoniae, quia erant praestantia opera primae tabulae. Itaque cum Paulus detrahit ceremoniis meritum, detrahit etiam ceteris operibus.

Secundo hic locus continet utilem collationem fidei et sequentium operum. Abraham fide consecutus est remissionem peccatorum et iustificatus ita placet persona. Postea sequitur eius obedientia. Haec in tali persona iam habet magnam laudem.

Sic David primum adcipit fide remissionem peccatorum et fit filius, postea placent eius fortiter facta in militia, diligentia in imperio, pacientia in adflictionibus et aliae virtutes. Et tamen has interim non opponit iudicio Dei, scit eas non satisfacere legi nec placere propter suam perfectionem, sed quia credit se per misericordiam propter promissum semen habere Deum propicium, sicut inquit: Quid tribuam[2]) Domino? etc. Ita in credente iam bona opera fiunt sacrificia et hostiae laudis et habent magna praemia.

Tertio diligentissime hic locus de usu Sacramentorum observandus est, ut muniat nos contra pharisaicas opiniones de opere operato. Item contra anabaptisticas imaginationes. Quia enim Paulus circumcisionem vocat sigillum iusticiae fidei, testatur Sacramenta esse signa requirentia fidem. Quare non iustificant sine fide ex opere operato, ut monachi loquebantur.

Item[3]) docet hic locus, Sacramenta non tantum esse signa professionis erga homines aut symbola nostrorum morum, ut imagi-

---

1) declaret *A. B.* declarat *C. W.* 2) tribuam *A. B.* retribuam *C. W.* 3) idem *C. W.*

nantur Anabaptistae, qui extenuant Sacramenta. Verum ille usus et finis principalis est Sacramentorum, quod sunt signa promissionis et testimonia voluntatis Dei erga nos et requirunt fidem, sicut promissio.

In Abraham circumcisio est nota, quae semper admonebat eum promissionis. Et erat testimonium, quod Deus ei propicius esset iuxta promissionem. Ita baptismus in nostro corpore admoneat nos promissionis et testari debet quod vere velit Deus impartiri ea, quae in Evangelio promisit.

Manducatio corporis et sanguinis Domini in nobis ipsis testimonium est, quod Christus vere nos sibi tanquam membra adiungat, quod vere velit nos abluere sanguine suo. Sic igitur utendum est Sacramentis sicut verbo, et fides exuscitanda et exercenda est Sacramentis, sicut verbo.

Quintum argumentum[1]).

Quintum argumentum ex causa promissionis. Nulla promissio pendens ex condicione legis est certa. Promissionem gratiae oportet esse certam, Ergo promissio gratiae non pendet ex condicione legis, sed fide gratis adcipienda est.

Hic est principalis syllogismus in hac controversia praecipue agitandus. Estque totius disputationis synechon ductum ex fontibus vel ex loco causarum. Ideo multum lucis addit huic negocio, exponit qualis sit promissio et quid sit fides, item monstrat discrimen promissionum legis et promissionis gratiae. Quare ad hanc controversiam intelligendam necesse est hoc argumentum agitare. Deinde non solum ad erudiendas conscientias sed etiam ad consolandas magnopere conducit. Nam hic locus maxime declarat particulam Gratis et ostendit quare promissio sit gratuita.

Declaratio maioris.

Si promissio penderet ex condicione legis, fieret incerta. Hanc propositionem confirmat Paulus in textu: Quia lex iram efficit, id est lex semper adcusat et condemnat nos, cum nunquam ei satisfaciamus, quia lex Dei requirit non tantum externa civilia facta, sed perfectam obedientiam interiorem et exteriorem, dilectionem Dei summam. Hanc nemo praestitit praeter Christum, ceteros omnes adcusat et condemnat lex, sicut Paulus inquit [Ephes. 2, 3]: Omnes natura sumus filii irae. Itaque si promissio haberet condicionem legis, cum lex semper adcuset et condemnet, promissio gratiae fieret irrita; ideo Paulus maiorem syllogismi ita recitat; Si hi qui ex lege sunt essent haeredes, abolita esset fides et irrita esset promissio. Et confirmationem addit ipse: Lex iram

1) Quintum argumentum *B. C. W.* — *A.* omitt.

efficit, id est condemnat, adigit ad desperationem. Brevius autem recensuit[1]) hanc confirmationem, quia infra repetet eam de usu legis.

Sed dicat aliquis: Imo certe Evangelium est condicionale, quia peccata non remittuntur nisi adcedat poenitentia, sicut inquit textus: Agite poenitentiam. Item: Desinite male facere. Item, Christus inquit: Si vis in vitam ingredi, serva mandata.

Respondeo breviter: Haec requisita non sunt condicio et causa, propter quam datur reconciliatio, sed potius sunt effectus[2]) necessario sequentes. Et quod non sint causa, propter quam datur remissio seu reconciliatio, inde adparet, quia peccatum remittitur vel concupiscentia, etiamsi adhuc reipsa haereat in carne, et concupiscentia non est ociosa, sed gignit infinitos pravos adfectus. Non igitur pendet remissio ex condicione impletae legis vel implendae, seu nostrae puritatis. Et tamen cum adprehenditur remissio fide, cum fides sit incoatio[3]) novae et aeternae vitae, necesse est iam incoari novam obedientiam, quae etiamsi est imperfecta, tamen placet propter Christum. Item, cum fides liberet a terroribus peccati, necesse est existere terrores in nobis, sed illi terrores nequaquam sunt precium aut causa remissionis peccatorum. Sed conscientia debet statuere quod hoc beneficium gratis detur propter mediatorem et pontificem Christum.

Sed hic obiici potest, si promissiones condicionales sunt irritae, Ergo omnes promissiones additae operibus sunt inutiles, quales sunt: Date et dabitur vobis. Frange esurienti panem, et Dominus exaudiet te etc.

Respondeo: Promissio remissionis peccatorum et reconciliationis seu iustificationis ac vitae aeternae propria est Evangelii et gratis propter Christum exhibetur, non propter condicionem legis aut operum. Haec promissio diligenter discerni debet a promissionibus legalibus, quae habent condicionem operum, quales sunt: Date et dabitur vobis. Si quis dederit tantum potum aquae etc., non perdet mercedem suam. Honora patrem et matrem, si vis longaevus esse super terram.

Hae promissiones habent condicionem operum et vere sunt inutiles et irritae sine promissione Evangelii, quia opera ipsa non placent Deo nisi in reconciliatis. Sed postquam fide per misericordiam gratis adcepti sumus, postea placet incoata obedientia, non propter propriam mundiciem aut dignitatem, non quod possit opponi iudicio Dei, non quod legi satisfaciat, non quod propter eam persona sit iusta, sed persona est iusta, id est adcepta propter

---

1) recensuit *A. B.* recensui *C. W.* 2) effectus *C. W.* adfectus *A. B.* 3) cum fides sit incoatio *A. B.* cum fide incoatio *C.* cum fide fit incoatio *W.*

Christum per misericordiam. Ideo deinde placent opera, quia sumus filii, sicut Paulus inquit: Iam non estis sub lege sed sub gratia. Quanquam igitur talia opera reipsa non sunt impletio legis, tamen cum placeant propter Christum, sunt velut quaedam impletio legis. Ideo legales promissiones, id est promissiones additae talibus operibus, iam fiunt ratae et utiles reconciliatis.

Haec est utilis doctrina de discrimine promissionum et de usu legalium promissionum, ut sciamus quomodo sint ratae et discamus etiam in his fidem exercere, quia promissiones sunt additae operibus praecipue propter hanc causam, ut ita operemur, ut simul fides petat et expectet a Deo beneficia spiritualia et corporalia necessaria Reipublicae et nobis.

Declaratio minoris.

Minor syllogismi est: Promissio gratiae debet esse certa et rata. Primum enim quid fuisset opus edere promissionem et revelare remissionem, si nulla esset. Esset autem nulla, si penderet ex condicione legis, quia legi nunquam satisfit. Imo ideo revelata est reconciliatio, quia lege non poteramus consequi. Et ob hoc ipsum detracta est legis condicio. Secundo: Dubitatio in animis parit desperationem, sicut supra dictum est: Lex efficit iram. Ideo necesse est nobis promissionem esse notam certam et ratam, ut opponatur dubitationi et sit efficax consolatio.

Hoc loco necesse est reprehendi opinionem vulgarem, quae docet quod conscientia debeat dubitare de remissione peccatorum et an Deus sit nobis propicius, et quod haec dubitatio non sit peccatum. Haeret quidem naturaliter in omnium animis dubitatio. Nam et caligo tanta est, ut securi animi etiam iram Dei contemnant et de iudicio dubitent et deinde, cum conscientia perturbatur, perpetuo adcusat et condemnat. Fatemur igitur haerere dubitationem in animis: sed dicimus dubitationem illam peccatum esse et repugnandum esse illi dubitationi[1]). Ideo enim revelata est promissio, ut corrigat illam[2]) dubitationem, ut certam et firmam consolationem habeamus et certo statuamus nobis remitti et nos exaudiri, et Evangelium sicut proponit promissionem ita expresse requirit fidem, ut illi ipsi promissioni credamus, ut Ioan. 3. Fides autem est contraria dubitationi. Item dubitatio adcusat Deum mendacii, negat Deum veracem esse etc. Quare et promissionem et mandatum de fide debemus opponere dubitationi et discere quod dubitatio sit summum peccatum.

---

1) illi dubitationi *B.* — *C. W.* omitt. illi. — *A.* dubitationem illam pecc. esse illi et repugnandum esse dubitationi. 2) illam *A. B. W.* — *C.* omitt.

Scholastici ideo imaginati sunt dubitationem non esse peccatum, quia viderunt eam naturaliter haerere in animis. Item prorsus non discernebant legem ab Evangelio, non consideraverunt requiri fidem aut quid sit fides, quia imaginabantur fidem esse noticiam legis. Itaque hac doctrina de dubitatione, vel quod iubent dubitare, simpliciter abolent totum Evangelium, promissionem et mandatum de fide. Quare repudianda est illa impia imaginatio, quae iubet dubitare.

Qui praeter spem sub spe credidit.

[Ὃς παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν, v. 18.]

Sequitur amplificatio, quae illustrat fidei naturam et exercitium. Ac semper illud tenendum est, quod supra dictum est, fidem primum complecti fiduciam, quae statuit nobis remitti peccata et Deum nobis propicium esse propter Christum. Postea hanc ipsam fidem versari circa alia atque alia obiecta exteriora, ut fides Abrahae primum intuetur in hac ipsa promissione semen promissum, propter quod Deus benedicturus est generi humano. Deinde exerit se et expectat promissam posteritatem.

Fides Moisi primum adprehendit misericordiam, postea expectat liberationem populi etc. Ita variant semper obiecta exteriora, et tamen unum commune obiectum est fidei principale, scilicet misericordia promissa propter Christum. Quare unusquisque etiam exuscitet fidem in suo periculo, in sua adflictione.

Dixi autem illustrari hic naturam fidei, quia primum describitur obiectum. Fidei obiectum proprium est verbum, quod pugnat cum externa specie, ut Abrahae promittitur semen et posteritas, cui velit Deus benedicere. Interim coniunx est[1]) sterilis, ipse est effoetus.

Evangelium promittit pacem et vitam. Interim exercemur omni genere adflictionum et in morte vita non conspicitur. Ideo dicit hic Paulus: Abraham credidit contra spem in spem. Contra spem, id est contra obiectum propositum de quo desperandum erat: in spem, id est[2]) in verbum, in quod sperandum erat. Ita fides intuetur verbum et se verbo sustentat, etiamsi externa species repugnat.

Israëlitis promittitur liberatio. Interim crescit acerbitas servitutis et sequuntur aliae maiores aerumnae. Sic nos etiam debemus in nostris periculis fidem exercere.

Dixi de obiecto: nunc de formali fidei. Atque hic locus clare ostendit fidem a Paulo vocari fiduciam, quae adsentitur promissioni

1) est *A. B.* erat *C. W.* 2) Sic *A.* — *B. C. W.* contra spem, id est in verbum, in quod sperandum erat.

Evangelii et pugnat cum dubitatione. Non igitur significat fides noticiam legis aut tantum noticiam historiae: sed significat adsentiri promissioni, non dubitare quin Deus exhibiturus sit promissum.

Estque hic locus observandus, ut opponatur illis, qui fidem negant esse fiduciam pugnantem cum dubitatione. Nam hic expresse ponuntur quatuor descriptiones. De promissione non dubitavit diffidentia. Item, certus fuit. Item, dans gloriam Deo etc. Ita supra Paulus confert fidem et promissionem et ostendit ea inter se connexa esse tanquam correlativa. Ergo certum est fide apud Paulum significari fiduciam, quae adsentitur promissioni Evangelii et adcipit promissam remissionem peccatorum et reconciliationem. Item non dubium est, Paulum loqui de fide agente aliquid in terroribus conscientiae et consolante conscientias. Sicut infra inquit: Iustificati fide pacem habemus. Porro illa consolatio non fit noticia legis aut noticia solius historiae, sed fiducia promissionis pugnante cum dubitatione.

Omnia sunt plena tenebrarum et caliginis in doctrina Christiana, amissa hac propria significatione vocabuli fidei. Ideo hi loci Pauli diligenter sunt observandi, ut quid proprie fides significet et[1]) certo iudicari et constitui possit ut refelli deliramenta illorum possint, qui negant fidem esse fiduciam pugnantem cum dubitatione, sed imaginantur tantum esse noticiam historiae.

Deinde nos etiam ad usum transferamus hanc descriptionem hic propositam et discamus hoc esse verum fidei exercitium, repugnare naturali dubitationi et diffidentiae et illi opponere verbum seu promissionem et petere et expectare ut confirmemur a Deo. Sicut ille ait Marci nono: Credo Domine, adiuva incredulitatem meam.

Tertio ornat Paulus fidem a causa finali. Postquam enim descripsit eam qualis sit et quae sit eius natura, addit egregiam commendationem, quod sit cultus reddens Deo gloriam, id est adfirmans quod Deus sit potens et verax: quia non adsentiens promissioni dubitat an sit vera, imo negat esse veram. Adcusat igitur Deum mendacii, sicut Ioannes inquit: Qui non credit Deo mendacem facit eum. Econtra adsentiens promissioni statuit Deum esse veracem, potentem etc.

Et ut magis intelligi possit quod sine hac fide non tribuatur Deo ulla gloria, antithesis consideranda est. Ratio aut habet opiniones Epicureas de Deo, quod sit ociosus nec puniens nec salvans. Haec est prima contumelia descripta in Psalmo [14, 1]: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Aut habet opiniones legis de Deo, quod scilicet Deus salvet iustos et quia non sumus iusti reiecerit nos. Haec etiam est altera contumelia, quia sic sentiens de

1) et *A.* — *B. C. W.* omitt.

Deo fugit Deum et fremit adversus Deum. Qui sic de Deo iudicant non invocant Deum. Nihil a Deo expectant. Itaque non agnoscunt eum esse Deum.

Sed econtra credens promissioni gratiae abiicit opiniones Epicureas et opiniones legis et tribuit Deo gloriam, quod vere curet et diligat nos, quod non velit perdere, sed exaudire et salvare iuxta promissionem quanquam indignos. Itaque hac fide invocat et expectat a Deo auxilium et salutem. Tribuit igitur haec fides gloriam Deo, quod sit Deus, quod sit potens, id est efficax, agens aliquid nobiscum, quod sit verax, quod sit misericors, quod exaudiat, quod salvet. Haec est gloria propria Dei, et haec fides parit invocationem et veros cultos spirituales.

Hic necesse est admoneri auditores de illis, qui adversantur doctrinae fidei et iactitant se esse doctores bonorum operum. Hanc laudem isti falso sibi adrogant, quia tantum docent externa et civilia opera, interim non docent veros et interiores cultus, scilicet exercitia fidei et invocationem. Haec opera sunt propria Christianorum. De his praecipue docendae sunt Ecclesiae.

Secundo, omissa doctrina fidei nec placent Deo alia opera nec conscientiae possunt intelligere quomodo placeant. Ideo tales doctores, qui omittunt doctrinam de hac fide, nequaquam docent de bonis operibus, sed de suis quibusdam operibus reiectis a Deo, quae cum proponunt tanquam cultus et transferunt in eos honorem debitum Christo, docent idolatrica. Huc pertinent illae conciones apud Prophetas, ut Esaiae 41: Ecce omnes iniusti et vana[1]) opera eorum, ventus et inane simulacra eorum.

Ideo in vera doctrina bonorum operum cogitemus primum fidem et exercitia fidei requiri, quae sunt cultus, qui proprie tribuunt Deo gloriam, et exerceamus invocationem in omni vita et omnibus negociis. Ita crescet ipsa fides et Deus dabit alia dona sicut promittit: Quanto magis pater vester dabit Spiritum sanctum petentibus. Inde existent etiam alia bona opera.

Non scriptum est autem propter illum tantum imputatum fuisse illi, sed etiam etc.

[*Οὐκ ἐγράφη δὲ δι' αὐτὸν μόνον ὅτι ἐλογίσθη αὐτῷ κτλ.*, v. 23.]

Insignis locus est et duo continet. Primum, quod haec iusticia de qua concionatur revelata sit de coelo, non sit nota ratione[2]) aut ex lege. Secundo, quod exemplum iustificationis Abrahae ad omnes pertineat. Uterque locus continet egregiam doctrinam.

1) vana *A.* nova *B. C. W.* 2) ratione *A. B.* rationi *C. W.*

Prior enim de revelatione ostendit discrimen iusticiae legis et[1]) imputationis et deducit nos ad verbum ac[2]) promissionem planeque idem docet, quod Ioannes in illo dicto: Filius qui est in sinu patris ipse enarravit nobis, quia nec ratio nec lex docet aut certos reddit, quod Deus remittat peccata, praesertim indignis. Item, quod pronunciet iustos quanquam non satisfacientes legi. Est igitur haec promissio, quae est Evangelium, de remissione peccatorum et imputatione iusticiae revelata divinitus et est alia sententia, quam doctrina[3]) legis et rationis. Quare diligenter hoc loco observandum est quod inquit: Scriptum est quod imputetur quasi dicat: Haec voluntas de imputatione non est nota rationi sicut lex, sed est alia sententia et nova revelatio.

Deinde et illud considerandum est, quod deducit nos ad verbum. Non vult nos quaerere alias illuminationes sed vult nos a verbo ordiri et verbo consolari conscientias et statuere quod haec sit certa et rata[4]) voluntas Dei, quae in verbo proponitur. Sunt igitur repudiandae Anabaptisticae et Manicheae imaginationes, quae quaerunt illuminationes sine verbo Dei et extra verbum Dei.

Secundo illud continet egregiam consolationem, quod hoc loco transfert exemplum iustificationis ad omnes et primum docet Abraham esse formam populi Dei, ut sciamus ceteros iustos reputari, sicut ipse iustificatus est.

Deinde est[5]) illud suavissimum, videre quod facit omnes pares Abrahae, quod adtinet ad remissionem peccatorum et imputationem iusticiae. Nam donorum est dissimilitudo. Sciant igitur omnes sic se diligi et iustos reputari, sicut testatur Deus se diligere[6]) et iustificare Abraham. Et quod in illo proposita sunt testimonia veri et magni amoris, id eo factum est ut sciamus nos similiter diligi et exaudiri. Ad hunc usum adcommodandus est hic locus Pauli, qui transfert ad nos exemplum Abrahae.

Et huc referri debet quod saepe dicimus inculcandum esse conscientiis quod promissiones sint universales. Hoc cum ita sit, Deus postulat ac praecipit ut omnes credant se pariter diligi et iustos reputari.

Postremo non satis est dicere de fide seu fiducia misericordiae. Sed necesse est mediatorem complecti. Ideo Paulus addidit imputari credentibus in eum, qui excitavit Iesum a mortuis[7]), qui traditus est propter delicta nostra et resuscitatus propter iusticiam nostram. Hic rursus habes argumentum, quod fides significet non noticiam legis aut tantum historiae,

1) et *A.* ac *B. C. W.* 2) ac *A.* et *B. C. W.* 3) doctrinae *C. W.* 4) rata *B.C. W.* rara *A.* 5) est *C. W.* omitt. 6) se diligere *A. B. C.* sic se diligere *W.* 7) mortuis *B. C. W.* mortibus *A.*

sed significet fiduciam, quae adprehendit imputationem, quae fit propter mediatorem Christum passum et regnantem.

Paulus discernit mortem et resurrectionem, et cum fit mentio resurrectionis, intelligatur Regnum et Pontificatus Christi. Nam ideo sumus Christi, quia Christus noster pontifex pro nobis interpellat apud patrem, ut reputet nos iustos. Item, quia Christus vivit et regnat, dat Spiritum sanctum et vivificat, liberat ab ira et aeterna morte, resuscitabit mortuos. Ac fides utrunque adprehendit et adplicat nobis, videlicet mortem Christi et resuscitatum mediatorem, pontificem, vivificatorem. Mortem Christi adprehendit, ut teneat victimam, quam statuat certum precium esse pro peccatis nostris, quia Deus voluit esse aliquam victimam pro peccato. Et quidem ita irascitur peccato, ut nulla placuerit hostia nisi mors filii. Hoc ipsum testatur et iram Dei adversus peccatum ineffabilem esse et misericordiam erga nos infinitam esse, quod filium pro nobis fecit victimam.

Est autem non solum mors Christi adprehendenda, sed etiam quod resuscitatus sit [1]) noster pontifex apud patrem, ut [2]) vere [3]) exaudiat, vere sit efficax, vere vivificet, det Spiritum sanctum, iuvet nos, liberet a morte aeterna, resuscitaturus sit mortuos et daturus novam et perpetuam vitam, sapientiam et iusticiam. Haec omnia Paulus complexus est cum ait: Resurrexit propter iusticiam nostram.

Caput V.

Iustificati igitur ex fide pacem habemus:

[Δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως εἰρήνην ἔχομεν, v. 1.]

Epilogus est confirmationis, qui repetit propositionem et addit egregiam amplificationem de primo fidei effectu seu de propria praerogativa, quam habet fides. Postea adtexit consolationem plenam adfectuum acerrimorum, quae semper in conspectu habenda est et adcommodanda ad corporales et spirituales adflictiones.

Sed redeo ad Epilogi principium: Iustificati fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum [4]). Est enim sententia: Fide reconciliamur et reconciliati deinceps eadem fide placemus Deo et habemus conscientias pacatas, non propter legis impletionem, sed propter Christum.

Primum autem opponendum est hoc dictum imaginationi scholasticae, quae fingit renatos deinde iustos esse propter impletionem

1) sit *A. B. W.* est *C.* 2) ut *A.* — *B. C. W.* omitt. 3) vere *B. C. W.* re *A.* 4) Christum *A. B.* — *C. W.* omitt.

legis, et ut ipsi loquuntur virtutes et opera renatorum mereri vitam aeternam de condigno. Ita delent fidem et fingunt renatis postea nihil opus esse mediatore Christo: hoc est rursus sepelire Christum.

Secundo, usurpandum est hoc dictum, ut erudiat et consoletur pios agnoscentes suam infirmitatem, ut videlicet revocentur ad mediatorem Christum et discant se iustos reputari propter Christum fide, non propter propriam dignitatem. Itaque infirmitas, quae adhuc in ipsis haeret, condonatur eis nec sunt iusti propter illam incoatam et imperfectam obedientiam, sed fide propter Christum.

Tertio, observandum est rursus testimonium de iustificatione. Dicit enim hic diserte: Iustificari fide.

Quarto, Origenes detorquet hunc locum ad pacem erga homines et ad officia dilectionis et depravat lectionem. Pacem habeamus[1]), id est simus placidis moribus erga alios. Haec sententia prorsus intempestiva hic est. Nam Paulus diserte ait: Pacem habemus erga Deum. Loquitur igitur de pace, id est consolatione conscientiae erga Deum seu liberatione a pavoribus. Estque sententia: Deus iam non irascitur nobis. Et vicissim nos habemus tranquillas conscientias, liberatas a terroribus peccati et mortis.

Hic igitur observandum est, primum et propriissimum effectum fidei esse, reddere pacatam seu tranquillam conscientiam seu liberari a terroribus peccati et mortis. Haec consolatio est vivificatio, de qua loquitur Scriptura, cum docet nos vivificari, ut iustus ex fide sua vivet. Iam si fide liberamur a terroribus, necesse est existere in piis terrores et poenitentiam.

Quinto, docet hic locus falsam esse opinionem, quae iubet dubitare de remissione peccatorum, quia hic textus inquit: Pacem habemus. At conscientia dubitans nequaquam habet pacem. Igitur fide erigi mentes contra dubitationem oportet.

Sexto, docet hic locus falsam esse imaginationem, quae divellit remissionem culpae et remissionem poenae aeternae. Cum enim in remissione culpae vivificamur et pacem consequimur, hoc est liberamur a terroribus peccati et mortis aeternae, necesse est in remissione culpae simul fieri remissionem poenae aeternae[2]) nec remitti poenam aeternam propter compensationem in purgatorio.

Ceterum remissio culpae et remissio poenae temporalis in hac vita discerni debent: Et in piis existit pax et consolatio conscientiae, etiamsi foris sunt oppressi adflictionibus corporalibus: ut David retinet fidem et pacem conscientiae etiam pulsus in exilium.

Septimo, argumentum de iustificatione hinc sumendum est ab effectu, tantum illa re consequimur remissionem et iustificamur, qua conscientiae redduntur pacatae coram Deo, sola fide redduntur

---

1) habeamus *A. B. W.* habemus *C.* 2) poenae aeternae *B. C. W.* poenam aeternam *A.*

pacatae: Ergo, sola fide consequimur remissionem et iustificationem.

Maior est manifesta, quia iustificatio est vivificatio. Minor est Pauli in hoc loco: Fide pacem habemus, et potest declarari ex superioribus. Si fides partim niteretur misericordia, partim nostra[1]) dignitate, fieret incerta et[2]) excuteretur. Nam exclusiva excludit dignitatem. Non hoc docet, quod non debeant existere in nobis novitas vel poenitentia vel contritio.

Octavo, insignis locus est, quod ait: Per quem habemus adcessum fide. Docet enim de mediatore et docet quomodo adprehendi debeat mediator et quid sit fides, videlicet quod peccata remittuntur propter mediatorem Christum, quod lex non fiat nec placeat nisi propter Christum.

Refutat et opinionem monachorum, qui etiamsi dicunt Christum esse mediatorem, tamen non dicunt de fide, qua oportet adprehendi mediatorem in remissione peccatorum: tantum dicunt peccata remitti propter contritionem vel alia opera, non docent fide opus esse, hoc est fiducia quae statuat propter Christum mediatorem nobis remitti peccata gratis. Sicut supra dixit: Quem posuit propiciatorem per fidem, ut sciamus fide adplicari nobis beneficium mediatoris.

Quare hic locus observandus est, ut opponatur hypocriticis opinionibus, quae, quanquam in speciem dicunt de mediatore, tamen re ipsa tollunt mediatorem, quia non docent de hac fide, quae est fiducia adplicans nobis beneficium mediatoris seu quae nititur mediatore et statuit propter ipsum nobis gratis remitti peccata etc.

Nono, iterum hoc loco testimonium extat, quod fides significet fiduciam mediatoris seu fiduciam quae adprehendit gratiam, hoc est misericordiam, quia inquit: Fide habemus adcessum in hanc gratiam. Haec non possunt intelligi de noticia historiae, sed de fiducia adprehendente gratiam, id est gratuitam misericordiam, videlicet remissionem peccatorum et imputationem iusticiae. Haec enim proprie significat hoc loco gratia.

Gloriamur sub spe gloriae Dei.

[*Καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ θεοῦ*, v. 2.]

In epilogo repetivit[3]) principalem propositionem de iustificatione et admonuit quod, sicut fide iustificamur, ita deinceps sancti statuere debeant se fide iustos esse, non propter propriam dignitatem.

---

1) nostra *A. B.* — *C. W.* omitt. 2) et *A. B. W.* — *C.* omitt.
3) repetivit *B. C. W.* repetunt *A.*

et quod Deus requirit obedientiam et fidem seu spem in adflictionibus: non sunt igitur signa irae. Haec est summa huius sententiae, sed priusquam singula verba tractamus, prius doctrina de adflictionibus consideranda est. Sunt autem quatuor praecepta, quae de adflictionibus scire necesse est.

1. Primum, quod statuendum est nos non adfligi casu, sed certo consilio et permissione Dei.

2. Secundum, non solum statuendum est adflictiones Dei consilio adcidere, sed etiam addendum est quod Deus puniat non ut perdat sed ut revocet nos ad poenitentiam seu ut exerceat fidem nostram, quodque adflictiones non sint signa irae sed bonae voluntatis Dei, iuxta illud: Nolo mortem peccatoris. Et prodest in his praeceptis habere in promtu quam plurima testimonia.

3. Tertium praeceptum, quod Deus requirat obedientiam in adflictionibus et quod indignatio et impacientia[1]) sint peccatum et quod praecipue Deus Ecclesiam[2]) subiecerit adflictionibus et quod haec obedientia propter Deum praestanda sit.

4. Quartum, non satis est obedientiam praestare, sed plus requiritur, videlicet fides et invocatio, qua auxilium petimus et expectamus, iuxta illud: Invoca me in diebus tribulationis etc.

Haec quatuor praecepta tenenda sunt in omnibus adflictionibus, et horum cogitatio parit veram pacientiam Christianam, quae differt a philosophica. Nam philosophica est obedientia erga rationem in perferendis adversis rebus ex aliqua honesta causa. Sed pacientia Christiana est obedientia, quae praestatur propter Deum et ad quam adcedit fides seu spes et expectatio auxilii. Haec breviter repetivi, quod inde facilius intelligi possit sententia Pauli. Nunc ad textum redeo.

Tribulatio adfert pacientiam. Haec verba non tantum more legis intelligi[3]) debent, quod in adflictionibus requiratur obedientia, sed etiam tanquam consolatio. Nam cum Deus pacientiam et spem exigat, manifestum est adflictiones non esse signa irae, sed exercitia in quibus Deus vult obedientiam et fidem nostram exercere. Nam iudicio legis seu rationis adflictio non adfert pacientiam, sed indignationem, qua natura infirma fremit adversus Deum et irascitur quod haec infirma natura[4]) tantis calamitatibus oneratur, et fugit eas quantum potest: sed iudicio Evangelii adflictio adfert pacientiam, cum videlicet mens agnoscit esse signa bonae voluntatis Dei et in his exercitiis excitandam esse fidem et invocationem.

---

1) impacientia *A. B. W.* impedientia *C.* 2) Ecclesiam *A.* omitt. 3) intelligi *A. B. W.* intellige *C.* 4) haec infirma natura *A. B. C.* haec natura infirma *W.*

Pacientia probationem.

[*Ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμήν*, v. 4.]

Id est, exercitium seu[1]) explorationem, in qua exuscitatur fides, ut non sit ociosa, non simulata, sed vera, nec languescat etc. Sic etiam Petrus inquit: Fides vestra postquam probata est, inveniatur[2]) ad laudem, id est postquam exercitata est, ut esset vera et non simulata.

Describitur ergo hic finis adflictionum, quasi dicat: Ideo adflictiones non sunt signa irae, quia sunt probationes, id est exercitia, in quibus fides excitatur et confirmatur. Et nos veram consolationem et verum certamen experimur. Sicut Esaias inquit: Clamor in angustia est eis disciplina tua. Quia in ocio et voluptatibus non est certamen aliquod fidei, ideo languescit et extinguitur: item, nulla seria invocatio est etc.

Probatio autem spem.

[*Ἡ δὲ δοκιμὴ ἐλπίδα*, v. 4.]

Id est, in illo exercitio fides et spes exuscitantur et confirmantur. Etsi enim sunt vicini motus fides et spes et a se non divelluntur, tamen aliquid interest. Fides est fiducia, qua in praesentia adcipimus remissionem peccatorum et statuimus iam nos habere Deum propicium et in praesentia consolamur nos hac misericordia: estque obiectum Deus adprehensus in verbo, quo exhibetur remissio. Sed spes est expectatio futurae liberationis et statuit non solum de praesenti misericordia, sed etiam de futuro eventu.

Hos motus ait crescere in illo exercitio et pacientia non habet se ut meritum, ex quo pendeat spes, sed habet se sicut occasio exercitii. Tunc enim existunt fides et spes, cum in ipsa adflictione repugnant dubitationi et desperationi. Nec pacientia praecedit spem, sed Paulus vult in illo ipso certamine esse spem, quod certamen est pacientia obediens Deo et expectans liberationem. Et fides et spes pendent ex gratuita promissione, alioqui fierent incertae[3]).

Porro spes non pudefacit.

[*Ἡ δὲ ἐλπὶς οὐ καταισχύνει*, v. 5.]

Phrasis est Hebraica. Spes non confundit, id est non frustratur sperantem. Haec est germana interpretatio verbi confun-

1) seu *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) inveniatur *A. B. W.*, si inveniatur *C.* 3) incertae *B. C. W.* incerta *A.*

dere, frustrari, ut alibi: Nullus speravit et confusus est id est frustratus est. Est autem similis sententia illi dicto, quod recensetur capite nono: Omnis qui credit in Deum non confundetur.

Sed dicat aliquis: Quare spes non frustratur, quid, si simus indigni? De hac obiectione necesse est admoneri pios, quia haec ipsa obiectio est Epitasis certaminis de fide et spe, videlicet an velit Deus indignos salvare? Hic tenenda est exclusiva, quod gratis propter Christum velit nos salvare, quanquam simus indigni. Atque ita demum loci de fide et spe iuvant conscientias, cum in illis haec exclusiva intelligitur.

Considerandum est etiam quod de remissione peccatorum et de vita aeterna expressum mandatum Dei est, ut credamus remissionem et speremus vitam aeternam. Hic sine condicione petere et sperare debemus. De corporalibus adflictionibus liberatio cum condicione petitur, si placet Deo.

Quod dilectio Dei effusa[1]) *sit.*

[*Ὅτι ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ ἐκκέχυται*, v. 5.]

Videtur obscura esse ratio consequentiae. Spes non confundit, quia dilectio Dei effusa est. Minus videretur obscura consequentia, si sic diceret: Spes non confundit, quia promissio est certa et rata. Nam haec ratio sumitur ex causa efficiente propinqua, videlicet ex proximo obiecto, ac reipsa hoc dicit, sed addit aliquid. Est enim sententia: Spes ideo non confundit, quia Deus certo diligit nos. Et hanc dilectionem adprehendimus ipso motu[2]) fidei, quo Spiritus sanctus est efficax. Nam causa spei est, quod Deus diligit nos. Sed haec dilectio non adprehenditur nisi verbo.

Significat igitur dilectio Dei hoc loco dilectionem, qua Deus nos diligit. Estque simplicissima et minime intricata interpretatio et utilis conscientiis. Spes non confundit, quia promissio est certa et rata, in qua adprehendimus dilectionem Dei erga nos.

Haec est plana sententia et gravissimam doctrinam continet, quales sint motus fidei et spei, scilicet quod sint certamina, in quibus conscientia erigitur, et statuunt nos diligi a Deo. Hic enim est summus et difficillimus articulus, quem retinere mens sine magna dimicatione non potest, quia est ipsissima vox Evangelii, quod Deus diligat nos propter Christum, etsi sumus indigni, immundi. Hanc vocem revelavit filius, qui est in sinu patris. Sed humana corda ita oppressa sunt diffidentia, ut non solum non videant hanc voluntatem patris, sed etiam ab hac voce valde abhorreant.

Hic igitur discamus quales motus sint fides et spes, qui videlicet hac consolatione erigunt animos, ut statuant nos diligi a Deo.

---

1) effusa *A. B.* diffusa *C W.* 2) motu *A. B. W.* mortu *C.*

Idem docet sententia infra: Adcepistis spiritum, in quo clamamus Abba Pater.

Secundo, etiam hic observandum est, quod hi motus fides spes oriantur a Spiritu sancto. Monachi invertunt hanc sententiam et adtexunt[1]) rationem consequentiae ex[2]) causa spei, hoc modo: Spes non confundit, quia habemus dilectionem, id est quia diligimus Deum. Ita argumentantur ex merito, posito merito seu precio ponitur eventus.

Haec interpretatio aliena est a Pauli sententia et conscientia everteretur, si sic iudicaret sperandum esse propter meritum. Fieret enim condicionalis et incerta promissio: Non igitur est causa spei nostra qualitas, sed sciendum est causam spei esse promissionem gratuitam, quae ostendit beneficium Christi et dilectionem Dei erga nos propter Christum; quare repudianda est monachorum interpretatio.

Ceterum si quis sic adtexat: Spes non confundit, quia habemus arrabonem Spiritum sanctum: non displicet et[3]) mihi connexio, estque locus ab ordine effectuum[4]) promissionis et a causa adiuvante, quasi sic[5]) dicat: Iam habemus incoationem et primicias vitae aeternae, scilicet Spiritum sanctum, qui nos etiam consolatur et adiuvat et est pignus futurae glorificationis.

Sed hic sciendum est quod tamen non sit inspicienda nostra qualitas, sed quaerenda est consolatio in verbo. Nam Spiritus sanctus ita demum est efficax per verbum, non praecurrit verbum. Itaque sic adest, sic adiuvat nos, ut adprehendamus dilectionem Dei, cum verbo nos sustentamus. Haec interpretatio cum prima congruit. Est enim sententia: Spes non confundit, quia cum adprehendimus verbum, Spiritus sanctus simul est efficax et adiuvat nos, ut in verbo adprehendamus dilectionem Dei erga nos. Sed planius potest sic adtexi: Spes non confundit, quia Deus diligit vos[6]), et hoc iam adprehendistis per Spiritum sanctum, vos certo statuitis quod diligat vos, ergo sperate eum vobis benefacturum esse. Et est locus ex causis, quia scire quod diligit est causa sperandi.

Haec sententia rursus monet quod fides significet fiduciam misericordiae, quia Paulus ita inquit: Per Spiritum sanctum adprehendistis dilectionem Dei, id est quod Deus diligat vos: Ergo fides est fiducia quod Deus diligat nos, quia[7]) fides est illud adprehendere. Item monet hic locus quod non recte doceant hi, qui iubent dubitare de remissione peccatorum.

---

1) adtexunt *A. B.* adtexerunt *C. W.* 2) ex *A. B. W.* — *C.* omitt. 3) et *A.* — *B. C. W.* omitt. 4) effectuum *B. W.* adfectuum *A.* effectum *C.* 5) sic *A. B.* — *C. W.* omitt. 6) vos *A.* nos *B. C. W.* 7) quia *A. B.* — *C. W.* omitt.

Christus enim, cum essemus adhuc infirmi iuxta temporis rationem[1]).

[Ἔτι γὰρ Χριστὸς ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν κατὰ καιρόν, v. 6.]

Sequitur amplificatio, quae colligit signa et testimonia quod Deus diligat nos, scilicet illud summum beneficium et ineffabile, scilicet[2]) quod dedit filium pro nobis, et quidem voluit hoc ipsum esse certum pignus verae et immutabilis dilectionis.

Vix pro iusto aliquis moritur[3]).

[Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τις ἀποθανεῖται, v. 7.]

Hunc amorem amplificat duplici collatione. Vix pro iusta re aliquis moritur, id est etiam cum debemus mori, tamen inviti oppetimus mortem. Ut fur invitus moritur, etiamsi debet mortem legibus. Intellige igitur verba Pauli pro iusto, id est re iusta seu causa iusta[4]) seu debito.

Pro bono ausit aliquis mori[5]).

[Ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν, v. 7.]

Altera collatio est, pro bono ausit aliquis mori, id est pro bona et suavi re, id est incitati cupiditate aut opinione utilitatis facilius suscipimus pericula: ut ad defensionem coniugis, liberorum aut dignitatis vir fortis mortem oppetit etc.

Ex his duabus propositionibus argumentatur et amplificat dilectionem Dei et Christi, a collatione causarum. Si quis benefacit, praesertim vitam impendens, cum neque debet neque movetur aliqua sua cupiditate[6]), hunc necesse est adduci magna vi amoris: quia etiam qui debent poenas legibus inviti moriuntur et alii, si qui mortem oppetunt, moventur aliqua opinione utilitatis. Christus pro nobis mortuus est, cum nobis non deberet neque aliqua sua ulilitate moveretur: ergo necesse est ingentem et ineffabilem vim esse amoris erga nos.

Commendat autem nobis dilectionem suam Deus[7]).

[Συνίστησιν δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην ὁ θεὸς εἰς ἡμᾶς, v. 8.]

Postea amplificat ex minore: Si pro iniustis mortuus est, quanto magis iam[8]) iustos salvabit. Estque consolatio necessaria his,

1) iuxta temporis rationem *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) scilicet *A. B.* — *C. W.* omitt. 3) Vix pro iusto aliquis moritur *B. C. W.* — *A.* omitt. 4) seu causa iusta *A. B.* — *C. W.* omitt. 5) Pro bono ausit aliquis mori *B. C. W.* — *A.* omitt. 6) cupiditate *A. B. C.* utilitate *W.* 7) Commendat — Deus *B. C. W.* — *A.* omitt. 8)) iam *A. B.* — *C. W.* omitt.

qui cum sint sanctificati tamen vident se adhuc habere reliquias peccati et obnoxios esse terroribus et pavoribus, item immergi asperrimis et horribilibus calamitatibus, et luctantur cum diffidentia desperatione etc. Hic habent opus hac doctrina et consolatione, quod quanquam sint indigni immundi, tamen placeant fide gratis propter Christum, sicut supra dixit[1]): Iustificati fide pacem habemus. Item: Habemusadcessum fide in gratiam hanc, in qua stamus. Item: Tunc mors et resurrectio Christi sunt pignus, quod Deus velit eos liberare.

Gloriantes in Deo, per Dominum nostrum Iesum.

[*Καυχώμενοι ἐν τῷ θεῷ διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*, v. 11.]

Singulari consilio et emphasi adiecta est particula: Gloriantes in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum. Iterum enim inculcat doctrinam omnium maxime necessariam, videlicet quomodo conscientia reddatur certa. Nam praesertim in veris adflictionibus obstrepit nobis indignitas nostra, disputamus utrum certo exaudiamur, utrum certo Deus velit praestare illa quae promittuntur in Evangelio etc.

His dubitationibus opponit Paulus hanc particulam: Gloriantes in Deo etc. Nam gloriari est sentire quod habeamus gloriam, id est iusticiam, sapientiam etc., id est conscientiam vere et certo statuere[2]) quod placeat[3]) Deo.

Sed addit: Gloriantes in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum. Hic docet de causa huius gloriae et certitudinis, quasi dicat: Non gloriamur, non placemus propter propriam dignitatem, sed in Deo gloriamur, id est sentimus nos habere gloriam ac iustos esse per misericordiam Dei propter Christum. Docet igitur in summa, etiam renatos statuere quod certo placeant propter Christum gratis, non propter propriam dignitatem seu impletionem legis, sicut et ad Corinthios inquit: Ut ne glorietur coram eo omnis caro. Item: Qui gloriatur in Domino glorietur, id est, statuat se placere Deo propter ipsius promissionem, non propter nostram dignitatem.

Haec sententia semper in conspectu habenda est, ut Christo suus honos tribuatur, quod semper sit mediator. Item, ut intelligamus nostram indignitatem[4]) et tamen conscientia habeat firmam consolationem, quod scilicet sit mandatum Dei, ut credamus nos habere remissionem peccatorum et placere et exaudiri propter Christum.

---

1) dixi *C. W.* 2) conscientiam vere et certo statuere *A.* conscientiam quae vere et certo statuit *B. C. W.* 3) placeat *A.* placeamus *B. C. W.* 4) indignitatem *A.* dignitatem *B. C. W.*

Quod vero supra addidit: Gloriamur in adflictionibus, dictum est alias de incoata obedientia, quod non sit gloria, id est iusticia, quae possit opponi iudicio Dei, in qua nihil sit vicii seu propter quam simus iusti et habeamus[1]) remissionem peccatorum. Manet ergo haec sententia firma: Qui gloriatur in Domino glorietur. Sed postquam fide reconciliati sumus et statuimus nos placere per misericordiam propter Christum, deinde fit incoata et imperfecta obedientia cultus et gloria, non quidem opponenda iudicio Dei, sed deus adprobat eam, quia sumus facti filii.

Analysis sequitur.

Propterea, quemadmodum propter[2]) *unum hominem.*

[*Διὰ τοῦτο ὥσπερ δι᾽ ἑνὸς ἀνθρώπου*, v. 12.]

Superior pars Epistolae est contentio. Fuit enim instituta propositio et confirmata argumentis. Nunc sequitur velut novus liber: non enim instituitur hic argumentatio, sed quaedam *ἀνάλυσις* singularum[3]) partium, de quibus supra facta est mentio. Nam disputatio superior continet has propositiones: omnes homines sunt sub peccato. Item: Homines non sunt iusti lege, quia nemo legi satisfacit. Item: Fide propter Christum per gratiam reputamur iusti. In his propositionibus sunt simplicia membra: Peccatum, Lex, Gratia.

Est autem haec *ἀνάλυσις* in docendo et usitata et necessaria: ut, cum medicus disputat an venae arteriae et[4]) nervi nascantur ex corde, profecto opus est doceri imperitos, quid[5]) differant venae nervi et arteriae. Talis enarratio partium vocatur Analysis.

1. Venae vehunt sanguinem nutrimentalem et habent tenues tunicas. Arteriae vehunt subtilissimum sanguinem et vitalem spiritum. Nervi sunt subtilissima quaedam fila, quae vehunt spiritum animalem, sunt instrumenta sensuum. Venae oriuntur in epate, quia epar est fons sanguinis. Arteriae oriuntur in corde. Somnus datus est, quia ipsa quiete opus est[6]).

2. In ipsa quiete rigatur et humectatur totum corpus.

3. Quia oportet calorem intro revocari ad generandos spiritus in[7]) corde, in somno[8]) exteriora fiunt frigidiora, interiora calidiora. Corpora post somnum sunt magis vegeta et idonea omnibus rebus agendis. Nervi nascuntur in cerebro.

Ita et Paulus post contentionem iam redit ad propositiones et

1) simus iusti et habeamus sic legendum videtur. — sumus iusti et habeamus *A. B.* sumus iusti et habemus *C. W.* 2) quemadmodum propter *A.* sicut per *B. C. W.* 3) singularum *A. B.* singularium *C. W.* 4) et *A. B. W.* ac *C.* 5) quid *A. B. W.* qui *C.* 6) est opus *W.* 7) in *A. B.* — *C. W.* omitt. 8) somno *A. B. W.* sumno *C.*

singula membra excerpit eaque enarrat et inter se confert. Haec collatio plurimum adfert lucis superioribus propositionibus: quia definitiones et causae sunt fontes negociorum. Primum autem hic de Peccato loquitur, dein[1]) de Lege, tertio de Gratia. Hi sunt praecipui loci doctrinae Christianae, quos in Ecclesia extare oportet, quorum cognitio omnibus necessaria est.

Paulus autem non discernit adpellationes peccati originalis et actualis, quia radicem et fructus complectitur, etsi proprie de propagatione peccati originalis loquitur. Interdum tamen etiam discernit, ut cum nominat peccatum et fructus peccati. Fuit autem opus in Ecclesia novis adpellationibus ad vitandas ambiguitates.

De peccato originali.[2])

Quid est peccatum originis? Peccatum originis est reatus seu imputatio, qua propter lapsum Adae omnes secundum naturam propagati rei sunt, et est corruptio naturae humanae secuta lapsum Adae, qua fit ut humana natura non possit vere obedire legi Dei, sed habeat defectus et concupiscentiam contra legem Dei.

Vulgata Anshelmi definitio prorsus idem dicit quod nostra, sicut et ipse eam copiose enarrat, etsi vulgo tantum pauca verba excerpta[3]) recitantur, videlicet: Peccatum originis est carentia iusticiae originalis, quae debebat[4]) inesse. Nam iusticia originalis erat futura non tantum adceptatio, sed etiam integritas virium seu rectitudo, quae praestitisset perfectam obedientiam legi Dei, nec fuissent in animis hominum dubitatio de voluntate Dei, vacuitas timoris fiduciae dilectionis Dei: sed fuisset natum in animis lumen seu concreatum et firma noticia de Deo et inclinationes consentientes legi Dei. Nunc econtra natura hominis est rea et corrupta. Ex hac antithesi facile potest intelligi definitio.

Quare existunt dissensiones de peccato originis? Quia homines non vident immundiciem cordis, scilicet illa peccata, dubitationem de Deo, vacare metu Dei fiducia dilectione, habere horribiles impetus adversus legem Dei. Haec vicia non vident ac multo minus vident esse peccata. Ideo fingunt impii nihil esse peccatum originis.

Deinde adsuunt philosophicas sententias: Naturam esse bonam. Item, nihil esse peccatum, nisi sit voluntarium. Haec suo loco recte dicuntur, sed non sunt detorquenda ad peccatum originale. Itaque caligo et caecitas in animis humanis est causa, quare multi

---

1) deinde *C. W.* 2) de pec. or. *A.* om. 3) excerpta *A. B.* excepta *C. W.* 4) debebat *A. B. W.* debeat *C.*

vel extenuent peccatum originis vel prorsus tollant et deinde astute corrumpant scripturas et eludant, ut Pelagius fecit et alii multi. Adversus tales calumnias muniendi sunt animi veris et firmis testimoniis.

Causa peccati originalis[1]).

Causa peccati originalis est diabolus et voluntas primorum parentum, quae cum esset libera, per sese avertit se a verbo Dei nec retinuit obedientiam erga Deum. Ideo Adam factus est reus et fecit ream posteritatem, et[2]) exutus integritate naturae et[2]) donis quae Deus addiderat naturae, procreavit deinde tales, qualis erat ipse. Ita propagatur natura rea et corrupta.

Effectus.

Scholastici dixerunt concupiscentiam non esse peccatum sed tantum poenam, et vocarunt fomitem. Nos dicimus concupiscentiam et poenam in rea natura et peccatum esse.

Secunda poena est mors et omnes calamitates humani generis.

Tertia poena est quod haec infirma natura subiecta est tyrannidi diaboli, qui et corporalibus malis et terroribus studet perdere et impellit ad peccata omnis generis, ad blasphemias, haereses, caedes, libidines et alia peccata.

Philosophi mirati sunt, unde in tam praestanti natura generis humani tantum existat non solum calamitatum sed etiam flagiciorum, cum quidem secundum naturam sit recte facere: sed sola doctrina Christiana monstrat causam, scilicet peccatum originis.

Cum autem tam horribiles effectus et poenae secutae sint, non est extenuandum peccatum originis, sed tanta est caligo animorum, ut non solum peccatum et iram Dei non videamus, sed ne quidem calamitatum magnitudinem intelligamus. Ideo etiam vulgo aliqui Doctores vel sustulerunt vel extenuaverunt peccatum originis. Sed scriptura revelat nobis hoc peccatum, ut humiliati quaeramus gratiam et agnoscamus beneficia Christi, sicut Ioannes inquit: Ad hoc adparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli.

Peccatum in mundum introiit[3]).

[*Ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθεν*, v. 12.]

Quod loquatur Paulus de peccato originis manifestum est, quia loquitur de peccato [Adae][4]), propter quod omnes homines rei sunt, sicut paulo post dicit: Eo quod omnes peccaverunt, id est rei sunt.

---

1) Causa peccati originalis *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) et *A. B. W.* — *C.* om. 3) introiit *A.* intravit *B. C. W.* 4) Adae *B. C. W.* — *A.* omitt.

Item: Per unius delictum condemnatio pervasit in omnes. Item: Propter inobedientiam unius peccatores facti sunt alii[1]). Iam si tantum essent actualia delicta, unusquisque[2]) tantum reus esset sui delicti. Nunc testatur hic Paulus[3]) omnes reos esse propter unum Adam. Ergo est aliud peccatum praeter actuale etc.

Usque ad legem enim peccatum erat in mundo.

[*Ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ*, v. 13.]

Non solum hoc vult, peccatum fuisse in mundo ante promulgatam legem, sed etiam illud hic adtexit: Lege non esse abolitum peccatum. Ideo inclusive intelligatur hoc dictum: Usque ad legem peccatum erat in mundo, id est etiam cum lata est lex Moisi, tamen mansit peccatum. Ita breviter admonet lege non tolli peccatum et mortem, quia illa externa iusticia legis nondum liberat a peccato nec est incoatio aeternae vitae, sed quaedam externa corporalis disciplina. Et cum conscientia angitur et quaerit iustificationem in lege, tunc lex habet praecipuum effectum, adcusat et coniicit conscientias in terrores et desperationem. Hoc vult Paulus, cum hic addit:

Sed peccatum non reputatur, ubi non est lex.

[*Ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου*, v. 13.]

Id est, ubi non est lex, non agnoscitur peccatum, non adcusatur. Loquitur enim[4]) Paulus de iudicio nostrae conscientiae. Lata est igitur lex, ut conscientia agnoscat peccatum et adcusetur et perterrefiat, sicut supra inquit: Per legem agnitio peccati. Postea autem de usu[5]) legis copiosius dicet: nunc enim obiter tantum et velut in transcursu adtigit. Quod autem sequitur:

Mors regnavit ab Adam usque ad Moisen.

[*Ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος κτλ.*, v. 14.]

Hoc dicto superiora verba declarantur. Sicut antea[6]) dixit peccatum fuisse usque ad legem ac ne lege quidem fuisse abolitum; ita hic ait mortem regnasse ab Adam usque ad Moisen, ac ne quidem lege abolitam esse. Addit autem:

---

1) Propter inobedientiam unius peccatoris facti sunt alii *A.* Propter inobedientiam unius peccatores sunt alii *B.* Propter obedientiam unius peccatores sunt alii *C. W.* 2) unusquisque *A. B. W.* unusquique *C.* 3) Paulus *A. B. C.* — *W.* omitt. 4) enim *A. B.* — *C. W.* omitt. 5) usu *A. B. W.* usus *C.* 6) ante *C. W.*

Mortem regnasse etiam in eos, qui non peccaverunt secundum similitudinem transgressionis Adae.

[*Καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι κτλ.*, v. 14.]

Id est, etiam infantes morti subiectos esse, tametsi non habeant[1]) actualia peccata. Nam Paulus actuale peccatum vocat transgressionem[2]). Hoc ideo dicit, ut confirmet primam propositionem, omnes esse reos. Si enim infantes quoque sunt subiecti morti, Ergo habent quoddam peccatum, quia mors intravit per peccatum in mundum. Est igitur aliud peccatum praeter actuale.[3])

Qui est forma futuri etc.[4])

[*Ὅς ἐστιν τύπος τοῦ μέλλοντος*, v. 14.]

Hactenus concionatus est de peccato originis, quod haec natura humana sit rea et corrupta. Ideo non est iusta lege vel operibus, quia legi non praestat veram obedientiam, sed manent in natura hominis corruptio caecitas concupiscentia et horribiles impetus contra legem Dei. Opus est igitur alia quadam iusticia, scilicet gratia Christi, ideo de ea iam incipit concionari, qui est (inquit)[5]) forma futuri.

De Gratia[6]).

Sicut supra dixit de peccato, de causa peccati, de propagatione et effectu, ita iam docet de gratia, de causa, propagatione et effectu gratiae, ut doceat peccatum tolli per gratiam.

Coniungit autem gratiam et donum per gratiam. Vocabulum gratiae significat gratuitam misericordiam. Ideo hic significat verissime remissionem peccatorum et gratuitam adceptationem, quae fit propter[7]) Christum. Donum per gratiam significat donationem Spiritus sancti, qui incoat novam et aeternam vitam in animis et excitat novos motus.

Primum igitur confert Adam et Christum. Haec collatio valde illustrat utrumque membrum. Declarat autem modum meriti, quod uterque aliis meruerit: Adam meruit aliis reatum, Christus meruit aliis reconciliationem. Haec collatio clare refellit adversarios, qui imaginantur homines iustos esse propria dignitate. Hic enim clare dicit: Sicut alii propter Adam rei sunt, ita alii propter Christum iusti sunt. Et haec sententia saepe repetitur. De hoc modo meriti loquitur cum ait: Adam est exemplum Christi, scilicet quod ad hoc

1) habeant *A. B.* habent *C. W.* 2) transgressionem *B. C. W.* transgressionis *A.* 3) actualia *A.* 4) qui est forma futuri *B. C. W.* qui typum gerit etc. *A.* 5) inquit *B. C. W.* — *A.* omitt. 6) de gratia *B. C. W.* — *A.* omitt. 7) propter *A. B.* per *C. W.*

adtinet quod[1]) uterque aliis meruit. Nam in collatione non necesse est omnia similia esse.

Ideo Paulus ipse addit correctionem, ut admoneat multa esse dissimilia in hac collatione, sic enim inquit: Sed non sicut delictum sic et donum, id est, multa sunt dissimilia in hac collatione delicti et doni.

Primum res diversissimae sunt reatus seu peccatum et venia seu gratia, mors aeterna et vita aeterna.

Secundo plurimum interest in modo propagandi. Ab Adam propagatur natura rea, viciosa et morti obnoxia, et propagatur generatione carnali. Econtra a Christo donatur reconciliatio. Haec non propagatur generatione carnali, sed fide adcipitur. Sicut Ioannis primo scriptum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt etc. Item, Ioan. 3[2]): Nisi quis renatus fuerit etc.

Haec dissimilitudo propagationis diligenter observanda est propter Anabaptistas, qui prodigiosa deliramenta hic comminiscuntur. Alii prorsus tollunt peccatum originis, alii fingunt post resurrectionem Christi prorsus neminem nasci cum peccato originis. Adversus illas fanaticas opiniones muniunt nos loci citati ex Ioanne. Ac vide quanta sit insania Anabaptistarum. Si nullum esset peccatum originis, omnes homines viverent sine peccato et sine[3]) morte. Quod cum sit manifeste falsum, necesse est causam manere scilicet peccatum originis.

Tertia dissimilitudo est diligenter consideranda, quam et hic in textu Paulus tractat et amplificat: Gratia superat peccatum. Hanc dissimilitudinem praecipue oportet inculcari: quia si parem vim haberent peccatum et gratia, quomodo gratia salvaret, praesertim cum peccatum magis[4]) sentiatur: Ita beneficium Evangelii nihil esset, nulla esset firma consolatio.

Quare haec dissimilitudo illustranda est, ut postea facit Paulus: Quod gratia superat peccatum. Superat autem dupliciter, et imputatione et effectu. Imputatione superat, quia eos, qui adprehendunt gratiam, Deus reputat iustos, etiamsi reipsa adhuc habent reliquias peccati. Deinde etiam effectu superat, quia in illis ipsis quanquam infirmis tamen existunt novi motus, qui resistunt peccato. Item, illi ipsi, quanquam in hac vita adhuc fuerunt infirmi, tamen resuscitantur ad vitam aeternam. Haec sciri necesse est, ut beneficium Christi intelligatur et teneatur firma consolatio. Ac Paulus ipse deinde tractat et exaggerat hanc dissimilitudinem.

---

1) quod *A.* quia *B. C. W.* 2) Ioan. 3. *A. B.* Ioan. 4. *C. W.*
3) sine *B. C. W.* — *A.* omitt. 4) magis *B. C. W.* - *A.* omitt.

Si enim unius delicto.

[*Εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι*, v. 15.]

Repetit collationem perspicuis verbis: Sicut propter unius delictum alii facti sunt rei, ita e regione propter unum Christum alii reconciliantur Deo et fiunt adcepti Deo. Haec collatio perspicue ostendit nos non nostro merito sed alieno reconciliari Deo et adceptos esse.

Hic Paulus duo coniungit, gratiam et donum per gratiam. Gratia significat gratuitam adceptationem propter Christum, hoc est remissionem peccatorum gratuitam et imputationem iusticiae gratuitam propter Christum. Donum per gratiam significat donationem Spiritus sancti et vitae aeternae. Nam in remissione peccatorum Evangelium simul offert Spiritum sanctum, quem quidem fide adcipimus, cum corda eriguntur et concipiunt consolationem per verbum. Atque hoc est beneficium novi testamenti seu Evangelii donatum propter Christum, remissio peccatorum, imputatio iusticiae, donatio Spiritus sancti et vitae aeternae.

† Gratia sumus iusti, Gratia est nostra dilectio etc., Ergo nostra dilectione sumus iusti. Respondeo ad minorem: Etiamsi interdum sic adcipitur vocabulum gratiae, tamen id fit *καταχρηστικῶς*, sed significat gratia remissionem peccatorum.

Iusticia sumus iusti, Iusticia est nostra qualitas, Ergo nostra qualitate sumus iusti. Respondeo ad minorem: Iusticia in his disputationibus significat adceptationem, et iustum esse est esse adceptum.

Iusticia est in voluntate, Fides est in intellectu, Ergo fide non possumus esse iusti. Respondeo: Iusticia quae est nostra qualitas est in voluntate. Sed iusticia, id est adceptatio, est relatio, non quae haeret in aliquo. Deinde fides quatenus est voluntas adcipiens, non est tantum in intellectu, sed est etiam in voluntate. †

Vulgo gratiam intelligunt scholastici doctores ipsam qualitatem in nobis et vocant caritatem. Deinde quando dicitur: Sumus iusti per gratiam, imaginantur homines iustos esse propter propriam qualitatem, scilicet propter caritatem[1]), hoc est novam obedientiam. Ita non docent adprehendere mediatorem Christum et relinquunt conscientias dubias. Denique sic docere, quod sentiendum sit nos esse iustos propter propriam qualitatem, est doctrina legis et multa habet incommoda.

Ideo gratia intelligatur relative pro adceptatione gratuita, ut sit idem: Sumus iusti per gratiam; quod illud: Sumus adcepti Deo[2]) nos gratis propter Christum adceptante[3]), iuxta promissionem, in

1) scilicet propter caritatem *B. C. W.* scilicet qualitatem *A.* 2) a Deo *W.* 3) propter Christum adceptante *B. C. W.* propter Christum, adceptatione iuxta etc. *A.*

qua haec gratia, id est adceptatio proposita est. Et conscientia statuet[1]) nos iustos, id est adceptos esse propter Christum, nec intuebitur propriam dignitatem, sed verbum seu promissionem, et iuxta hanc statuet de voluntate Dei erga nos atque ita adprehendet fide Christum mediatorem. Hoc cum fit, donatur Spiritus sanctus et fiunt in nobis novi motus.

Retineatur ergo utrunque, et quod fieri novos motus in nobis oportet, et quod tamen conscientia debeat extra nos intueri mediatorem Christum et statuere, quod propter illum simus iusti, id est adcepti, et hoc est dicere homines iustos esse per gratiam, videlicet quod sint iusti, id est adcepti gratis propter Christum, Deo adceptante. Sic etiam illud intelligatur: Sumus iusti fide, id est correlative sumus iusti propter Christum, quem fide adprehendi oportet. Hoc modo conscientia discit intueri verbum et habet firmam consolationem, quia illa gratia, id est voluntas Dei adceptans propter Christum est proposita in verbo. Estque sciendum ita efficacem esse Spiritum sanctum, cum hoc verbum adprehendimus. Hactenus de vocabulo gratiae.

Paulus addit: Donum per gratiam, quae est Christi. Docet enim donum, id est Spiritum sanctum et vitam aeternam dari propter Christum, sicut alibi scriptum est: Gratiam pro gratia, id est nos placemus non propter nos, sed propterea quia placet filius. Item ad Ephes.: Adceptat nos in filio dilecto.

Et non sicut per unum peccatum etc.[2])

[*Καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος τὸ δώρημα*, v. 16.]

Oratio in textu sic absolvi potest: Et non sic se habet donum sicut peccatum, quod per unum peccantem perdidit homines. Hanc sententiam prudentissime et necessario adiecit Paulus, ut ostendat dissimilitudinem regni peccati et regni gratiae, et[3]) docet hanc esse dissimilitudinem, quod gratia sit uberior et potentior peccato. Hanc dissimilitudinem necesse est proponi. Si enim parem haberent potentiam peccatum et gratia, quomodo salvaremur[4]), si peccatum pariter damnaret etc.? Quare conscientia sciat gratiam potentiorem esse. Primum, quia abolet peccatum[5]) remissione peccatorum et imputatione iusticiae, qua imputatione sumus adcepti, quanquam haereat in nobis peccatum et infirmitas. Deinde et effectu potentior est, quia resistit peccato et diabolo et adfert novam et aeternam vitam.

---

1) statuet *A. B.* statuat *C. W.* 2) Et non sicut — peccatum *B. C. W.* Non quemadmodum propter unius *A.* 3) et *A.* ac *B. C. W.* 4) salvaremur *C. W.* salveremur *A. B.* 5) peccatum *A.* peccata *B. C. W.*

Ac diligenter considerent pii hanc eminentiam gratiae, ut opponant magnitudini peccati et opponant praesenti infirmitati. Nullum peccatum quamlibet magnum anteferri debet gratiae. Item, quanquam sancti adhuc sunt infirmi, tamen sciant gratiam uberiorem esse, quare placent propter Christum.

Ideo Paulus exaggerat hanc dissimilitudinem et addit: Iudicium ex uno in condemnationem, id est, unum peccatum Adae adtulit condemnationem universae posteritati. At gratia abolet multa peccata, id est, originalia et actualia, radicem et fructus etc.

Si enim unius delicto mors regnavit per unum etc.[1])

[*Εἰ γὰρ ἐν ἑνὶ παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσεν διὰ τοῦ ἑνός*, v. 17.]

Ut antea peccatum et gratiam contulit, ita nunc effectus confert, mortem et vitam. Sed emphasis est in verbo regnavit. Mors manet in sanctificatis, sed non regnat in eis, id est sanctificati vincunt fide terrores peccati et mortis. Item, liberantur ab aeterna morte. Item, habent consolationem in calamitatibus humanis. Nam adpellatione mortis etiam ceterae calamitates humani generis[2]) intelligi debent. Ideo diserte hic ait: Mors regnavit, id est, impii succumbunt terroribus peccati et mortis, non liberantur a morte aeterna, non habent consolationem in magnis adflictionibus, sicut Saul, Cato[3]) consciscunt sibi mortem.

Est et emphasis consideranda quod ait: Quanto magis adcipientes excellentiam gratiae etc. Urget enim dissimilitudinem, de qua supra dictum est: Gratiam potentiorem esse peccato; hoc quantum referat inculcari supra admonui.

Deinde sequitur repetitio collationis, in qua superiores sententiae propemodum eisdem verbis inculcantur. Ubi primum hoc argumentum observandum est de peccato originis. Quia enim clare dicit unius peccato omnes condemnatos esse, necesse est alios reos et condemnatos esse non tantum propter proprium delictum, sed alienum scilicet Adae. Est ergo aliquod peccatum originis.

Quod inquit iusticiam pervenire ad omnes homines propter unius iusticiam, de promissione seu de verbo intelligatur, quod offert omnibus universaliter gratiam, etiamsi non omnes adcipiunt.

† Non omnes salvantur, Ergo non in omnes venit gratia. Respondeo: Promissiones sunt universales. Quod adtinet ad voluntatem Dei vult omnes homines salvos fieri. Reliqua non debemus inquirere, utraque praedicatio poenitentiae et gratiae est universalis. †

---

1) Si enim — unum *B. C. W.* Si enim propter unius delictum mors regnavit *A.* 2) calamitates humani generis *B. C. W.* calamitates humanae *A.* 3) Cato *B. C. W.* Cam *A.*

Quid gratia?

Gratia est remissio peccatorum et imputatio iusticiae seu adceptatio, quae fit a Deo gratis propter Christum. Et cum hac adceptatione coniuncta est donatio Spiritus sancti et vitae aeternae.

Causae.

Causa efficiens est voluntas Dei, quae Christum pro nobis voluit fieri victimam et hoc modo propter ipsum nostri misereri, non propter aliquam nostram dignitatem.

Quomodo contingit nobis gratia?

Verbum Dei est instrumentum et hoc fide adcipiendum est. Quando enim corda concipiunt consolationem ex promissione, quae in Evangelio revelata est, statuant se vere consequi illa, quae promittit Evangelium, scilicet remissionem peccatorum, imputationem iusticiae et Spiritum sanctum: quia[1]) Deus est verax et vult sibi hanc gloriam veritatis tribui. Vult se coli hac fide, ut verbo suo adsentiamur. Imo hoc est summum et immutabile praeceptum, ut credamus nobis propter Christum haec dari, quae promittit Evangelium. Et ut repugnemus dubitationi sciendum est promissionem gratuitam et universalem esse, quia conscientiis haec duo obstrepunt, indignitas nostra et particularitas.

Effectus gratiae.

Motus Spiritus sancti, qui fiunt cum Evangelium adprehendimus, ac praecipuus est fides, qua nos erigimus et statuimus nobis Deum esse propicium[2]) propter Christum. Hic motus dicitur vivificatio, quia hac fiducia vincuntur terrores peccati et mortis. Sequuntur deinde alii motus: Incoata obedientia erga Deum, invocatio, timor, dilectio, pacientia, castitas et reliqui motus consentientes legi Dei, sicut dictum est: Dabo legem meam in corda eorum. Sunt effectus gratiae etiam liberatio a potestate diaboli, auxilium contra diabolum et infirmitatem carnis. Item consolatio et auxilium in praesentibus calamitatibus, sicut ait Christus: Non relinquam vos orphanos. Est et[3]) effectus liberatio a lege, scilicet ne credentes condemnet. Ultimus effectus est et[4]) consummatio, totius naturae nostrae novitas et vita aeterna.

---

1) quia *B. C. W.* qua *A.* 2) procipium esse *W.* 3) et *A. B.* — *C. W.* omitt. 4) et consummatio — aeterna *A. B.* consummatio totius naturae nostrae et novitas et vita aet. *C. W.*

De Lege.

Principio monendus est lector, Paulum non loqui de politico usu legis, aut de paedagogia, sed de usu legis in conscientia agente cum Deo et quaerente iustificationem. Sunt igitur discernendi usus legis. Primus est paedagogia seu politicus usus, videlicet coërcere carnem et praestare opera externa praecepta a lege. Hic usus in his, qui non sunt sanctificati, vel in vetustate carnis[1]) vocatur disciplina. Quanquam autem non iustificat coram Deo, tamen scire debemus hanc disciplinam praecipi a Deo etiam non sanctificatis et aliquo modo posse eam praestari humanis viribus. Estque in hoc usu politico seu paedagogico sciendum quod lex necessaria sit, quod sit summum donum vitae corporalis, quod Deus et dedit et conservat.

Sunt autem fines quatuor considerandi, qui nos hortari debent, ut summa cura et diligentia praestemus hanc paedagogiam. Primus est, quia Deus hanc obedientiam requirit etiam in non sanctificatis. Secundus, Deus etiam addit praemia et poenas. Tertius finis, propter pacem communis societatis. Quartus finis, quia est etiam paedagogia in Christum.

Tria autem ad paedagogiam pertinent. Necesse est ordinem et pacem esse, ut homines doceri possint. Secundo, necesse est homines non repugnare verbo Dei, non commorari in manifestis flagiciis. Nam in commorante non est efficax verbum Dei. Tertio, paedagogia non solum pacis custos est, non solum coërcet, sed etiam docet. Id proprium est paedagogiae, ideo lex habuit ceremonias et habet ritus et exercitia quilibet pius paterfamilias. Ut illa ipsa adsuefactio doceat rudes et infirmos, canimus, legimus, meditamur aliqua loca scripturae certis temporibus paedagogiae causa, id est ut verbum inculcetur, ut adsuefacti intelligamus verbum Dei. Est autem Spiritus sanctus efficax per verbum.

Hae utilitates non sunt contemnendae, quia certe haec duo sunt necessaria, non commorari in manifestis peccatis, et discere ac meditari verbum Dei: et tamen interim docendi sunt homines quod haec externa exercitia non sint iusticia coram Deo, sed quod aliud quiddam sit iusticia coram Deo. Ceterum cum adcedit fides in Christum in his, qui sunt pii, etiam haec exercitia quibus coërcetur caro, si fiant debito fine, sunt bona opera et Deo placentia.

Haec satis sit monuisse de primo et politico usu legis. Et prodest saepe inculcare adolescentibus, quid intersit inter hanc paedagogiam, inter iustitiam fidei et fructus fidei. Prodest etiam hortari ad hanc[2]) paedagogiam, ut discant vere displicere Deo illam barbaricam aut Cyclopicam aut Neronianam[3]) vitam, quae agitur in

---

1) vel in vetustate carnis *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) hanc *A. B. C.* — *W.* omitt. 3) Neronianam *B. C. W.* Neronicam *A.*

manifesta turpitudine. Deinde ut discant prodesse exercitia et studia verbi Dei. Estque sententia: Lex est paedagogus, id est exercitium, quo adsuefiunt et docentur homines, ut intelligant verbum.

In hanc sententiam dixit Paulus: Lex est posita iniustis, id est Deus vult coërceri iniustos, et in Ecclesia extare oportet doctrinam de discrimine huius disciplinae et iusticiae fidei. Doceri etiam oportet quod sit mandatum Dei, ut rudes coërceantur. Habent et pii, qui adhuc sunt infirmi et rudes, opus talibus exercitiis, ut coërceantur et discant, sicut inquit Paulus: Educate pueros in disciplina et admonitione Domini. Et tantum de primo usu seu politico, de quo hic ad Romanos non loquitur Paulus.

Secundus usus legis et praecipuus[1]) est, adcusare et perterrefacere conscientias, cum iudicat et damnat peccatum. Hic est usus arcanus, quem in conscientia habet lex, non intellecta hypocritice, sed cum vere perterrefiunt animi agnito peccato. Hi terrores saepe describuntur in Psalmis: Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

De hoc usu loquitur Paulus in tota Epistola ad Romanos et ad Corinthios, cum inquit: Aculeus mortis peccatum est, Potentia vero peccati lex, id est propter peccatum homines sunt destinati morti. Et quidem peccatum adfert terrores, desperationem et mortem: sed peccatum non agnosceretur, nisi lex iudicaret et adcusaret nos. Idem vult supra, cum inquit: Lex iram efficit, id est adcusat et perterrefacit conscientias. Et hic: Lex auget peccatum, non civiliter, sed auget in conscientia, id est, reddit potentius, ut perterrefaciat et adferat desperationem et mortem.

Ita peccatum augetur intus in conscientia, cum agnoscitur esse peccatum, hoc est cum agnoscimus Deum vere irasci et sentimus iram Dei terrores et mortem. Sicut David audita obiurgatione Nathan sensit veros et horribiles terrores. Et Ezechias describit suos terrores: Sicut leo contrivit omnia ossa mea.

Docet igitur Paulus, hoc esse legis praecipuum opus, cum plurimum efficit, adcusat, perterrefacit et condemnat: non iustificat, non adnunciat remissionem peccatorum, non liberat a peccato et a morte. Ita discernit Paulus legem ab Evangelio, lex aut externa disciplina utcunque coërcet corpus, aut cum suum proprium et summum opus facit, adcusat, perterrefacit et damnat.

Hic duplex usus significatus est typo, videlicet facie Moisi. Moisis facies fulgens adeo, ut intueri eam populus non posset, significat legem perterrefacientem, cum vere intelligitur lex de perfecta obedientia, non carnaliter de externa disciplina. Postea Moises velata facie cum populo loquitur, ita eum audit populus.

---

1) et praecipuus *B. C. W.* politicus *A.*

Haec figura significat homines non vere intelligere legem rationali iudicio, sed tantum de externa disciplina. Deinde velata[1]) ratio adfingit falsas opiniones, quod illa externa disciplina sit impletio legis et sit iusticia coram Deo. Sed Deus utitur verbo legis ad iudicandum et damnandum peccatum et ad adcusandas et perterrefaciendas conscientias. Sicut postea Rom. 7. totus hic locus repetitur: Quod bonum est fit mihi mors? Absit, sed peccatum, ut fiat excellenter peccatum, efficit mortem.

Caput VI.

Priusquam Paulus institutam collationem de Lege et Gratia pertexit, inserit occupationes et diluit quaedam absurda. Magnus enim tumultus[2]) quaestionum hic oritur. Si non sumus iusti lege et operibus nostris, sed per misericordiam propter Christum: quorsum opus est bene operari? Si lex nec iustificat nec adfert vitam aeternam: quorsum opus est lege? Facilius intelliget lector has obiectiones Pauli, si considerabit huius nostri temporis controversias. Sicut enim nunc clamitant adversarii: Si propter opera non sumus iusti, quorsum adtinet bene operari? ita eadem absurda obiiciunt Pharisaei Paulo. Unde satis adparet nos in illa ipsa causa versari, de qua disputat Paulus, et nos propriam et germanam sententiam Pauli reddere.

Illud hic etiam pii expendant: non solum adversarii obiiciunt illa quae dixi, sed in omnibus hominibus tanta est infirmitas naturae, ut cum audimus doctrinam de gratuita imputatione, segniores fiamus ad bene operandum et confirmetur carnalis securitas. At haec misericordiae cognitio debebat excitare studium bene operandi. Nam dubitatio deterret animos. Nunc igitur cum didicimus quomodo certo placeant opera et quanto honore Deus ea ornet, quod adprobat et vocat sacrificia et promittit praemia, haec certitudo magis adcendere animos ad bene operandum debebat[3]).

Porro ad quaestionem: Si non sumus iusti propter opera, quorsum opus est bene operari? respondemus usitate: Beneficium iustificationis est translatum in Christum, ut sit certum, id est persona est iusta, id est adcepta propter Christum. Et ut hoc sit certum, non pendet ex dignitate nostra, sed imputatur propter Christum credenti, id est fide adcipienti. Deinde nova obedien-

---

1) velata *B. C. W.* relata *A.* 2) tumultus *A. B.* cumulus *C. W.* 3) debebat *B. C. W.* debeat *A.*

tia*) est necessaria, ut effectus necessario consequens illam imputationem, quia cum imputatione fit renovatio, quae est incoatio novae et aeternae vitae. Incoatio vero[2]) novae et aeternae vitae est nova et spiritualis obedientia. Ergo nova et spiritualis obedientia est necessaria. Haec ipsa est summa responsionis Pauli.

Sed ipse distribuit duo membra renovationis, scilicet mortificationem et vivificationem: et sic argumentatur a causis efficientibus. Prior syllogismus: Mortua natura non est efficax, Necesse est in nobis veterem et viciosam naturam mortificari, Ergo vetus et viciosa natura non debet esse efficax nec obsequendum est ei pugnanti cum voluntate Dei.

Alter syllogismus est: Viva natura debet esse efficax, Nos concipimus novam vitam et lucem, cum fides erigit et consolatur conscientiam, Ergo haec nova vita debet habere opera consentanea, id est obedientiam erga Deum, quem iam in hac nova vita incipimus agnoscere.

Hos duos syllogismos hic recitat Paulus, in quibus videmus describi renovationem hominis; et utitur hic adpellationibus mortificationis, vivificationis et quibusdam adfinibus. Diligenter autem considerandum est, quid adpellationes illae proprie significent. Describitur autem conversio hominis seu poenitentia[3]), sicut usitate vocatur. Hunc tanquam principalem Evangelii locum semper intueamur et videamus quae sententiae eo referri possint[4]): et ut Evangelium praedicat poenitentiam et remissionem peccatorum, ita utrunque in morte Christi nobis proponitur. Ira Dei adversus peccatum: Necesse est enim magnam et ineffabilem iram esse, cum nulla alia hostia potuerit Deo satisfacere et cum voluerit filium mori et crucifigi: Ergo est ingens et ineffabilis ira. Rursus haec ipsa mors est pignus, quod reddit nos certos de remissione peccatorum.

Sic in conversione nostra seu poenitentia necesse est existere veros terrores et dolores, in quibus corda vere sentiunt Deum irasci peccato. Rursus necesse est corda veram consolationem fide concipere, cum statuunt quod propter Christum certo habeant remissionem peccatorum. Nec imaginandum est semel illa tantum fieri. Fides cum terroribus in hac vita adsidue luctari debet, et in hoc certamine crescit fides et novitas spiritualis. Ideo etiam adsidue proponitur utrunque verbum, verbum arguens peccata et pro-

*) opera intelligimus ipsam obedientiam quantacunque esse potest externa et interna[1]).

1) opera — interna *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) vero *A. B. W.* vere *C.* 3) poenitentia *A. B. W.* potentia *C.* 4) possint *A. B.* possunt *C. W.*

missio de Christo adnuncians remissionem etc. Et quidem Evangelium arguit incredulitatem et ministerio legis declarat cetera peccata, adulteria odia etc. Imo Deus adhibet poenas et calamitates, quae etiam sunt vox Dei adcusans peccatum. Ac mortificatio sine fide est terror, qualis est in impiis, in Saule, Iuda, et adfert desperationem et mortem aeternam. Sed terrores cum fide et noticia Christi sunt timor filialis seu vera contritio et fiunt cultus Dei et bonum opus: sicut Psalmus vocat sacrificium.

Haec declaratio vocum et adcommodatio ad poenitentiam est necessaria, ne inepti homines fingant mortificationes esse opera monastica et a nobis adcersitas observationes aut ociosas speculationes, sicut Monetarius; item Platonici inepte imitabantur haec vocabula. Sed sciamus mortificationem esse veros terrores et dolores, et vivificationem ipsam fidem consolantem nos.

Quicunque baptizati sumus in Christum Iesum etc.

[Ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χρ. Ἰησ., v. 3.]

In primo syllogismo vult quod oporteat existere mortificationem seu poenitentiam in his qui credunt, seu quod fides non sit in eis, qui securi iudicium contemnunt, quia inquit: In mortem Christi baptizati estis et consepulti, id est propter mortem Christi habetis remissionem. Sed illa mors ostendit etiam iram Dei adversus peccatum, ut in nobis quoque mortificetur peccatum, id est ut agnoscentes iram Dei consolemur nos beneficio Christi. Item, ita fit remissio peccatorum, ut simul aboleatur peccatum. Abolitum autem non debet esse efficax.

Consepulti sumus igitur una cum illo etc.[1])

[Συνετάφημεν οὖν αὐτῷ, v. 4.]

Gravissima est collatio[2]) nostrae conversionis ad Christi mortem, sepulturam et resurrectionem. Ita enim instituit responsionem: Propter mortem Christi habetis remissionem, quae ita fit, ut simul propter mortem Christi aboleri peccatum seu mortificari viciosa natura incipiat: quia simul datur Spiritus sanctus, ut mortificet veterem naturam et incoët novam. Sepelimur autem una cum Christo, quia postquam natura nostra mortificari coepit, peccatum sepultum est dupliciter. Primum imputatione, quanquam enim reliquiae manent, tamen sunt condonatae. Secundo, quod ad effectum adtinet, quia natura viciosa desinit esse efficax seu incipit

1) Consepulti sumus igitur una cum illo *A*. Consep. sumus igitur cum illo *B*. Consep. igit. sumus c. i. *C. W.* 2) est collatio *B. C. W.* collatio est *A*.

mortificari. Itaque reliquum vitae post incoatam mortificationem est sepultura. Peccatum quidem imputatione deletum est, sed[1]) nondum sumus glorificati. Quare etsi sumus iusti, tamen iacemus sepulti, expectantes glorificationem. Sicut Paulus inquit: Vita vestra abscondita est cum Christo, id est etsi habemus gloriam iusticiam vitam, tamen haec gloria latet adhuc tecta cum Christo, donec resuscitabimur[2]).

Secundo: Quod ad effectum adtinet, iacemus in sepulcro, id est in cruce, in adflictionibus omnis generis: diabolus horribilibus modis perturbat et persequitur pios. Hae calamitates omnes denique et ipsa mors sunt velut sepulcrum, in quo iacet vetus natura mortua, ne sit efficax. Haec collatio sepulturae est illustris pictura mortui peccati, quod ad imputationem adtinet et effectum et monet qualis sit vita Christiana.

Deinde addit tertium membrum: Non solum fit mortificatio, sed etiam incoatur vivificatio. Porro nova natura est efficax, ideo necesse est existere novam obedientiam. Hanc collationem repetit: Si sumus inserti imagini mortis eius, etiam inseremur imagini resurrectionis, hoc est: Sicut vetus noster homo una crucifixus est, ita renovati una vivemus. Cum autem sit nova vita seu nova natura, nova lux et noticia Dei, existit etiam nova obedientia.

† Qui mortuus est, iustificatus est a peccato. Nero est mortuus, Ergo est iustificatus. Respondeo ad maiorem: Loquitur de peccato actuali. Vel iustificatus est, id est satisfecit pro peccato. Est figura sumta ex communi sermone, sicut dicimus quando suspenditur fur: Nunc desinit[3]) peccare.

In homine sunt quaedam bonae noticiae, Deo est obediendum etc., Ergo non totus vetus homo est damnandus. Respondeo: Sunt in homine noticiae illae, sed adfectus non obediunt, Ergo diligenter notandum est discrimen adpetitionum et noticiarum: στοργαὶ sunt bonae sua natura, sed fiunt viciosae, quia sunt in natura viciosa et non diriguntur ad gloriam Dei. †

Vetus homo non significat tantum partem hominis, scilicet sensus et adpetitiones sensuum, sed etiam rationem et voluntatem. Nec solum adpetitiones pugnant cum lege Dei, sed etiam in ratione ignoratio Dei, dubitatio an exaudiamur, blasphemiae. Deinde etiam adpetitiones, securitas, contemtus Dei, diffidentia, amor et fiducia rerum praesentium contra mandatum Dei, desperatio etc. Haec vicia non ad sensum, sed ad superiorem partem pertinent. Ideo Paulus describens hominem sine Spiritu sancto [1 Cor. 2] inquit: Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei.

---

1) sed *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) resuscitabimur *A. B. W.* resuscitabimus *C.* 3) desinit *B. C. W.* desunt *A.*

Econtra novus homo*) dicitur, quatenus habet novam lucem et novos motus excitatos a Spiritu sancto, videlicet agnitionem Christi, fiduciam erga Deum, timorem Dei, invocationem, dilectionem et similes motus. De hac novitate loquitur Paulus 2 Cor. 3. Nunc retecta facie gloriam Domini intuentes in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu. Id est, cum in Evangelio ostenditur nobis misericordia, erigimur agnitione ac fiducia Dei et sentimus nos Deo curae esse, invocamus. In hac noticia et his motibus agnoscitur et refulget Deus, et nos quadam imagine id est noticia Dei renovamur. Nec significat novitas cogitationes et motus rationis sine Spiritu sancto.

Ne igitur regnet.

[*Μὴ οὖν βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία*, v. 12.]

Conclusio est institutae obiectionis, quae sequitur ex superiore argumento: Quia propter Christi mortem peccatum coepit aboleri, Ergo non regnet, nec sit efficax.

† Mortua natura non debet esse efficax: Propter Christi mortem peccatum remissum est, ita ut simul incipiat propter Christi mortem aboleri, Ergo cum aboleatur, non debet esse efficax. †

Dicit autem diserte: Non regnet, ut significet non prorsus extinctam esse viciosam naturam[2]). Reliquum est igitur peccatum in natura, sed id mortificari coepit, ideo non regnet. Haec verba Paulus ipse interpretatur: Non regnet ita, ut ei obediatis, id est non obtemperate viciosis adfectibus, sed repugnate. Sicut et infra dicit: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis.

Hi loci et similes ostendunt discrimen peccati mortalis et venialis. Manent in Sanctis concupiscentia et viciosi adfectus: sed cum his resistunt et fide petunt ac statuunt sibi condonari haec peccata, fiunt venialia, quia etiam cum adsunt talia, possunt simul existere in piis Spiritus sanctus et fides.

Sed mortalia sunt in his, qui fuerant sanctificati, cum contra conscientiam obtemperant pravis adfectibus. Sicut infra dicitur: Si secundum carnem vivetis, moriemini. Et hic: Non praebete membra vestra arma iniusticiae. Praecipit autem, quia cum verbo Dei est efficax Spiritus sanctus et impellit pios, et nos obsequi impellenti, non repugnare debemus, sicut alibi inquit Paulus: Videte ne frustra gratiam adceperitis. Iubet ut donum exerceamus:

---

*) *ψυχικός*, i. e. vivens vitam naturalem, et est oppositum spirituali[1]).

---

1) *ψυχικός* — spirituali *A. B. W.* — *C.* omitt. 2) naturam *B. C. W.* — *A.* omitt.

et in hoc exercitio proficiunt pii iuxta illud: Haec exerce, ut profectus tuus adpareat.

Ita hic significanter ait: Exhibete membra, ut sint arma iusticiae. Vult enim excitare et acuere fervorem. Sicut alibi inquit: Ferventes spiritu. Ut enim non sunt languida membra, non sunt ociosa, quatenus habent impetus veteris naturae, sed sunt[1]) vegeta et habent acres impetus: ita renovatae naturae membra oportuit non esse languida, sed habere acres et veros motus ad benefaciendum.

Et armorum vocabulo usus est, ut significet, in hac militia Christiana acerrimam dimicationem esse debere[2]) adversus diabolum, carnem et omnis generis insidias et tentationes.

Peccatum vobis non dominabitur[3]).

[*Ἁμαρτία γὰρ ὑμῶν οὐ κυριεύσει*, v. 14.]

Respondet tacitae obiectioni. Semper enim cum[4]) audimus concionem de obedientia, statim quaerit pia mens, cum non possimus satisfacere legi: quomodo placebit nostra obedientia? Ita hic cum Paulus dixisset: Praebete membra vestra arma iusticiae, pii anguntur et disputant quomodo placeat illa obedientia, praesertim cum sit infinita dissimilitudo donorum, cum sit magna infirmitas, cum multis ingentibus scandalis nostra obedientia deformetur. Hic respondet Paulus: Peccatum non dominabitur vobis. Non enim estis sub Lege, sed sub Gratia.

† Nulla obedientia placet nisi sanctorum: Nostra obedientia non est tanta quanta sanctorum, Ergo non placet. Respondeo: Nego minorem, quia etsi nostra obedientia re ipsa non est tanta, tamen imputatione est ei similis. Quia credimus in Christum, Deus qualemcunque obedientiam reputat pro perfectione legis, etiamsi dissimilitudo sit in donis. Deus vult esse illam dissimilitudinem etc. †

Haec doctrina et consolatio necessaria est piis, ut sciant quatenus et quomodo incoata obedientia placeat, cum sit imperfecta, cum sit magna dissimilitudo donorum, cum innumerabilibus scandalis et terroribus vexemur. Quare sic intelligatur hoc dictum, tanquam consolatio et promissio: Peccatum non dominabitur vobis, id est non damnat vos, non imputatur credentibus in Christum, sed placet incoata obedientia propter gratiam, id est quia credimus in Christum, etiamsi est imperfecta.

---

1) sunt *B. C. W.* sicut *A.* 2) debere *A.* oportere *B. C. W.* 3) Peccatum vobis non dominabitur *B. C. W.* Peccatum enim nostrum non dom. *A.* 4) Semper enim cum *A. B.* Quando enim *C. W.*

In eandem sententiam infra inquit: Nulla nunc damnatio[1]) est his, qui in Christo Iesu ambulant. Ideoque ratio seu explicatio subiicitur: Non estis sub Lege, sed sub Gratia, id est sub misericordia adceptante vos propter Christum iuxta promissionem, id est: Credentes placent propter Christum, etiamsi nondum reipsa satisfaciunt legi. Nec habet lex ius iudicandi et damnandi credentes. Sic et ad Galatas inquit: Christus redemit nos a maledicto legis etc. Haec est simplex et germana huius loci sententia.

Est autem hic prudenter observanda significatio vocabuli Gratia. Tota enim sententia corrumpitur et obruitur ab illis, qui exponunt: Estis sub Gratia, id est Lege morali, cum lex moralis maxime condemnet. Sed gratia de imputatione intelligatur, qua credentes sunt iusti id est adcepti propter Christum, quae imputatio in Evangelio adnunciatur: et quanquam effectus et renovatio comitantur imputationem, tamen conscientia debet intueri promissam imputationem et mediatorem Christum, non proprias qualitates aut habitus. Ita haec sententia doctrinam et consolationem amplissimam proponit: Non estis sub lege, sed sub gratia, id est lex non habet ius condemnandi credentes. Quamvis igitur in credentibus imperfecta est obedientia, placet tamen, quia personae reputantur iustae seu adceptae propter pontificem Christum.

Iam hic amplificanda est misericordia, ut haec ipsa nos exuscitet ad bene operandum. Ingens et ineffabilis bonitas Dei est, quod Deus in credentibus adprobat hanc obedientiam, quae tamen mirificam habet infirmitatem et dissimilitudinem et multis sordibus et scandalis est contaminata[2]). Ergo non debilitet aut deterreat animos dubitatio, sed ipsa magnitudo misericordiae, quae adprobat quamlibet infirmos, si tamen credant in Christum etc., invitet nos ad bene operandum. Hanc doctrinam et consolationem extare in Ecclesia necesse est, ut sciamus quatenus et ubi bona opera reiicienda sint, et quatenus requirenda et quomodo placeant Deo.

Quid igitur? Peccabimus?

[Τί οὖν; ἁμαρτήσωμεν; v. 15.]

Necessariam occupationem inserit Paulus. Nam illa prior vox: Non estis sub lege, videtur absurdissima, nihil enim magis amant bonae naturae quam legem. Ideo non potest fieri, quin vehementer offendantur illis velut tribuniciis vocibus, in quibus putant ita abrogari legem, ut concedatur licentia peccandi. Saepe autem alias dictum est hanc disputationem Pauli prorsus nihil pertinere ad politicam vitam, nec tollere disciplinam aut mores civiles, sed prorsus

---

1) damnatio *A. B.* condemnatio *C. W.* 2) est contaminata *B. C. W.* contaminatur *A.*

aliam rem hic agi. Alii facile hic evadunt, qui libertatem referunt tantum ad abrogationem ceremoniarum et politiae[1]) Mosaicae, non ad totam legem.

Saepe autem[2]) iam dictum est, Paulum hic concionari praecipue de morali lege, et in summa vult nos liberatos esse a tota lege, quod adtinet ad iustificationem, id est alia res proposita est, propter quam habemus remissionem peccatorum et reputamur iusti coram Deo, videlicet meritum Christi. Ita enim liberati sumus a lege, si statuamus nos propter ipsum habere remissionem peccatorum et reputari iustos coram Deo, non propter legem; et cum hac imputatione coniuncta est renovatio naturae, poenitentia seu incoata obedientia.

Non igitur concedit Evangelium licentiam peccandi, cum non solum concionetur de imputatione, sed etiam de poenitentia, et incoēt novam obedientiam et ostendat[3]) quomodo placeat. Interea tamen manet lex, quod adtinet ad disciplinam in vita externa. Item, quod adtinet ad arguendam et mortificandam vetustatem, sed ita, ut cum fides vincit, non habeat lex ius damnandi. Ergo[4]) simpliciter ita respondeo: Lex est abrogata, quod adtinet ad iustificationem, non quod ad obedientiam adtinet, id est obedientia praestanda est et quidem incoatur. Et tamen sciendum est nos interim propter Christum iustos esse, ut maneat beneficium certum. Haec responsio meo iudicio nihil habet perplexi aut intricati, de qua tamen prudentibus permitto iudicium.

Absit. An nescitis?

[*Μὴ γένοιτο· οὐκ οἴδατε*, v. 15. 16.]

Paulus diluit obiectionem duobus argumentis, quae ambo sunt a causa finali sumta vel ab effectu. Christus adparuit, ut aboleret peccatum et mortem et restitueret naturam, ut instaurata habeat vitam aeternam, quae est nova et aeterna obedientia et sapientia. Cum igitur finis sit illa novitas vel instauratio naturae, necesse est incoari et praestari novam obedientiam, quia illa ipsa novitas spiritualis est illa obedientia, Et in summa Evangelium cum donat reconciliationem propter Christum, simul subiicit nos obedientiae erga Deum et incoat obedientiam, Ergo necesse est obedire[5]). Nemo non videt hoc argumentum esse aptum et proprium negocio et ex causa finali sumtum. Hanc ipsam sententiam Paulus reddit syllogismo.

Unusquisque obedit illi, cui iam subditus est:

---

1) politiae *A. B. W.* politicae *C.* 2) autem *A. B.* — *C. W.* omitt. 3) ostendat *B. C. W.* ostendet *A.* 4) Ergo *B. C. W.* Ego *A.* 5) ergo necesse est obedire *B. C. W.* — *A.* omitt.

Vos non estis subditi peccato, sed liberati a peccato et estis traducti in regnum Dei et subditi Deo: Ergo non debetis obedire peccato, sed Deo.

Potest adcommodari et ad causam formalem, ut si dicas: Sanum corpus habet sanas actiones.

Calidum corpus calefacit, ita in hoc proposito: Iusti habent actiones iustas, Vos estis iusti, Ergo vos quoque debetis habere actiones iustas. Minorem declaro: Etsi enim sumus iusti, id est adcepti imputatione propter Christum, tamen necesse est in nobis etiam incoari ipsam virtutem iusticiam, id est obedientiam. Iusticia autem virtus parit iustas actiones. Et tamen interea sciendum est nos propter Christum pontificem esse iustos, id est adceptos Deo, non propter dignitatem obedientiae nostrae seu qualitatis.

Caput VII.

An ignoratis fratres?

[Ἢ ἀγνοεῖτε ἀδελφοί, v. 1.]

Altera similitudo est, quae etiam continet argumentum a causa finali. Ideo reconciliati sumus, ut iam Deo obediamus. Sunt autem duae partes collationis. Prior docet qualis natura sit subiecta legi. Posterior pars collationis loquitur de causa finali, scilicet de nova obedientia.

Prior pars haec est: Lex pertinet ad viventem carnalem naturam. Vos autem iam estis mortificati, scilicet si vere estis in Christo. Ergo lex non adcusat, non condemnat vos. Maiorem probat similitudine: Sicut mulier subiecta est marito tantisper, donec vivit maritus, ita lex dominatur[1]) viventibus.

Posterior collatio talis est: Sicut mortuo marito mulier nupta alteri debet ei adhaerere, ita nos liberati a priore servitute facti iam sumus liberatoris, Ergo ei adhaerere et obedire debemus. Haec est simplex et non perplexa adcommodatio.

Prior autem pars significat liberationem non esse tantum imaginationem, sed fieri mortificata veteri natura, quae prius erat sub lege. Nunc igitur cum alia sit natura, non pertinet ad hanc ius legis, sicut ad veterem, sed quatenus credimus[2]), lex non adcusat nec damnat nos. Altera pars illustrior est, scilicet quae loquitur de causa finali: Facti sumus liberatoris[3]), Ergo ei adhaereamus et obediamus.

---

1) dominatur *A. B.* dominabitur *C. W.* 2) non pertinet — credimus *B. C. W.* non pertinet, id est ad hanc ius legis sicut ad veterem, quatenus credimus etc. *A.* 3) liberatoris *B. C. W.* liberatores *A.*

Mortui estis legi per corpus Christi etc.

[Ὥστε καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ διὰ τοῦ σώματος τοῦ Χρ., v. 4.]

Conclusio, in qua Paulus adcommodat superiorem similitudinem in hanc ipsam sententiam, sicut adcommodavi[1]). Mortui estis legi per corpus Christi, id est, liberati estis a lege, id est ne damnet ne adcuset vos lex; et quidem liberati estis per corpus Christi, id est per victimam Christum, qui pro nobis satisfecit legi et sustulit condemnationem et aeternam mortem. Praeterea propter mortem Christi instauratur natura, sicut supra dixit[2]): Consepulti sumus per baptismum in mortem etc.

Cum enim essemus in carne etc.

[Ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν τῇ σαρκί, v. 5.]

Adtexit conclusioni antithesin, ut obiter describat, qualis fuerit prior servitus sub lege, et econtra, qualis res sit illa novitas, quae existit cum sumus liberati a lege. Talis inquit erat servitus, ut lex etiam augeret peccatum, quia cum adcusat et perterrefacit, incenditur dubitatio et sequuntur[3]) indignatio adversus Deum et desperatio. De huiusmodi peccatis proprie hic loquitur cum ait: Adfectus peccatorum excitati per legem erant efficaces in membris nostris, scilicet[4]) dubitatio et indignatio adversus Deum avertunt cor a Deo, prohibent invocationem etc.

Primum enim illa ingens dubitatio, quae in omnium hominum animis haeret, certe est efficax in membris, quia propter illam dubitationem ruunt homines contra voluntatem Dei, ut quia non confidunt Deo multa faciunt metu et diffidentia contra voluntatem Dei in quaerendis opibus auxiliis etc. Hanc autem dubitationem seu diffidentiam auget lex, quae quia semper adcusat, facit ut corda sint aversa a Deo, fugiant Deum, non invocent, non confidant, non expectent a Deo auxilium. Multo magis haec fiunt et magis conspiciuntur in ipsis terroribus et agone conscientiae: ut in Saul terrores excitati per legem profecto erant efficaces in eius membris, pariebant indignationem et fremitum adversus Deum, desperationem et mortem, prohibebant invocationem.

Est autem hic locus diligenter observandus, ut discamus illam dubitationem esse peccatum, ut repugnemus et erigamus nos Evangelio et sciamus esse cultum Dei in illis terroribus repugnare dubitationi et diffidentiae. Sed maxima pars hominum vivit in illa perpetua dubitatione et diffidentia nec invocat Deum nec petit nec expectat quicquam a Deo. Haec arcana peccata non cernunt homi-

1) adcommodavi *A.* adcommodavit *B. C. W.* 2) dixit *A.* dixi *B. C. W.* 3) sequuntur *A.* sequitur *B. C. W.* 4) scilicet *A.* id est *B. C. W.*

nes. Sed Christiani ea intelligere debent, ut discant repugnare diffidentiae et consolari se voce Evangelii, ut concipiant veram fidem[1]).

Paulus usus est admodum significantibus verbis, cum nominat adfectus et diserte dicit eos per legem excitari et addit efficaces esse in membris. Hae sunt admodum illustres descriptiones. Sicut in Saul[2]) videmus quam sit vehemens indignatio, quam sint ardentes motus, sic in singulis hominibus dubitatio avertit corda a Deo et tenet captiva. Haec non dicuntur vulgari iudicio a Paulo, sed spiritualibus oculis intuetur Paulus captivitatem cordium humanorum et arcanam diffidentiam et dubitationem, quae postea infinita peccata parit.

Eodem pertinet quod postea inquit: Mortui legi, qua captivi tenebamur. Significat[3]) enim illam captivitatem, qua corda humana oppressa dubitatione diffidentia pavoribus avertuntur a Deo, fugiunt Deum nec possunt vere invocare nec statuunt sibi ignosci. Sed quando audita voce Evangelii erigunt se et veram fidem concipiunt, tunc incipiunt Deum agnoscere et invocare et statuunt sibi ignosci se exaudiri, expectant bona a Deo. Sic de libertate loquitur 2 Corinth. 3. Et hic ait, liberationem ex illa captivitate ita fieri, ut iam corda liberata diffidentia vere agnoscant Deum. Ideo ait: Ut serviamus in novitate spiritus.

Nunc autem liberati a lege sumus etc.

[*Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου*, v. 6.]

Descripsit servitutem sub lege paucis verbis in conclusione proxima, quod videlicet lex teneat captiva corda et diffidentiam ac dubitationem augeat, quae pariunt desperationem blasphemiam et avertunt corda a Deo, ut ruant in varia peccata.

Deinde addit libertatis descriptionem et primum inquit nos mortuos esse legi, id est liberatos ab illa captivitate: quia Evangelium adfert remissionem peccatorum. Neque enim potest invocari Deus aut obediri Deo, nisi prius adcepta remissione peccatorum: quia donec sumus captivi legis nec audimus remissionem peccatorum, nondum agnoscitur bonitas Dei, non sentiunt corda nos exaudiri, fugiunt iram Dei et avertuntur a Deo. Sed postquam adcepta est remissio peccatorum per Evangelium et agnitionem Christi, tunc incipit obedientia: quia iam agnoscimus voluntatem Dei, quod velit nos exaudire, velit misereri, iam invocamus. Ideo

---

1) intelligere debent — fidem *B. C. W.* intelligere debent et consolari se voce Evangelii, concipiunt veram fidem *A.* 2) Saul *A. B.* Saule *C. W.* 3) significat *B.C. W.* significant *A.*

hic dicit tunc incoari obedientiam, quando a lege liberamur per fidem, id est, quando in Christo iam agnoscimus voluntatem et bonitatem Dei. Docet igitur haec sententia clare: Quod sine fide et extra fidem in Christum non placeant Deo ulla opera, nec sint iusticia seu obedientia erga Deum vel cultus Dei, sicut supra inquit: Per quem adcessum habemus ad Deum.

Discernit autem novam obedientiam a carnali et novam vocat spiritualem, alteram vero vocat vetustatem literae[1]). Supra autem dictum est literam significare omnes cogitationes conatus bonas intentiones, item opera, quae ratio facit sine vero timore Dei et sine vera fiducia Christi et sine Spiritu sancto. Sicut Saul habet bonas intentiones, bona proposita, quod velit Deo servire. Item, sacrificat et interea nec timorem habet nec veram fidem. Sicut contritio quando non est verus dolor sed adcersita moesticia, est litera. Ideo enim dicitur litera, quia non est verus et vivus motus animi, sed est ociosa imitatio interior vel exterior, nec ibi potest esse vera invocatio, ubi cor non adprehendit remissionem peccatorum.

Econtra Spiritus significat veros motus spirituales, scilicet verum timorem Dei et veram fiduciam, quae concipiuntur[2]) in vera consolatione, cum scilicet corda in terroribus erigunt se promissione[3]) Evangelii et adprehendunt misericordiam propter Christum promissam: Ibi cum agnoscunt misericordiam, incipiunt vere invocare Deum et vere expectare ab eo auxilium, vere diligere etc. Hi motus sunt veri cultus et nova obedientia, de qua hic loquitur. Et fiunt[4]) excitati a Spiritu sancto, qui in illa consolatione, cum fide erigimur, concipitur. Sicut inquit Paulus Gal. 3: Ut promissionem spiritus adcipiamus per fidem. Sic igitur discernuntur spiritus et litera. Spiritus significat vivos motus excitatos a Spiritu sancto, litera vero cogitationes intentiones proposita et imitationes sine vero motu cordis: et tamen litera ad disciplinam pertinet.

Utitur autem vocabulo Serviamus, non quod nova obedientia sit talis servitus, qualis est iusticia legis, sed ut doceat etiam novam creaturam subiectam esse Deo et ordinatam ad obedientiam, etiamsi illa obedientia est voluntaria. Sicut ad Ephesios inquit: Ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad bona opera, quae ordinavit Deus, ut in eis ambulemus. Et Esaiae 61[5]): Vocabuntur arbores iustae et plantulae Domini ad glorificandum, id est ut glorificent Deum, non adficiant Deum contumelia per scandala.

---

1) literae *A. C. W.* litera *B.* 2) concipiuntur *B. C. W.* concipitur *A.* 3) promissione *B. C. W.* in promissione *A.* 4) fiunt *A. B.* sunt *C. W.* 5) Et Esaiae 61 *B. C. W.* — *A.* omitt.

Quid igitur dicemus?

[*Τί οὖν ἐροῦμεν*; *ὁ νόμος ἁμαρτία*; v. 7.]

Absoluta digressione redit ad illam collationem, quam supra instituit de lege et de gratia. Ac praecipue hic concionatur de usu legis, ut has duas opiniones non tantum in Iudaeis, sed universaliter in omnium hominum[1]) animis haerentes emendet. Omnes enim imaginantur[2]) iusticiam legis, quam praestare homo potest, satisfacere legi et esse iusticiam coram Deo, hoc est homines nec vident peccatum et corruptionem naturae: nec vident disciplinam, quam utcunque praestant per legem, non satisfacere legi, non esse iusticiam coram Deo. Quanquam autem illas opiniones de lege maxime defendebant Iudaei, tamen sunt communes omnium hominum, sed[3]) refutantur ab Evangelio, quod docet legem non esse tantum civilem disciplinam et lege non esse iustos homines: ideo necesse est Apostolos de hac re concionari. Nec rixatur hic Paulus tantum de ceremoniis, sed de tota lege loquitur ac praecipue de decalogo, sicut citat ex decalogo exemplum et disputat neminem legi satisfacere: ideoque omnes adcusari a lege eamque ob causam legem esse ministerium irae et mortis.

Haec necesse est tradi in Ecclesia, ut beneficium Christi fiat illustre et intelligi possit quod sit opus Evangelio, quod sit opus gratia et alia iusticia, quam iusticia legis. Quia enim lege non iustificamur, ideo Deus dedit pro nobis filium et revelat Evangelium, quod velit nobis propter filium gratis ignoscere, nos pronunciare iustos et renovare.

Haec sum praefatus in hunc locum, ut studiosi diligentius considerent, quo consilio haec a Paulo disputentur[4]), quo pertineant, quam necessaria sint. Declarant enim quale sit peccatum haerens in natura et corruptio naturae. Item quod lex non tantum requirat externa civilia officia, sed perfectam obedientiam. Item quantum efficiat lex et quod sit opus alio verbo et beneficio Christi. Prosunt item ut discrimen legis et Evangelii recte et vere intelligatur. Oportet autem horum locorum cognitionem in Ecclesia extare.

Estque eo diligentius consideranda haec pars Epistolae Paulinae, quia etiam veteres in ea explicanda admodum sudaverunt et pauci dextre et recte tractaverunt. Cum enim non viderent Paulum loqui de agone conscientiae, sed putarent dici de civili usu legis, adfinxerunt multas absurdas interpretationes et nihil ad rem pertinentes. Multum autem interest Ecclesiae retineri veram huius loci sententiam, quo obruto non satis intelligi potest quid et quantum sit peccatum originale, quod sit discrimen legis et Evangelii, quid sit gratia et iusticia fidei.

1) hominum *A. B.* — *C. W.* omitt. 2) omnes enim imaginantur *B. C. W.* — *A.* omitt. 3) sed *A.* et *B. C. W.* 4) disputentur *B. C. W.* disputantur *A.*

Nunc adcedo ad textum. Estque in summa haec sententia: Non sumus iusti lege, quia talis et corruptio naturae, ut legi nemo satisfacere possit. Ideo lex semper adcusat. Et cum corda sentiunt hoc iudicium et iram Dei, perterrefiunt et adiguntur ad desperationem et aeternam mortem: ita lex est ministerium irae et mortis et auget peccatum, videlicet non externum, sed intus auget id est armat peccatum, ut nos perterrefaciat et occidat. Sicut ad Corinth. inquit: Aculeus mortis peccatum est, Virtus autem peccati lex est. Et Paulus tanquam diligens doctor addit exemplum de sua experientia.

Initio autem praeponit[1]) translationem: Quod lex est ministerium mortis non fit legis vicio[2]), sed propter nostrum peccatum, quia corrupta natura non[3]) potest satisfacere legi: ideo lex adcusat nos. Et dat exemplum de praecepto: Non concupisces, ut moneat, quod lex non tantum adcuset externa civilia delicta, sed etiam naturae corruptionem. Ideo usus est his verbis: Peccatum occasione adcepta, id est agnitum per legem, irritavit concupiscentiam, id est perterrefecit me et in illis terroribus movet illam dubitationem diffidentiam indignationem adversus Deum, ut fugiat cor Deum et irascatur iudicio Dei.

Sine lege peccatum est mortuum, id est si lex non adcusaret, non existerent illi terrores et confusio conscientiae. Ego autem aliquando sine lege vixi, id est, cum essem Pharisaeus eram securus, arbitrabar me legi satisfacere, me iustum esse. Id enim vocat vivere sine lege, non audire legem ostendentem peccatum et adcusantem, non adfici adcusatione illa, non sentire dolores.

Itaque tres hominum gradus constitue[4]). Unus est carnalium, qui vivunt securi, seu ut Epicurei seu ut Pharisaei, nec habent veros pavores conscientiae. Tale vitae genus est vivere sine lege, scilicet iudicante, adcusante etc. Quia lex in illis non habet suum principalem effectum, ut ostendat et adcuset peccatum. Lex enim tunc vere lex est, cum iudicat et adcusat, non cum scripta est in parietibus.

Secundus gradus est eorum, qui opprimuntur terroribus et cruciatibus conscientiae: sicut Iudas aut Saul. Hi quia non audiunt vocem Evangelii, succumbunt in his terroribus et sentiunt se damnari. Ideo hic ait: Veniente lege peccatum revixit, id est coepit esse efficax et terrere, et ego mortuus sum. Nisi enim Paulus audiret vocem Evangelii, ipse quoque periret in talibus terroribus.

Est igitur tertius gradus illorum, qui eriguntur in ter-

---

1) praeponit *A. B.* proponit *C. W.* 2) legis vicio *A. B.* de legis vicio *C. W.* 3) non *A. B. C.* — *W.* omitt. 4) constitue *A. B. C.* constituo *W.*

roribus voce Evangelii, sicut supra inquit: Iustificati fide [1]) pacem habemus etc.

His tribus gradibus consideratis textus Pauli facilius intelligi potest, nam ad primum gradum pertinet quod ait: Sine lege peccatum est mortuum. Ego autem aliquando sine lege vixi: quia in securis et ociosis Epicureis aut Pharisaeis nulli sunt terrores, non est agnitio peccati. In talibus peccatum est mortuum, id est non perterrefacit, non opprimit eos terroribus et sensu damnationis, quia non sentiunt se adcusari a lege.

Ad secundum gradum pertinent ii, qui sunt in veris terroribus, quales describuntur saepe in Psalmis, Psal. 38[2]): Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae. Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Et Esaias inquit: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. In hanc sententiam dixit: Veniente lege peccatum revixit, id est fuit efficax ad incutiendos terrores et sensum damnationis.

Ad tertium gradum pertinent qui in terroribus eriguntur. Manet enim hoc certamen in piis, ut fides luctetur cum pavoribus: ideo Paulus suum exemplum proponit, ut universam Ecclesiam de hoc agone doceat.

Quidam fingunt Paulum non loqui de seipso, sed de persona alicuius impii. Haec imaginatio aperte refutari potest per exempla Psalmorum. Si enim concedimus Davidem hoc ipso modo de sese loqui, cur idem non concedamus de Paulo? Et utriusque exemplum propositum est, ut testetur ista sic geri et fieri in ceteris piis. In fine repetit Paulus translationem, inquiens legem ipsam non esse malam, sed nostrum peccatum, quod lex offendit et adcusat est causa terrorum et damnationis.

Diligenter antem haec particula observanda est, quod ait: Ut peccatum fiat excellenter peccatum. Est autem haec sententia: Peccati magnitudo non cernitur ab ociosis et securis, ut tantisper dum David erat ocioso animo, non videbat quam horribilis res esset peccatum, quia securus animus non statuit Deum vere irasci peccato, cumque nondum sentiat iram Dei, non videt id quod praecipuum est in peccato, scilicet reatum, hoc est quod Deus vere irascatur peccato. Sed quando expavescunt corda, ibi vere statuunt Deum irasci, tunc vident id quod est proprium et praecipuum peccati[3]), videlicet reatum et iram Dei. Ergo tunc peccatum conspicitur esse vere peccatum et fit valde nocens seu viciosum seu reum et adfert damnationem.

---

1) fide *C. W.* — *A. B.* omitt. 2) 38 *B. C. W.* 37 *A.* 3) peccati *B. C. W.* peccatum *A.*

Lex spiritualis est.

[*Ὁ νόμος πνευματικός ἐστιν*, v. 14.]

Diluit tacitam obiectionem. Poterat enim obiici: Quid videatur de illis, qui legi obediunt, quales sunt non modo hypocritae, quorum est inculpata vita, sed etiam sancti, ut Esaias Ioannes Baptista etc. De his quaeritur an non sint lege iusti? an lex non prosit eis ad vitam, hoc est ad remissionem peccatorum et vivificationem? Hic Paulus respondet: Imo inquit lex est spiritualis, ego autem carnalis, quasi dicat: Neque ego neque quisquam legi satisfacit, quia lex est spiritualis, id est requirens spiritualem et perfectam obedientiam, quam non praestat natura carnalis.

Estque diligenter hoc loco observandum quid vocet spirituale. Opponit enim politicae seu externae disciplinae, quae vocatur carnalis disciplina et iusticia, quasi dicat: Lex non est tantum doctrina politica, id est cui externa disciplina satisfacere possit, sed requirit spiritualem obedientiam, id est spirituales motus, illustrem agnitionem Dei, timorem, fiduciam, dilectionem Dei et alios motus pios ardentes sine concupiscentia. Quia vero cor hominis non est tale, ideo lex est ministerium damnans peccatum et vere perterrefaciens corda.

Aliena est igitur ab hoc dicto Pauli interpretatio Origenis et similium, qui spirituale putant significare idem quod allegoricum, et postea totam legem tantum intelligunt esse doctrinam de externis moribus et putant posse legi satisfieri. Sed nos antithesin teneamus, quod spirituale opponat externae disciplinae, quae est carnalis iusticiae, non spiritualis: quia spirituale significat motus agentes cum Deo. Haec igitur antithesis multum lucis addit, cum interpretamur: Lex est spiritualis, id est non tantum politica, sed requirens spiritualem et perfectam obedientiam, et ministerium non tamen externum, sed quo Deus iudicat et damnat peccata et perterrefacit corda. Porro etsi ratio humana tantum intelligit legem de politicis moribus, tamen Evangelium in praedicatione poenitentiae detrahit humanis cordibus velum Moisi, id est falsam opinionem de lege et arguit ipsam iusticiam legis, id est externa[1]) iusticia non satisfieri legi, et testatur quod lex requirat perfectam obedientiam etc.

Deinde Paulus declarat institutam propositionem: Lex est spiritualis, Ego autem sum carnalis, cum commemorat se non satisfacere legi, sed habere in carne impetus pugnantes cum lege Dei: addit etiam declarationem, quid velit intelligi per haec verba: Ego sum carnalis, quia subiicit haec verba: Venundatus sub peccatum. Quibus verbis significat naturam non

1) externa *B. C. W.* — *A.* omitt.

habere spiritualem obedientiam, sed viciosam esse et servam seu captivam peccati, id est corruptam. Hic totus locus declarat qualis sit corruptio naturae, et quod peccatum originale non sit tantum imputatio, sed reipsa quaedam corruptio[1] in natura. Haec necesse est tradi in Ecclesia, ut agnoscamus peccatum et e regione magnitudo beneficii Christi cognosci possit. Quare diligenter haec verba expendenda sunt: Venundatus sub[2] peccatum, ut magnitudo peccati et servitus intelligatur, quod videlicet natura vere corrupta et viciosa sit.

Haec eludunt aliqui et fingunt Paulum hic loqui non de sua persona, non de conversis et sanctis, sed de impiis. Haec cavillatio repudianda est. Ut enim David de se et de omnibus sanctis loquitur, cum ait: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, aut cum ait: Ecce in iniquitatibus conceptus sum etc.: ita Paulus de se loquitur et suo exemplo omnes sanctos complectitur. Cum igitur haec interpretatio Pauli habeat firma et illustria testimonia in Psalmis, est certa nec adfingendae sunt alienae interpretationes.

Significat autem carnalis natura naturam hominis per sese non intelligentem nec adpetentem spiritualia, id est dubitantem de Deo, vacuam timore Dei et securam et aut contemnentem iudicium Dei aut irascentem iudicio Dei: et e regione adpetentem carnalia voluptates opes gloriam, confidentem non Dei auxilio, quod non cernit, sed praesentibus rebus, ut viribus sapientiae aut iusticiae. Talis est natura humana sine Spiritu sancto. Sed cum fide renovatur per Spiritum sanctum, incipit spiritualis novitas luctari cum carnali corruptione, quae adhuc reliqua est, donec vivimus in hoc corpore mortali.

Quod operor non adprobo[3].

[Ὃ γὰρ κατεργάζομαι οὐ γινώσκω, v. 15.]

Illud certamen deinde describit Paulus: Quod operor non agnosco, id est non adprobo, quasi dicat: Sentio meam naturam repugnare legi Dei, me non habere ardentes motus timoris, fidei, dilectionis Dei. Item, in adflictionibus repugnat natura voluntati Dei, cupit excutere adflictiones et quaerit praesidia corporalia: incurrunt in animum saepe dubitationes de Deo. Tales interiores motus significat Paulus cum inquit: Quod operor non adprobo, id est cum illis viciosis motibus luctatur in me spiritualis novitas et improbat illa vicia[4].

---

1) corruptio *A. W.* coruptio *B.* corrupto *C.* 2) sub *A. C. W.* sum *B.* 3) Quod operor non adprobo *B. C. W.* — *A.* omitt. 4) vicia *A. B. W.* vita *C.*

Non quod volo bonum, id facio[1]).

[Οὐ γὰρ ὃ θέλω πρᾶσσω, v. 15.]

Hanc pugnam deinde pluribus verbis describit: Non quod volo bonum id facio, id est: Etsi habeo incoatum timorem, tamen ille impeditur naturali securitate, ne sit tantus quantus esse debeat. Etsi habeo incoatam fidem, tamen illa impeditur naturali dubitatione, ne sit satis firma. Etsi habeo incoatam dilectionem, tamen illa impeditur concupiscentia, ne satis ardeat et flagret.

Loquitur autem non de levibus adfectibus et tentationibus, sed de acerrimis motibus. Ideoque usus est verbis illustribus, nominat militiam et captivitatem, ut significet vehementes motus esse: sicut experimur in calamitatibus, in morte, quam difficile sit obedire. Tota natura fremit, indignatur et repugnat. Item, dubitatio naturalis et conspectus peccati ita terrent, ut etiam pii opprimantur desperabundi, sicut David saepe conqueritur. Haec captivitas in impacientia et pavoribus perspicue conspicitur. Sed haec peccata interiora non cernunt securi et impii; ideo extenuant peccatum originale et concupiscentiam.

Quare hunc locum teneamus et falsis opinionibus de lege et peccato opponamus. Hinc discimus quod legis impletio non sit tantum externa disciplina, quod peccatum originale sit reipsa corruptio quaedam in natura hominis, quae damnatur lege Dei, quod concupiscentia etiam in sanctis sit peccatum sua natura, sed piis credentibus condonatur. Item, quod nec sancti satisfaciant legi Dei. Item, quod sancti semper habeant opus remissione peccatorum. Quod nostra impletio legis seu dilectio seu opera non sint digna, propter quae simus iusti, id est adcepti, nec sint digna vita aeterna. Sed fide propter mediatorem Christum adcipimus remissionem peccatorum, et imputatione iusticiae[2]) vitam aeternam. Itaque multiplicem doctrinam continet hoc caput, de peccato, de lege, de reliquiis peccati in sanctis. Quare diligenter meminerimus ubi utendum sit hoc capite, quia multas falsas et carnales opiniones refutat de peccato et de[3]) lege.

Praeterea hic reprehendenda est falsa imaginatio illorum, qui fingunt Paulum adsumere alienam personam impii in hoc loco, et negant hoc certamen quod hic describitur convenire in personam conversi et sanctificati: quasi in sanctificatis nullae sint reliquiae peccati, aut natura penitus sit renovata, et nulli sint viciosi motus.

Facile autem illa imaginatio refelli potest consensu scripturarum. Nam et in Galat. similiter describitur hoc certamen in san-

1) Non quod — facio *B. C. W.* — A. omitt. 2) iusticiae *A. C. W.* iniusticiae *B.* 3) de *B. C. W.* — *A.* omitt.

ctis, cum inquit: Spiritus concupiscit adversus carnem, caro adversus spiritum. Et saepe in Psalmis David conversus et sanctus deplorat praesens peccatum, ut in Psal. De profundis etc. Psal. 19[1]: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Et Psalm. 143[2]: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia[3] non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Ps. 32[4]: Pro hoc orabit ad te omnis sanctus etc. Haec testimonia Psalmorum prorsus consentiunt cum hoc loco Pauli et idem docent, quod hic disputat Paulus, videlicet quod nemo legi satisfaciat, quod maneant in sanctis reliquiae peccati, quod sancti sint iusti[5], id est adcepti per misericordiam, credentes sibi remitti peccata propter Christum. Sicut igitur in Psalmis exemplo Davidis describuntur omnes conversi et sancti in Ecclesia: ita et hic Paulus de se converso et sanctificato loquitur et suo exemplo describit omnes sanctos in Ecclesia.

Idque ostendunt ipsa verba, cum inquit: Delector lege Dei. Item: Mente servio legi Dei. Item: Velle adest mihi. Nam in impiis etiamsi est noticia aliqua legis, tamen non est illud velle aut delectari lege Dei, de quo hic loquitur. Non enim frigide intelligenda sunt haec verba: Delector lege Dei, Velle adest mihi etc. Sed testatur Paulus se habere incoatam obedientiam, agnoscere Deum, confidere Deo, non relinqui in dubitatione, sed erigi fide. Item, libenter obedire Deo in adflictionibus. Haec significat verbum Delector lege Dei, quae certe non sunt in impiis.

Rursus etiam hic monendus est lector de discrimine interioris et exterioris hominis, de mente et de carne. Interior homo significat hominem, quatenus renovatus est Spiritu sancto, hoc est quatenus habet verum timorem et veram fiduciam. Ita et mens non significat hic tantum partem cognoscentem, sed utramque partem, cognoscentem et adpetentem, quatenus renovata est Spiritu sancto, sicut inquit: Ego autem mente servio legi Dei.

Econtra exterior homo seu caro significant totum hominem, quatenus non est renovatus Spiritu sancto: et significant non tantum adpeditiones sensuum aut externa membra, sed etiam potentias superiores, rationem et voluntatem, quatenus non sunt renovati, sicut infra rursus dicendum est.

Quod inquit: Miser ego, quis me liberabit[6] a corpore huius mortis? vox est non impii et securi, sed conversi, qui versatur in eo certamine, quod est proprium poenitentiae. Hunc igitur locum nobis inter exempla poenitentiae proponamus et discamus talem esse perpetuam poenitentiam piorum, videlicet agnoscere miseriam cum ingenti dolore, hoc est expavescere aliquo modo vi-

---

1) 19 *B. C. W.* 18 *A.* 2) 143 *B. C. W.* 142 *A.* 3) quia *A. B. W.* qui *C.* 4) 31 *A.* 33 *B. C. W.* 5) sint iusti *B. C. W.* — *A.* omitt. 6) liberabit *B. C. W.* liberavit *A.*

dentes morbum naturae, quod non sunt ardentes pii motus in nobis, timor fides dilectio frigent, et interim carnales curae et adfectus magis eminent, et magna pars vitae directa est ad carnalia consilia: non toto impetu quaeritur gloria Dei. Haec vicia videre debent pii, agentes poenitentiam, ut exclamemus cum Paulo: Quis nos liberabit a corpore mortis huius?

Quis liberabit me[1]) *etc.*

[*Τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου*, v. 24.]

Est et forma sermonis observanda, quod non inquit: Quis liberabit me ab hac morte, sed a corpore. Non enim de poena tantum loquitur, sed de peccato, et testatur corpus ipsum, hoc est hanc naturam carnalem immersam esse peccato et morti. Cum enim nominat corpus mortis, intelligit naturam immersam peccato et propter peccatum subiectam morti, hoc est subiectam irae Dei poenis terroribus morti aeternae etc. Sicut Psalmo 37[2]) dicitur: Propter iniquitatem corripuisti hominem.

Caput VIII.

Hactenus dixit de peccato et de lege: nunc redit ad descriptionem gratiae. Potest enim quaeri: Si adhuc est peccatum in renatis, quomodo igitur sunt iusti? quomodo fiunt salvi? Hic respondet et declarat amplitudinem gratiae. Dictum est autem supra, quod gratia significet adceptationem gratuitam, quam hic describit negative.

Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant.

[*Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, v. 1.]

Id est, iustificati fide placent Deo propter Christum, etiamsi adhuc in eis haeret peccatum, videlicet concupiscentia et viciosi adfectus. Non enim inquit nullum esse peccatum in piis, sed nullam condemnationem. Et haec est principalis propositio in hoc loco de gratia, estque doctrina simpliciter necessaria in Ecclesia, quod videlicet renati non propter impletionem legis aut propriam dignitatem, sed propter Christum fide sint iusti, id est adcepti, quanquam adhuc in eis haeret peccatum, id est concupiscentia.

Sed in propositione additur: Ambulantibus secundum

1) Quia liberavit me *B. W.* Quia liberabit me *C.* — *A.* omitt. 2) 38 *A. B.* 28 *C. W.*

spiritum. Hoc adiectum est propter duas causas: Prior est, ut ostendat fidem non esse cogitationem humanam, sed motum Spiritus sancti. Altera causa est, ut sciamus hanc fidem non esse in his, qui ambulant secundum carnem, hoc est qui sunt sine poenitentia et ruunt in peccata contra conscientiam. Nam his[1]), quia delectantur peccato, neque contritio est neque remissio peccati. Docet igitur Paulus quomodo iustificati placeant, scilicet non quia legi satisfaciunt, sed quia credunt in Christum: et quod talis fides sit motus Spiritus sancti et non sit in his, qui ambulant secundum carnem, hoc est, qui sunt sine poenitentia et indulgent adfectibus carnalibus contra conscientiam.

Deinde addit rationem seu declarationem propositionis: Quia[2]) lex spiritus vitae etc. Id est, ita iustificatus sum, quia fide, qua adprehendi Christum, liberatus sum a terroribus peccati et mortis. Et haec ipsa liberatio est vivificatio, id est incoatio novae et aeternae vitae.

† Lex spiritus vitae etc., Ergo lex iustificat. Lex significat doctrinam: Diliges Dominum Deum tuum etc. R. Addit: Lex spiritus, Ergo intelligit spiritum gubernantem, id est illa gubernatio motus spiritualis, qui vivificat adprehensione Christi, ille motus est spiritus. †

Diligenter autem hoc loco vocabula consideranda sunt. Nam lex in his verbis: Lex spiritus vitae etc. non significat doctrinam legis, inquit enim: Lex spiritus, hoc est spiritus gubernans seu movens seu vivificans. Estque metalepsis, Lex spiritus, id est gubernatio seu motus spiritus.

Et ut diserte intelligatur fides, quae adprehendit Christum, nec intelligatur aliquod opus legis, ipse Paulus subiicit: Lex spiritus vitae in Christo Iesu, id est illa gubernatio spiritualis quae vivificat, adprehendens Christum Iesum. Vult igitur nos fide et agnitione Christi vivificari et liberari a peccato et a morte, quasi dicat: Non propter legis impletionem, sed quia adprehendistis Christum.

Facit igitur antithesin, opponit fidem et agnitionem Christi ei, quod proprie lex dicitur, quasi dicat: Fides et agnitio Christi tollit legem adcusantem et damnantem. Sicut postea inquit: Liberavit me a lege peccati et mortis. Estque summa sententiae, Iustificatis non est condemnatio, non quia habent legis impletionem, sed quia fide in Christum vivificantur et liberantur a maledictione legis seu a damnatione.

---

1) in his *C. W.* 2) quia *A. B.* qua *C. W.*

Quia cum impossibile esset legi etc.[1])

[*Τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου*, v. 3.]

Sequitur ratio, in qua iterum proponitur antithesis legis et beneficii Christi. Primum autem grammatica syntaxis consideretur et construatur periodus hoc modo. Quia cum impossibile esset[2]) legi, scilicet tollere peccatum, eo quod per carnem lex non poterat fieri: Deus misit filium suum in similitudine carnis peccati, et per peccatum damnavit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur. Haec sententia tota est διδασκαλική et continet praecipua testimonia de lege, de operibus et de iustificatione seu de merito Christi. Et primum clare dicit quod lex non fiat nec impleatur per hanc corruptam naturam. Docet item quod opera nostra non tollant peccatum seu non liberent[3]) nos a peccato et a morte, ergo falsa est imaginatio adversariorum, qui fingunt homines mereri remissionem peccatorum per propria opera. Item homines esse iustos propter propriam legis impletionem.

Haec traduntur in prima parte periodi: Cum legi impossibile esset tollere peccatum, item cum postea ait: Quia infirmabatur per carnem, id est non poterat fieri per hanc corruptam naturam.

Misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati[4]).

[*Ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκός*, v. 3.]

Magna est emphasis in his verbis: Misit filium in similitudine carnis peccati. Item: Per peccatum damnavit peccatum. Intelligit enim Christum ita missum esse, ut subiiceretur poenis peccati doloribus pavoribus et morti, sicut ad Philippenses secundo inquit: In similitudine hominum factus et habitu inventus ut homo etc. Et postea vocat Christum peccatum, cum ait: Per peccatum scilicet Christum damnavit, id est sustulit seu irritum fecit peccatum et damnationem in hominibus, id est: Postquam ipse Christus factus est hostia pro nobis satisfaciens, nos deinde sumus liberati a peccato et a poena etc.

Est autem primum observanda phrasis, quod ait Christum factum esse peccatum seu hostiam pro peccato. Nam in hoc loco: Per peccatum vox peccati significat Hebraico more hostiam pro peccato, id est mulctam seu satisfactionem pro peccato, sicut Latini piaculum dixerunt, Graeci κάθαρμα. Estque

---

1) quia — legi *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) esset *B. C. W.* est *A.* 3) liberent *C. W.* liberant *A. B.* 4) Misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati *B. C. W.* Proprio filio misso sub specie carnis *A.*

similis significatio, ut in vocabulis maledictum et anathema, quae significant res destinatas ad poenam, ad placandam iram Dei. Ita Esaias de Christo inquit: Quia ponet animam suam peccatum, id est hostiam pro peccato. Ideo et Paulus toties inculcat, 2 Corinth. 5: Eum qui non noverat peccatum pro nobis fecit peccatum, id est hostiam, quae sustineret poenam peccati et satisfaceret pro peccatis nostris. Et ad Galat. similiter Christum ait factum esse [1]) maledictum, id est piaculum sustinens maledictionem et iram Dei adversus peccatum.

Est itaque secundo considerandum, quanta sit humiliatio Christi. Cum enim pro omnium peccatis passus sit, sustinuit iram Dei et veros terrores adversus peccata nostra vice, velut infimus et abiectissimus omnium peccatorum, sicut inquit Esaias: Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrûm.

Haec cogitanda sunt, ut timorem et fidem exuscitent, nec existimemus frustra haec facta esse, sed magnitudinem irae Dei adversus peccatum consideremus et rursus erigamus fidem, cum cogitabimus qualis haec hostia fuerit, quomodo sit humiliata, quam horribiliter Deus irascatur peccato, cum voluerit filium fieri talem victimam; et rursus quantum habeamus pignus misericordiae, quod illa victima iram in se transtulit etc.

Haec omnia proponuntur etiam in illis verbis: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Dicitur enim agnus, quia est victima. Et sacrificia inde usque ab initio mundi significarunt venturam talem hostiam, quae moritura esset pro peccatis humani generis. In textu est περὶ ἁμαρτίας, quod potest exponi propter peccatum, id est propter hostiam vel pro illa hostia. Estque figura orationis ex Levitico sumta, ubi hostiam pro peccato Graeci verterunt hac formula περὶ ἁμαρτίας. Poteris igitur interpretari: condemnavit peccatum in carne, id est hominum peccata: Propter peccatum, id est propter hostiam exhibitam, vel pro peccato, id est pro hostia exhibita.

Nonnihil etiam ad vocabulorum vim intelligendam conducent historiae et veteres ritus. Nam καθάρματα vocabantur atrocissimis delictis polluti, quos Deus et homines execrarentur, et propter quos videretur pollui natura rerum et Deus plectere reliquos homines: sicut Atreus, qui dedit fratri liberos edendos, Nero et similia portenta. Tales sunt blasphemi, idolatrae, haeretici, tyranni, incesti, parricidae. Sicut ille in tragoedia inquit: Discedite [2]) a me, ne umbra noceat bonis.

---

1) similiter Christum ait factum esse *A.* similiter factum esse ait Christum *B. C. W.* 2) discedite *C. W.* discite *A. B.*

Condemnavit peccatum in carne[1]).

[*Κατέκρινεν τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί*, v. 3.]

Phrasis est Hebraica: Condemnavit peccatum pro punivit, hoc est abolevit et extinxit, ut iam irritum esset vel prorsus non esset reliquum. Dissimilis phrasis est, si dicas: Lege antea[2]) fuisse condemnatum peccatum, tunc enim damnare significat non tollere peccatum, sed reum arguere manens peccatum[3]), et manente reatu et ira. Sed in hoc loco, cum Paulus inquit: Peccatum condemnatum esse propter hostiam Christum, damnare significat tollere seu extinguere peccatum et tollere reatum et iram.

Haec dissimilitudo in phrasi observanda est. Itaque haec est sententia: Propter Christum peccatum in carne, id est in natura hominum, est abolitum. Idque dupliciter intelligi debet: Primum imputatione, quia enim remissum est et non imputatur nobis credentibus peccatum adhuc haerens in natura nostra, ideo est abolitum, hoc est irritum, ne adcuset, ne condemnet credentes. Secundo, sic abolitum est, ut iam coeperit reipsa extingui et incoëtur novitas spiritualis, quae erit consummata, cum in resurrectione vestiemur nova natura et iusticia sine peccato.

Eodem pertinet quod postea sequitur: Ut ius legis in nobis impleatur, id est ut consummate habeamus id quod lex requirit, id est ut iusti reputemur. Primum ergo de imputatione intelligatur, quod fide propter Christum lex in nobis impleatur, scilicet imputative, hoc est quod fide propter Christum reputemur iusti, perinde ac si legi satisfaceremus, cum tamen adhuc haereat in nobis peccatum et procul absimus ab impletione legis. Secundo intelligatur de effectu, videlicet ut incoëtur in nobis novitas donato Spiritu sancto, eaque novitas erit perfecta et consummata iusticia et obedientia et impletio legis, tunc cum prorsus deleta hac infirmitate carnis vestiemur tota novitate spirituali, quae est integra iusticia et obedientia sine peccato.

Sciat autem lector hanc rationem adcommodandam esse ad institutam propositionem, videlicet: Nulla nunc condemnatio est his, qui sunt in Christo etc. Nam ut hanc propositionem confirmaret, adiicit sequentia, estque haec summa: Credentes sunt iusti, id est adcepti Deo propter Christum, etiamsi legi non satisfaciunt. Ratio est: Quia enim Christus pro nobis factus est victima et sustulit peccatum, ideo iam non adcusat lex credentes, sed sumus iusti propter Christum fide, perinde ac si legi satisfaceremus. Sicut et in Galat. inquit: Christus liberavit nos a male-

1) Condemnavit peccatum in carne *B. C. W.* Sustulit peccatum *A.* 2) antea *B. C. W.* autem *A.* 3) manens peccatum *A. B. C.* manente peccato *W.*

dictione legis, factus pro nobis maledictum. Haec est summa adcommodationis.

Sed usus etiam cogitandus est, continet enim duplicem doctrinam, ut supra monui. Consolatur pios, ut intelligant quomodo placeant Deo. Rursus etiam humiliat superbos, ut meminerimus nos habere peccatum et non satisfacere legi. Quare repudiandae sunt opiniones adversariorum de merito condigni, de perfectione etc. Haec de adcommodatione et usu monere necesse est. Nam sine usu non potest intelligi amplitudo huius beneficii.

Ceterum in textu additum est: Non secundum carnem ambulantibus, sed secundum spiritum. Hic, ut supra dixi, testatur quod donetur Spiritus sanctus. Item, quod non retineant iusticiam donatam illi, qui sunt sine poenitentia et non repugnant carnalibus cupiditatibus.

Qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt sapiunt etc.[1])

[*Οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν*, v. 5.]

Instituitur antithesis, ut discernatur iusticia humana ab hac spirituali et aeterna, de qua concionatur Evangelium. Estque hic praecipua disputatio, quid vocabulum caro significet. Aliqui enim imaginati sunt carne significari tantum adpetitiones sensuum. Deinde adfingunt rationem et voluntatem legi Dei etiam sine Spiritu sancto posse obedire et efficere dilectionem Dei, fidem et similes motus. Et spiritum intelligunt cogitationes et conatus rationis et voluntatis sine Spiritu sancto. Atque ita transformant Evangelium in philosophiam.

Haec depravatio Paulinae sententiae procul repudianda est, et econtra statuendum, quod caro*) vere et proprie significet totam naturam hominis, adpetitiones sensuum et rationem et voluntatem sine Spiritu sancto, et econtra Spiritus significet Spiritum sanctum, aut motus ortos a Spiritu sancto in nobis.

Itaque secundum carnem esse significat sine Spiritu sancto esse. Et sapere secundum carnem significat habere cogitationem seu iudicium rationale et adfectus sensus et voluntatis,

*) *Λόγον*[2]), quando dividunt[3]) hominem in *λόγον καὶ ὁρμήν*, intelligunt voluntatem obtemperantem dictamini rationis et intellectum, *ὁρμὰς* adfectus, quatenus non reguntur a *λόγῳ*; organum *ὁρμῶν* est cor. Cor est organum serviens toti virtuti adpetitivae sensitivae. Huc non pertinet adpetitus vegetativus.

1) Qui enim secundum carnem — sapiunt *B. C. W.* Nam qui carnales sunt *A.* 2) *Λόγον* — vegetativus *A. B.* — *C. W.* omitt. 3) dividunt *A.* dividit *B.*

quales sunt sine Spiritu sancto: ut intelligere et adpetere voluptates opes tranquilitatem gloriam. Et hic summus gradus est, intelligere civilem iusticiam et hanc plurimi facere et adpetere, cum interim cor sit sine timore Dei, plenum dubitatione et ignoratione Dei. Econtra sapere secundum spiritum est spiritualiter iudicare et habere motus spirituales, id est lucem qua agnoscitur Deus et veros pavores ac veram fiduciam luctantem cum dubitatione.

Sensus carnis est mors[1]).

[*Τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος*, v. 6.]

Hic sensus significat cogitationem et adpetitiones sensuum et voluntatis*). Nam Paulus complectitur *λόγον* et *ὁρμὰς* et loquitur Paulus de cogitatione et adpetitione erga Deum. Estque sententia, quod iusticia humana philosophia leges civitatum imo ipsa lex Dei, sicut eam ratio sine fide et sine Spiritu sancto cogitat et conatur facere, sint mors, id est res non vivificantes coram Deo: imo motus rationis agentes cum Deo sine fide sunt etiam peccata, quare vere sunt mors, id est res damnata.

Neque sequitur inde philosophiam aut leges malas esse. Sed philosophia et leges serviunt corporali vitae, et quanquam sunt res bonae, cum suo loco utimur, tamen non vivificant in iudicio Dei, non vivificant vita aeterna[3]): imo nec lex Dei vivificat vita aeterna[4]), ac ne quidem satis intelligitur sine Spiritu sancto.

Sensus spiritus est vita et pax[5]).

[*Τὸ δὲ φρόνημα τοῦ πνεύματος ζωὴ καὶ εἰρήνη*, v. 6.]

Id est vera consolatio quae fit fide per Spiritum sanctum est motus, quo vere agnoscitur adprehenditur et invocatur Deus et concipiuntur nova lux noticia vita et gaudium conscientiae. Sicut infra inquit: Adcepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba Pater, id est quo vere agnoscimus Deum. Et hi motus sunt liberatio a morte aeterna et incoatio vitae aeternae, sicut Christus inquit Ioan. 17[6]): Haec est vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum, et quem misisti Iesum Christum[7]). Tales motus non[8])

*) Non omnes adfectus sensitivi sunt viciosi, sicut *στοργαὶ φυσικαὶ* non sunt viciosae[2]).

1) Sensus carnis est mors *B. C. W.* Adfectus carnis mors est *A.* 2) Non omnes — viciosae *A. B. W.* — *C.* omitt. 3) non vivificant vita aeterna *B. C. W.* — *A.* omitt. 4) vita aeterna *B. C. W.* — *A.* omitt. 5) Sensus spiritus est vita et pax *B. C. W.* Adfectus vero spiritus *A.* 6) Ioan. 17. *B. C. W.* — *A.* omitt. 7) ut agnoscant — Christum *B. C. W.* — *A.* omitt. 8) non *B. C. W.* — *A.* omitt.

existunt in hominibus sine fide et sine Spiritu sancto. Ideo hanc collationem instituit Paulus, ut discernat spiritualem et carnalem iusticiam, et sequitur ratio, quae declarat quales sint motus in natura hominis sine fide et sine Spiritu sancto.

Sensus carnis inimicicia est adversus Deum[1]).

[*Διότι τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεόν*, v. 7.]

Hic locus maxime refutat Pelagianos et omnes, qui imaginantur homines sine Spiritu sancto legi Dei obedire, imo etiam legi Dei satisfacere. Sed hic error inde oritur, quod putant lege Dei tantum externam disciplinam requiri. Haec imaginatio abducit eos a recta via.

Sciendum est igitur lege Dei requiri interiorem obedientiam et quidem perfectam ac integram. Loquitur ergo Paulus hic de interioribus viciis, de morbo originis, de ignoratione Dei, de perpetua dubitatione, de concuspiscentia. Animus securus sine Spiritu sancto non videt iram et iudicium Dei. Haec dubitatio et securitas est contemtus Dei. Rursus animus perterrefactus, ut in Saul et Iuda, ubi sunt terrores sine fide et consolatione Spiritus sancti, fugit iram et iudicium Dei et concipit horribilem fremitum et indignationem adversus Deum.

Itaque Paulus non tantum adpetitiones inordinatas sensuum, ut libidines vel alia nota vicia, odia, rapacitatem et similia hic adcusat, sed multo magis fontes horum malorum, scilicet ignorationem Dei, dubitationem, contemtum, indignationem adversus Deum. Denique omnes impetus pugnantes cum lege Dei complectitur cum ait: Sensus carnis inimicicia est adversus Deum. Usus est Paulus atroci vocabulo, ut cogitet lector multo maiorem esse infirmitatem naturae humanae, quam ut ratio humana possit eam satis videre aut iudicare.

Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt[2]).

[*Οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται*, v. 8.]

Haec antithesis ideo diligenter observanda est, quia clare ostendit quid Paulus vocet carnem et spiritum. Quia enim inquit: Spiritus Dei item Spiritus Christi, satis constat eum loqui de Spiritu sancto, Deo. Ergo econtra caro intelligi debet quidquid est in homine sine Spiritu sancto, videlicet non tantum adpetitus sensitivus, sed etiam ratio et voluntas sine Spiritu sancto.

---

1) Sensus carnis — Deum *B. C. W.* Adfectus carnis inimicicia est *A.* 2) Qui autem — possunt *B. C. W.* Qui vero in carne sunt Deo placere etc. *A.*

Est igitur hic locus observandus, ut habeamus testimonium de significatione harum vocum.

Idem manifeste refutantur Pelagiani et similes, qui fingunt homines sine Spiritu sancto esse iustos. Item ut[1]) Scholastici dixerunt, mereri remissionem peccatorum et gratiam sine Spiritu sancto. Hic autem erudiantur conscientiae, ut discant effici motus Spiritus sancti per verbum et quod Spiritus sanctus comitetur verbum[2]). Fiunt igitur motus spirituales, cum in veris pavoribus iterum consolamur nos verbo Evangelii, sicut textus inquit: Fides ex auditu est. Item ad Galatas: Ut promissio spiritus detur per fidem etc.

Si Christus in vobis est,

[*Εἰ δὲ Χριστὸς ἐν ὑμῖν*, v. 10.]

Quod inquit: Si Christus in vobis est, intelligendum est per Spiritum sanctum[3]); sicut postea inquit: Spiritus eius qui excitavit Iesum, habitat in vobis.

Corpus quidem mortuum est propter peccatum[4]).

[*Τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν διὰ ἁμαρτίαν*, v. 10.]

Haec sententia docet, quare in sanctis sint reliquae adflictiones et mors. Poterat enim obiici: Si credentes sunt iusti et filii Dei et haeredes vitae aeternae, cur adhuc sunt onerati morte et aliis miseriis? Imo nullum genus hominum est calamitosius quam pii, quia diabolus et mundus exercent adversus eos horribilem saeviciam. Quam ob causam? Paulus respondet: Quia adhuc in carne reliquum est peccatum.

Quanquam igitur in impiis calamitates et mors sunt simpliciter poenae peccati, tamen in sanctis sunt exercitia, in quibus debet crescere novitas spiritualis, et mors est via, qua prorsus exuti peccato vestiamur nova natura. Hoc discrimen diligenter observandum est, quod in impiis adflictiones simpliciter sint poenae, in sanctis vero exercitia et via, qua aboleatur viciosa et inquinata[5]) caro. Sic ergo intelligatur hic locus: Corpus est mortuum, id est mortificatur propter peccatum, scilicet praesens, quod adhuc haeret in carne sanctorum et abolendum est ista morte, ut possimus renovata carne vestiri.

Hic adduntur disputationes de satisfactionibus, an post remis-

---

1) ut *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) et quod — verbum *B. C. W.* — *A.* omitt. 3) sanctum *B. C. W.* — *A.* omitt. 4) Sicut postea inquit — propter peccatum *B. C. W.* Sicut postea dicit: corpus quidem mortuum est propter peccatum *A.* 5) inquinata *B. C. W.* iniquinata *A.*

sionem culpae imponat Deus aut[1]) claves poenas aliquas, quae sint compensatio pro morte aeterna. Breviter respondeo: Potestas clavium non habet mandatum imponendi poenas.

Secundo*), etiamsi Deus aliquando imponit poenas, ut Davidi post adulterium, tamen inde non fit regula universalis: et nequaquam sentiendum est nullum peccatum remitti sine poena, quia promissiones toties inculcant nobis etiam poenarum remissionem. Item, etiamsi Deus poenas corporales aliquibus imponit, tamen non possunt remitti potestate clavium, ut morbi, bella et similes calamitates.

Praeterea peculiares adflictiones interdum sanctis imponuntur, ut Esaias est dissectus, Ieremias lapidatus, Ioannes Baptista decollatus etc. Hae adflictiones non sunt poenae pro certis peccatis, sed singularia opera, in quibus Deus vult ostendere suam gloriam. Sicut et Propheta inquit: Etiam innocentes bibent calicem etc. Et huc pertinet disputatio Iob, qui negat se propter peccata adfligi. Docet enim pios utrumque, quod propter adflictiones non sint reiecti, item, quod adflictiones imponantur etiam alio consilio Dei nec semper sint poenae certorum peccatorum.

Hinc perspicuum est non esse regulam faciendam, quod adflictiones sint satisfactiones aut poenae pro certis peccatis. Ut igitur adflictiones non sunt semper poenae, ita sine certis poenis saepe remittuntur peccata, sicut promittit Deus in scripturis[4]) agentibus poenitentiam mitigaturum se esse calamitates. Et Paulus inquit: Si nos ipsi iudicaremus, non iudicaremur a Domino.

Postremo illud sciendum est: etsi imponuntur poenae vel exercitia, tamen non sunt compensationes pro morte aeterna, quia tantum mors Christi est satisfactio et compensatio pro morte aeterna. Sicut scriptum est: Quia ponet animam suam pro peccato. Item: O mors, ero mors tua etc.[5]) Quare opinio adversariorum de satisfactionibus reiicienda est.

---

*) Adae[2]) post remissionem culpae imposuit Deus calamitates. Item Davidi post adulterium imposuit poenas: Ergo imponit Deus poenas. Respondeo. Imponit et[3]) saepe, sed non universaliter. Exempli causa saepe imponit poenas et sunt poenae, sed credenti fiunt exercitia. Secundo, etiamsi sunt poenae, tamen non sunt compensatio pro morte aeterna. Sed potestas clavium neque potest imponere poenas neque tollere.

---

1) aut sic recte *A. B.* cf. quod modo sequitur: potestas clavium non habet mandatum etc. ut claves *C.* claves ut *W.* 2) Adae — tollere *A. B.* — *C. W.* omitt. 3) et *A.* — *B.* omitt. 4) scripturis *A. B.* scriptura *C. W.* 5) Item — mors tua *B. C. W.* — *A.* omitt.

Ceterum prodest utrumque inculcari Ecclesiis, et quod puniat Deus peccata etiam corporalibus poenis, et quod mitiget poenas aut mutet propter poenitentiam. Sunt et docendi pii in adflictionibus, ut sciant adflictiones non esse signa irae, etiamsi essent poenae, et tamen ne quidem semper poenas esse, sed exercitia aut singularia opera, in quibus Deus vult nos agnoscere infirmitatem nostram et rursus fide et invocatione erigi, ut crescat novitas spiritualis. Ita Ecclesia est subiecta adflictionibus, sicut infra rursus dicetur: Oportet nos fieri similes imaginis filii Dei. Et hic ait, Ecclesiam subiectam esse morti propter praesens peccatum, ut aboleatur viciosa caro. Et tamen addit esse liberatos a morte credentes, scilicet quia vivant spiritu et Deus rursus sit vivificaturus corpora.

Epilogus.

Itaque in hac collatione haec tradidit, humanam naturam non posse satisfacere legi Dei; quare iusticia carnalis non est iusticia coram Deo, nec vivificat. Etiamsi autem in sanctis est reliqua caro, tamen placent Deo propter Christum et sunt liberati a morte, ita ut spiritu vivant, quia Christus in eis est efficax et incepit eos vivificare Spiritu sancto. Caro autem propter peccatum morti destinata est, ut abolita vetustate rursus vestiamur carne, in qua nihil sit vicii.

Proinde continet hic locus multiplicem doctrinam. Primo, quod humana natura non possit satisfacere legi Dei. Secundo, quod iusticia carnalis nec iustificet nec vivificet coram Deo. Tertio, quomodo placeant sancti et liberentur a morte, etiamsi adhuc haeret in eis peccatum. Quarto, propter quam causam Ecclesia sit subiecta adflictionibus et morti. Quinto, quid vere significent vocabula Carnis et Spiritus.

Proinde[1] *fratres debitores sumus etc.*
[Ἄρα οὖν ἀδελφοὶ ὀφειλέται ἐσμέν, v. 12.]

Hactenus absolvit doctrinam de iustificatione. Nunc igitur necesse est addi doctrinam de nova obedientia. Nam et haec pars in Ecclesia extare debet, ut intelligatur qualis sit obedientia in sanctis et quale sit peccatum, propter quod excidunt a[2]) gratia et amittunt fidem et Spiritum sanctum.

Instituit ergo Paulus propositionem: Debitores sumus, ne obediamus carni. Nam cum fide renascimur, incoatur novitas spiritualis, quae est incoata obedientia erga *Deum* seu legis incoatio in cordibus. Ut scriptum est: Dabo legem meam in corda eorum.

---

1) Proinde *A.* — *B. C. W.* omitt. — 2) a *A. B.* — *C. W.* omitt.

Ergo iam illa novitas habeat suos effectus[1]), agnoscat Deum et ei obediat et repugnet motibus carnis, qui rapiunt contra voluntatem Dei.

Dicit autem diserte: Debitores sumus. Hanc vocem opponit male intelligentibus libertatem evangelicam, quae liberat ne adcusemur a lege, non liberat ne obediamus. Manet enim aeterna et immutabilis ordinatio ut obediamus Deo, et Evangelium non modo incoat obedientiam, sed etiam subiicit nos obedientiae erga Deum.

Nam si secundum carnem vixeritis etc.
[*Εἰ γὰρ κατὰ σάρκα ζῆτε*, v. 13.]

Propositioni addit duas rationes. Prima est sumta a poenis. Et hic locus eo observandus est, ut[2]) teneamus discrimen peccati mortalis*) et venialium, hoc est talium, quae existunt in sanctis. Quia enim inquit: Si actiones carnis[4]) spiritu mortificabitis vivetis, testatur esse in sanctis aliquas actiones viciosas, videlicet concupiscentiam et viciosos adfectus multiplices, dubitationem de Deo, non ardere timore Dei fide dilectione, segnitiem in invocatione (quod illi vocarunt ἀκηδίαν) impacientiam, flammas libidinum, non obtemperare superioribus, incendi cupiditate vindictae[5]) odio avaricia etc. Tales morbi in sanctis, etsi sunt sua natura peccata mortalia, id est digna morte aeterna, tamen credentibus in Christum condonantur, qui et repugnant his morbis et fide adprehendunt mediatorem Christum, sic fiunt venialia, id est condonata.

Econtra vero mortalia fiunt, cum ii qui fuerant sanctificati indulgent et obtemperant talibus adfectibus nec repugnant et sunt sine poenitentia. Tales enim amittunt fidem et Spiritum sanctum et damnantur aeterna morte, nisi redeant ad poenitentiam. Sicut David factus adulter erat sine fide et sine Spiritu sancto et periisset, nisi postea per poenitentiam restitutus esset.

Huc pertinet dictum hoc loco: Si secundum carnem vixeritis, id est si obtemperabitis viciosis adfectibus, moriemini. Et eadem sententia saepe repetitur in scripturis, Matth. 5: Nisi abundaverit iusticia vestra super iusticiam Pharisaeorum etc.

---

*) Nazianzenus peccatum mortale vocat ἁμάρτημα φονικόν[3]).

---

1) effectus *B. C. W.* adfectus *A.* 2) ut *B. C. W.* — *A.* omitt. 3) Nazianzenus — φονικόν *A.* — *B. C. W.* omitt. 4) carnis *A. B. W.* carnes *C.* 5) vindictae *B. C. W.* vindicatae *A.*

1 Ioan. 3: Omnis qui non facit iusticiam non est ex Deo. 1 Corinth. 6: Ne erretis, scortatores idolatrae etc. regnum Dei non possidebunt. Galat. 5: Talia facientes regnum Dei non possidebunt. Coloss. 3: Propter quae venit ira Dei super inobedientes etc.

Sed hic quaeritur de gradu, quando lapsus illi fiunt mortalia peccata. Primum hic gradus haud dubie est peccatum mortale, cum ruunt homines contra conscientiam adversus mandata Dei: ideoque Paulus describens qualis sit vita sanctorum constituit[1]) hunc gradum, ne agant contra conscientiam. 1 Tim. 1: Summa mandati est dilectio ex corde puro conscientia bona et fide non ficta. Ergo cum adversus mandata Dei committuntur facta contra conscientiam aut cum non repugnatur vicioso adfectui, fiunt peccata mortalia. Hic gradus manifestus est.

Sed citra hunc gradum etiam incidunt lapsus obscuriores, quorum multi fiunt peccata mortalia, quos ratio non satis iudicare potest; quale fuit Davidis erratum, quando iussit numerari populum. Verum et hi lapsus condonantur redeuntibus ad fidem, sed donec manet propositum agendi contra conscientiam non potest adesse fides, quia impossibile est fidem existere cum mala conscientia. Fides enim est fiducia, quae statuit quod Deo placeamus propter Christum. Huic fiduciae repugnat mala conscientia, quam parit propositum agendi contra mandata Dei.

Haec de discrimine peccatorum Paulus hic tradidit. Quare hunc locum diligenter meminerimus et caveamus ne amisso beneficio Christi ruamus in exitium, sicut et Petrus inquit: Studete firmam facere vocationem et electionem vestram, id est perseverate in hac novitate, quam consecuti estis, ne vocatio et electio qua ex mundo segregati estis ab impiis rursus fiat irrita.

Quicunque[2]) *spiritu Dei ducuntur.*

[*Ὅσοι γὰρ πνεύματι θεοῦ ἄγονται*, v. 14.]

Alterum argumentum a causa efficiente sumtum est. Spiritus sanctus est efficax in eis, quibus donatur: Vos adcepistis Spiritum sanctum, Ergo sit in vobis efficax. Maiorem Paulus his verbis recitat[3]): Quicunque ducuntur spiritu Dei, hi sunt filii Dei. Estque usus verbo duci, ut intelligamus efficacem esse Spiritum sanctum, non ociosum. Quare non est repugnandum moventi Spiritui sancto.

---

1) constituit *A. C. W.* constitui *B.* 2) quicunque *A.* qui *B. C. W.* 3) Paulus his verbis recitat *A.* his Paulus recitat *B.* hic Paul. recitat *C. W.*

Non enim adcepistis spiritum servitutis[1]) *etc.*

[*Οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας πάλιν εἰς φόβον*, v. 15.]

Postea declarat quales sint motus Spiritus sancti, et discernit hoc novum verbum scilicet Evangelium a lege. Nam lege perterrefacti, si non adcedat consolatio, ruunt in desperationem, fugiunt Deum, non invocant. Hos terrores, dubitationem et fugam vocat Spiritum servitutis in timorem. Econtra vero cum Evangelio et fide eriguntur animi, concipiunt Spiritum sanctum vivificantem et agnoscunt iam Deum[2]) placatum esse et velle exaudire. Illa vero consolatio in veris pavoribus est motus et testimonium Spiritus sancti. Sentit ergo Paulus aliud verbum iam revelatum[3]) esse, quo efficimur filii, donata remissione peccatorum et donato Spiritu sancto.

Quod autem nominat filios adoptatos, discernit a Christo reliquos sanctos, idque discrimen tenendum est, ut sciamus Christum natura filium Dei esse et aequalem patri et consubstantialem, sicut scriptum est: Vidimus gloriam eius tanquam unigeniti a patre etc. Sed sancti sunt adoptione filii, quia propter Christum recepti sunt et donantur Christi donis, scilicet spiritu sancto[4]) et nova aeterna[5]) vita sapientia et iusticia etc.

Adcepistis spiritum adoptionis[6]), *in quo clamamus Abba Pater*[7]).

[*Ἀλλὰ ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας, ἐν ᾧ κράζομεν Ἀββᾶ ὁ πατήρ*, v. 15.]

Donec conscientia sine fide est, in pavoribus desperabunda, fugit Deum, dubitat an exaudiat, an respiciat etc., non invocat Deum. Ideo Paulus consolationem et invocationem coniungit et tantum his tribuit, qui[8]) iam per Evangelium fide eriguntur. Nam cum ait: Clamamus Abba Pater, hoc significat: Iam agnoscimus Deum esse patrem et vere nos exaudire et hac fide concipimus consolationem et invocamus Deum.

Haec fides et agnitio misericordiae Dei facit proprie discrimen inter Christianos et impios, quia in impiis manent dubitatio et indignatio adversus Deum. Sed in credentibus fides est nova agnitio misericordiae Dei et repugnat dubitationi et statuit nos vere propter Christum exaudiri. Haec ipsa fides est consolatio et vivificatio et testimonium Spiritus sancti in cordibus, de quo hic loquitur: Spiritus dat testimonium spiritui nostro, id est Spiritus

---

1) Non enim — servitutis *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) Deum *B. C. W.* Spiritum sanctum *A.* 3) revelatum *A. B. W.* revelatam *C.* 4) sancto *A. B.* — *C. W.* omitt. 5) aeterna *A. B.* — *C. W.* omitt. 6) adcepistis sp. adoptionis *A.* — *B. C. W.* omitt. 7) in quo clamamus Abba Pater *B. C. W.* — *A.* omitt. 8) qui *A. B. C.* quia *W.*

sanctus per verbum Evangelii efficit consolationem in veris pavoribus.

† Davidi peccata fuerunt remissa, ergo nullum habuit mortale peccatum. Item, David ab aeterno fuit ordinatus, praedestinatus, Ergo omnia peccata fuerunt ei venialia, et nullum habuit mortale. Respondeo: Non est iudicandum secundum electionem vel praedestinationem, sed secundum verbum. Praesens verbum[1]) docet Davidem, quod adulterium sit peccatum mortale, et nisi agat poenitentiam non remittitur ei. De peccato ergo et iusticia est iudicandum secundum praesens verbum, non secundum electionem et voluntatem non revelatam. Illae cogitationes de praedestinatione sunt removendae, non congruunt ad sententiam Pauli, qui pronunciat esse secundum istam doctrinam iudicandum etc. †

Si autem filii, et haeredes etc.[2])
[*Εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι*, v. 17.]

Postquam tradidit doctrinam, quod oporteat existere novam obedientiam, adtexit gradationem de glorificatione, quae sequitur iustificationem. Et huic loco admiscet propositionem de adflictionibus, quod illa nova obedientia versetur inter adflictiones, quia repugnat[3]) carni diabolo et mundo, hoc est toti regno peccati.

Quod autem dicit: cohaeredes Christi, si quidem simul adfligimur: haec propositio describit necessitatem, quasi dicat: Necesse est pati, cum et Christus passus sit. Et illo verbo complectitur totam novam obedientiam versantem inter adflictiones. Nec sequitur: Si patimur glorificabimur, Ergo nostrae adflictiones sunt precium vel meritum vitae aeternae. Sic enim fieret incerta promissio, quia nemo est satis patiens, nemo satisfacit legi. Item Paulus clare inquit: Gratis salvati estis. Et Christus: Dicite, servi inutiles sumus. Et hic: Non sunt dignae adflictiones ad futuram gloriam etc. Et Augustinus inquit: Vita aeterna nullis humanis meritis redditur, sed Dei donantis gratia largiente donatur. Retinenda est igitur haec sententia, quod nostra obedientia et[4]) adflictiones non sint[5]) meritum vel precium vitae aeternae, sed quod fide gratis propter Christum, efficiamur filii et haeredes vitae aeternae, ita manet certitudo.

Quid igitur ponit condicio: Si compatimur? Respondeo: Non precium aut meritum sed necessitatem, quia illa obedientia est illa ipsa novitas, qua incoatur in credentibus vita aeterna, iuxta

1) secundum verbum. Praesens verbum docet *A.* secundum praesens verbum. Hoc docet *B. C. W.* 2) Si autem filii et haeredes *B. C. W.* Si filii, igitur et haeredes *A.* 3) repugnat *A. B. C.* repugnet *W.* 4) et *A.* vel *B. C. W.* 5) sint *A. B.* sunt *C. W.*

illud, 2 Corinth. 5[1]): Si non nudi inveniemur. Vel est necessaria, tanquam effectus necessario sequens iustificationem.

Existimo autem quod non sunt condignae passiones huius temporis etc.[2])

[*Λογίζομαι γὰρ ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ*, v. 18.]

Instituit autem amplissimam et ornatissimam[3]) consolationem, quam poteris distinguere in sex argumenta.

Primum sumtum est ab exitu adflictionum, estque simile loco a praemiis. Ingens gloria nobis reddetur pro his adflictionibus, Ergo pacienter expectemus exitum et liberationem.

Scimus enim quod omnis creatura ingemiscet etc.[4])

[*Οἴδαμεν γὰρ ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει*, v. 22.]

Secundum argumentum ab exemplo Creaturarum. Tota rerum natura subiecta est corruptioni et abusui impiorum interea donec liberabitur, Ergo et nos expectemus liberationem.

Estque hic sublimis aliquis in Paulo motus, quo intuens horribilem confusionem vitae humanae et omnium rerum corruptionem, caedes bella vastitates et cetera mala mundi, videt quanta sit potentia peccati, quanta tyrannis diaboli et quam indignum sit naturam rerum subiectam esse diabolo et morti propter peccatum hominis.

Hic primum considerandus est adfectus piorum in omni adflictione. Mora cruciat animos, et quod non providemus modum liberationis. Item, aerumnae crescunt adsidue. Sic etiam cruciantur animi piorum publica cura, cum vident ingentia pericula Ecclesiae et vident differri liberationem et crescere mala.

Sive igitur privatae adflictiones sunt sive publica causa dolemus, proponit consolationem ab exemplo coeli et terrae et totius naturae, quae est subiecta abusui impiorum. Tyranni tenent imperia, Impii fruuntur opibus mundi, Ecclesia vero, cuius causa omnia condita sunt, trucidatur, non conceditur ei vitae lucis aut aliarum creaturarum usus. Sunt autem conditae res, ut serviant piis ad gloriam Dei. Quare cum sint in horribili abusu et propter peccatum Adae sint subiectae corruptioni, expectant et ipsae[5]) creaturae liberationem.

Est igitur haec consolatio: Coelum et terra sustinent ingens onus, scilicet abusum impiorum, et tamen expectant liberationem, Ergo nos una perferamus has communes aerumnas et toleremus

---

1) 2 Corinth. 5. *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) Existimo — temporis *B. C. W.* — *A.* omitt. 3) ornatissimam *A. B. C.* efficacissimam *W.* 4) Scimus enim — ingemiscit *B. C. W.* — *A.* omitt. 5) ipsae *A. B. W.* ipse *C.*

moram: etsi enim differtur liberatio, tamen aliquando continget nobis.

Paulus est usus admodum significantibus verbis et fecit prosopopoeiam: Creatura una gemit et parturit. His verbis significat creaturas sustinere iniuriam, sed dolor istius iniuriae pervenit ad Ecclesiam, in quam simul saeviunt impii, saevientes in creaturas: ut cum tyranni et impii rapiunt creaturas et persequuntur Ecclesiam.

Sed et nos ipsi primicias spiritus habentes[1]).

[*Ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες*, v. 23.]

Tertium ab exemplo Apostolorum. Nos qui excellentiora dona habemus, adfligimur, luctamur cum conscientia peccatorum nostrorum, scandalorum, cum terroribus diaboli, cum infirmitate nostra, cum externis periculis et persecutionibus, et expectamus liberationem. Quare vos quoque expectetis. (Primicias vocat excellentiora dona[2]).)

Spe enim salvati sumus[3]).

[*Τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν*, v. 24.]

Quartum argumentum a definitione spei. Spes est earum rerum, quae nondum sunt praesentes: Spe salvi facti sumus, id est spe liberati sumus a morte et omnibus malis, Ergo nondum praesto est illa liberatio a morte et ceteris malis.

Sed hic quaerendum est, an non in praesentia simus liberati a peccato*)? Respondeo: Imputative sumus in praesentia iusti et liberati a peccato. Sed manet adhuc in natura morbus, a quo sumus liberati in spe, id est speramus integram novitatem. Ideo reipsa adhuc laboramus infirmitate et exercemur terroribus peccati et aliis adflictionibus. Sed inter has aerumnas erigere nos debemus et statuere, quod in praesentia habeamus remissionem peccatorum et imputatione simus iusti et placeamus Deo propter Christum. Sicut supra inquit: Iustificati fide pacem habemus.

Et hic cernitur[5]) insignis differentia fidei et spei. Fides in praesentia adcipit remissionem peccatorum et imputatio-

*) Credentes sunt in praesentia iusti: Ergo sunt in praesentia liberati: Ergo non spe. R. ad antecedens: imputative iusti sumus, sed speramus liberationem et novam obedientiam[4]).

1) Sed et nos — habentes *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) Primicias — dona *A. B. W.* — *C.* omitt. 3) Spe enim salvati sumus *B. C. W.* — *A.* omitt. 4) Credentes — obedientiam *A.* — *B. C. W.* omitt. 5) cernitur *B. C. W.* discernitur *A.*

nem iusticiae. Spes autem aliud obiectum habet, videlicet expectat integram liberationem.

Ac de spe praecipue haec[1]) duo tenenda sunt. Primum, quod sit praeceptum sperare vitam aeternam. Nam qui non expectat promissa, is negat Deum veracem esse. Ideo ut tribuatur Deo gloria veritatis, necesse est sperare promissa. Sciendum est autem, spem non esse dubitationem, sed repugnare dubitationi eamque vincere.

Sed obiiciat aliquis: Agnosco praeceptum, sed requiritur condicio meritorum seu dignitatis nostrae, an etiam indigni sperare salutem debent? Haec quaestio praecipue exercet animos et excutit spem. Haec vox est vox legis et chirographum in mentibus nostris, quod damnat nos ac prohibet sperare, quia sumus indigni.

Est igitur haec secunda doctrina maxime necessaria, videlicet sciendum est spei causam esse non merita nostra nec dignitatem nostram, sed gratuitam promissionem Christi. Mandatum est ut speremus salutem, et mandatum est ut non propter nostram dignitatem, sed gratis speremus propter Christum quia vita aeterna datur propter Christum credenti, non propter dignitatem nostram. Ergo etiamsi sumus indigni, tamen spes gratuita tenenda est et agnoscenda indignitas. Atque ita adcipiendae sunt sententiae de spe. Ideo iubet Deus sperare, quia indignitas nos deterret. Ergo non est abiicienda spes propter indignitatem, imo opponenda est indignitati propter promissionem.

Sic Psalmo 42.[2]) agnoscit et fatetur indignitatem. Deinde opponit spem: Quare tristis es anima mea et quare conturbas me? Spera in Deo, quia adhuc confitebor illi.

Sic Psalmo 130.[3]) initio confitetur peccatum: Si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit? Deinde sustentat se spe: Sustinuit anima mea in verbo eius, speravit anima mea in Domino. Quia apud Dominum misericordia etc.

In talibus dictis semper intelligatur spem[4]) ex gratuita promissione pendere, non ex condicione meritorum et dignitatis nostrae seu ex condicione legis. Ita dulcescent illae sententiae et parient veram et efficacem consolationem. Et haec spes in invocatione exercenda est, sicut Psalm. 28[5]) dicitur: In ipso speravit cor meum, et adiutus sum. Et Psal. 34[6]): Beatus vir qui sperat in eo etc. Et Psal. 25[7]): Universi qui te expectant, non confundentur. Psalm. 4: Sacrificate sacrificium iusticiae et sperate in Domino.

---

1) praecipue haec *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) 42 *B. C. W.* 41 *A.* 3) 130 *B. C. W.* 129 *A.* 4) spem e conjct. spes *A. B. C. W.* 5) 28 *B. C. W.* 27 *A.* 6) 34 *B. C. W.* 33 *A.* 7) 25 *B. C. W.* 24 *A.*

Hactenus de quarto argumento dictum est, videlicet quod in praesentia simus liberati, quod ad imputationem adtinet. Deinde quod simus spe liberati, quod adtinet ad integram novitatem. Dictum est etiam id, quod de spe maxime moneri necesse est, scilicet quod praeceptum sit ut speremus promissa, et quod non adsuenda sit condicio dignitatis nostrae seu meritorum. Sic igitur definienda est spes: Spes est certa expectatio promissae salutis propter Christum credentibus, non propter dignitatem nostram.

Per pacientiam expectamus.

[*Δι' ὑπομονῆς ἀπεκδεχόμεθα*, v. 25.]

Diserte inquit: Per pacientiam expectamus, ut significet non tantum differri liberationem, sed ita differri, ut interea magna et ingentia certamina sustinenda sint. Sancti vexantur terroribus peccati, insidiis diaboli, scandalis, persecutione et variis casibus, quibus fides concutitur et in aliquibus extinguitur. Ut igitur haec pericula prospiciamus et intelligamus et ut praeparentur animi ad haec certamina, addi iubet spei pacientiam.

Hic considerandum est quid proprie significet pacientia, quod ex collatione magis intelligi potest. Primum igitur dicam quid philosophis significet pacientia. Est enim pacientia iuxta iudicium rationis quaedam obedientia erga rationem, quae moderatur dolores et prohibet ne dolore ira aut cupiditate aliqua victi faciamus contra iusticiam. Sicut impulsus Saul dolore adceptae cladis sibi conscivit mortem. Catilina indignatione concepta propter repulsam movit bellum civile. In talibus exemplis conspici potest quid sit impacientia: e regione igitur Philosophi vocant pacientiam obedientiam [1]) quandam moderantem dolorem et prohibentem ne ruamus contra iusticiam.

Sed longe plures circumstantiae sunt in Christiana pacientia. Primum causae differunt. Hic enim tres causae aliae sunt. Prima est mandatum Dei. Oportet enim scire omnes quod mandatum Dei sit, ut obediamus in adflictionibus, et quod indignatio seu impacientia in [2]) adflictionibus sit peccatum. Ideo praecipit Christus: In pacientia possidete animas vestras. Et Psalmus inquit: Irascimini et nolite peccare, id est, cum irascimini, cum in adflictionibus fremit natura, nolite succumbere, sed vincite indignationem. Et Paulus inquit: Pax Dei gubernet corda vestra.

Secunda causa est Evangelium, quod interpretatur adflictiones non esse signa irae [Dei] [3]). Haec causa est ignota rationi et legi,

1) obedientiam *A. B. W.* — *C.* omitt. 2) in adflictionibus *A. B. W.* inflictionibus *C.* 3) Dei *C. W.* — *A. B.* omitt.

tantum revelatur in Evangelio. Tunc igitur potest obedientia praestari, cum mens non tantum intuetur mandatum Dei, sed etiam alterum obiectum videt, scilicet res ipsas non esse signa irae, sed bonae voluntatis Dei. Hic de adflictionibus colligenda sunt illa, quae supra dicta sunt, quod non eveniant casu, quod non sunt signa irae Dei etc.

Tertia causa est promissio auxilii, quae minuit et levat speciem mali in adflictionibus. Ideo enim David obtemperat, quia et videt non esse signa irae et expectat liberationem. At philosophica pacientia sine spe auxilii est amissis humanis praesidiis.

Est igitur Christiana pacientia quaedam obedientia in adflictionibus, sed propter mandatum Dei, ad quam adcedit fides, quae iuxta Evangelium sentit adflictiones non esse signa irae et expectat et petit auxilium, iuxta illud: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te et glorificabis me etc. Talem pacientiam hoc loco describit Paulus. Postulat enim non solum ut obediamus in adflictionibus, sed etiam ut statuamus nos non esse abiectos, item ut invocemus, item ut expectemus auxilium.

Ideo ipse statim adtexit quintum argumentum de auxilio Spiritus sancti et de invocatione, quasi dicat: Talem pacientiam requiro, in qua simul invocetis et speretis auxilium, quod quidem promissum est vobis. Sicut Christus inquit: Non relinquam vos orphanos etc.

Similiter autem et Spiritus adiuvat infirmitatem etc.[1])

[Ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ πνεῦμα συναντιλαμβάνεται, v. 26.]

Quia supra dixit de pacientia et de spe, addit quintum argumentum sumtum ab auxilio. Ut enim pacientia retineri posset, ut invocatio et spes non excutiantur in tanta magnitudine adflictionum, in tanta infirmitate humani cordis quod est plenum dubitatione, necesse est etiam ostendi auxilium. Itaque sic argumentatur: Deus vere adest et adiuvat nos in adflictionibus, Ergo non succumbamus, non abiiciamus fidem et confessionem victi desperatione.

Hic prodest habere collectas et in conspectu similes promissiones, ut: Petite et adcipietis: Quanto magis pater vester daturus est Spiritum sanctum petentibus: Venite ad me omnes qui laboratis: Non relinquam vos orphanos: Rogabo patrem et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum.

Quomodo autem datur Spiritus sanctus et quomodo est efficax? Respondeo: Cum sustentamus nos verbo in ipsis certaminibus et invocamus Deum. Haec duo Paulus hic coniungit, sicut in Psalmis

1) Similiter — infirmitatem *B. C. W.* Similiter autem et spiritus auxiliatur etc. *A.*

saepissime dicitur: Sustinuit anima mea in verbo eius. Item de invocatione Psalmo 4: Cum invocarem, exaudivit me Deus iusticiae meae. Et Christus inquit de invocatione: Dabit Spiritum sanctum petentibus.

Describit autem Paulus hic brevibus verbis ingens certamen, quod sustinet infirmitas nostra. Nam in periculis, persecutione, morte et quibuscunque adflictionibus ac aerumnis corporalibus aut spiritualibus natura aegre obtemperat ac statim eas excutere cupit. Ideo Paulus inquit: Nescimus quid oremus, scilicet cum naturali imbecillitate petimus nos statim liberari et impacienter ferimus crucem. Interea tamen Spiritus sanctus efficit, ut aliqua ex parte obediamus et invocemus. Hanc obedientiam et invocationem vocat Paulus gemitus inenarrabiles. Spiritu enim subiicimus nos Deo et iuxta voluntatem Dei petimus liberationem, non iuxta carnale desiderium.

Loquitur autem Paulus de vera et ingenti lucta, non de frigidis et ociosis cogitationibus. Ideo haec a securis non possunt intelligi, sed singuli pro suo modo in suis tentationibus aliqua ex parte experiri debebant in invocatione vim huius consolationis. Nihil enim promitti maius[1]) potest, quam praesentia et efficacia Dei: haec enim promittitur, cum promittitur Spiritus sanctus.

Porro suppeditat nobis et hic locus testimonium contra Pelagianos, qui imaginantur sine Spiritu sancto homines fieri iustos et salvos. Hic contra Paulus aperte testatur dari Spiritum sanctum et hos motus, fidem et invocationem, excitari agitante et movente Spiritu sancto.

Scimus autem quod diligentibus Deum etc.

[*Οἴδαμεν δὲ ὅτι τοῖς ἀγαπῶσιν τὸν θεὸν κτλ.*, v. 28.]

Sextum argumentum ab exitu sumtum est. Deus non aliter glorificat nisi per adflictiones, Ergo tolerate eas, cum sint via ad glorificationem. Antecedens probat proposita imagine Christi. Oportet nos similes fieri imaginis filii Dei, filius Dei[2]) est glorificatus per passionem, Ergo et nos oportet adfligi. Et haec est praecipua consolatio piorum, intueri hanc imaginem filii Dei.

Nulla philosophia et nulla humana sapientia videre potest, quare haec infirma natura humana istis ingentibus calamitatibus onerata sit. Ratio disputat utrum casu adcidant. Lex Dei clamitat esse poenas peccati et signa irae Dei, quae testentur nos abiectos[3]) esse.

---

1) promitti maius *A.* maius promitti *B. C. W.* 2) filius Dei *A. B. W.* — *C.* omitt. 3) abiectos *B. W.* obiectos *A. C.*

Sed Evangelium utrumque errorem reprehendit et proponit nobis filium Dei: hinc testatur non casu, sed certo consilio Dei nos subiectos esse adflictionibus, non ut pereamus, sed bona voluntate Dei ut exerceamur, ut cum Deus nos consolatur crescant in nobis fides et agnitio Dei. Haec sapientia de causa et fine humanarum calamitatum prorsus est supra et extra captum rationis et tantum in Evangelio revelatur et praecipue in hac imagine filii Dei conspicitur.

Quos elegit[1], *eosdem et vocavit etc.*

[*Οὓς δὲ προώρισεν, τούτους καὶ ἐκάλεσεν*, v. 30.]

Quare autem orditur ab electione? Quos elegit eosdem et vocat, deinde iustificat et glorificat etc. Respondeo: Totum ordinem complecti voluit, quo Ecclesia condita est a Deo. Ac primum monet electionem esse causam vocationis, non humana merita aut iusticiam legis. Hoc ideo prodest scire, ut teneamus consolationem contra opinionem meriti, item contra illum populum, qui sibi falso adrogat titulum Ecclesiae propter iusticiam legis etc. Necesse est enim nos statuere quod sit Ecclesia electa non propter dignitatem et merita humana, non propter iusticiam legis, non propter autoritatem humanam, non propter praerogativam successionis. Item[2] sciendum est quod illa Ecclesia, quae titulum habet, persequitur veram Ecclesiam. Quare initio monet[3] esse aliquam electam Ecclesiam, ut intueamur et agnoscamus veram Ecclesiam.

Statim autem adtexit de vocatione, ut deducat nos ad verbum, et hic monet vocationem non esse irritam. Sed Deus huic suae vocationi vere adest, iustificat et glorificabit vocatos. Vult igitur nos intueri vocationem ac meminisse quod sit divinitus facta, ut in ea perseveremus, quia Deus huic suae vocationi et suo verbo adfuturus est.

Quid igitur dicemus[4]*?*

[*Τί οὖν ἐροῦμεν πρὸς ταῦτα*, v. 31.]

Septimum argumentum occurrit praecipuae quaestioni, sumtum est enim ab obiecto et causa pavoris. Nam causa pavoris et desperationis[5] est, quod inter adflictiones etiam terret nos conspectus nostrorum peccatorum et iudicamus Deum nobis irasci.

Huic quaestioni hic medetur Paulus et ostendit aliud obiectum adprehendendum esse, et sic argumentatur: Deus testatur se nobis

---

1) elegit *B. C. W.* praedefinierat *A.* 2) Item *A. B. W.* Idem *C.* 3) monet *B. C. W.* manet *A.* 4) Quid igitur dicemus *B. C. W.* — *A.* omitt. 5) et desperationis *B. C. W.* — *A.* omitt.

esse propicium dato filio etc., et quidem ille adsidue pro nobis interpellat, Ergo non abiiciamus fidem et spem liberationis. Quid dicemus ad haec? id est, quid amplius aut maius ad consolationem proponi potest, quam quod habemus Deum faventem? Id amplificat addito pignore gratiae, scilicet quod dederit pro nobis filium. Et clare addit, ne peccata deterreant nos: Quis adcusabit? quasi dicat: Etiamsi sentimus nos indignos esse et adhuc habere peccata et ingentem infirmitatem ac immundiciem, tamen nemo adcusabit aut condemnabit[1]) nos, postquam propter pontificem Christum iusti, id est adcepti sumus. Ideo inquit: Deus est qui iustificat, id est iustos pronunciat. Item, Christus interpellat pro nobis, Deus iustificat nos et[2]) iustificat propter interpellantem Christum.

Ita amplificat hanc sententiam mentione mediatoris Christi ac facit mentionem primum Mortis, deinde Resurrectionis, tertio Regni, quarto Pontificatus. Haec breviter commemorat, quae tamen non sunt obiter tantum aspicienda.

Primum de morte et sacrificio concionatur ut admoneat summam contumeliam esse ullum peccatum pluris facere, quam hoc sacrificium[3]).

Secundo, Christus resurrectione sua vicit universam diaboli potentiam. Hanc victoriam sciamus efficacem esse et nobis quoque profuturam.

Tertio, regnum non est ociosum: Sedet ad dexteram patris et potentia divina credentes servat, sustentat et vivificat, modo ne deficiamus ab eo.

Quarto addit pontificatum et intercessionem Christi. Nec vero ulla est dulcior consolatio, quam agnoscere Christum pontificem et interpellatorem esse pro nobis. Esset autem adversus pontificatum Christi contumelia, si existimaremus eius intercessionem irritam esse. Item, si nostram invocationem non adiungeremus ad eius intercessionem.

Quis igitur separabit nos[4])*?*

[*Τίς ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ*; v. 35.]

Conclusio est proximi argumenti. Cum Deus tantopere diligat nos, nequaquam abiiciet nos, etiamsi sumus infirmi et exercemur

1) aut condemnabit *A. B.* — *C. W.* omitt. 2) Item, Christus interpellat pro nobis, Deus iustificat nos et *A.* iustos pronunciat. Et iustificat nos *B. C. W.* 3) Primum — sacrificium *B. C. W.* Primum de morte et sacrificio contumeliam esse et illum peccatum pluris facere, quam hoc sacrificium *A.* 4) Quis igitur separabit nos *B. C. W.* Quis nos separabit *A.*

omni genere adflictionum. Nam dilectionem Dei vocat, qua Deus nos diligit, sicut postea interpretatur ipse Paulus: Propter eum, qui diligit nos. Repetit enim Paulus in fine consolationis hanc propriam et principalem Evangelii vocem, quod Deus diligat nos, quia est efficacissima consolatio in omnibus adflictionibus, imo in omni invocatione, sed procul posita supra cordis humani sensum, quod est plenum dubitatione et pavore et non audet statuere nos diligi a Deo. Exaggerat igitur Paulus hanc consolationem multis verbis, quasi dicat: Non frangat vos magnitudo adflictionum, sed hanc consolationem in omnibus terroribus intuemini, quod Deus certo vos diligat. Nec est opus prolixa interpretatione in hac particula, sed in vita et in invocatione discamus quod requirat Deus ut statuamus nos diligi et exuscitemus nos et hac fide vere invocemus eum*).

Admonendi sunt hic lectores de ineptis quaestionibus hoc loco agitatis. Disputaverunt enim Scholastici an iustus possit amittere suas virtutes, cum Paulus dicat: Quis separabit nos a dilectione? quasi hoc velit: Quomodo poterimus amittere nostram dilectionem? putabant enim dilectionem interpretandam esse de nostris virtutibus, hoc est de dilectione, qua nos diligimus Deum. Sed haec intempestiva interpretatio reiicienda est et constat sanctos posse labi et amittere Spiritum sanctum et fidem ac dilectionem. Sicut Davidem propheta Nathan condemnat propter adulterium.

Quare igitur dicit dilectionem Dei perpetuam esse? Respondeo: Ut promissio evangelica est perpetua et rata, sed ita ut requirat fidem, ita hic Paulus credentibus loquitur, quasi dicat: Tantisper dum credis, dum te[2]) fide sustentas[3]), certissimum est ratam esse dilectionem Dei erga te. Est igitur sententia: Haud dubie dilectio, qua Deus nos diligit, semper rata firma certa[4]) est credenti. Haec est propria Evangelii concio, ut supra dictum est. Ideo Paulus hic in fine consolationis amplificat eam.

Alii detorserunt ad praedestinationem, sed eo decurrere in hoc loco non est opus. Loquitur enim de nostra victoria. Et vincimus revelata misericordia et dilectione in verbo, cum hanc consolationem opponimus terroribus peccati et mortis. Quare simplex et

*) Illa est propria Evangelii concio, quod Deus diligit nos gratis propter Christum credentes, qui vere credunt in Christum, id est qui agentes poenitentiam erigunt se et statuunt sibi Deum esse propicium. Haec est vox Evangelii immutabilis et certa credentibus[1]).

1) Illa — credentibus *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) te *A. B. W.* de *C.* 3) sustentas *C. W.* sustentes *A. B.* 4) certa *A. B.* et certa *C. W.*

plana sententia erit, si de credentibus intelligatur. Hi statuere debent vere et certo se diligi a Deo[1]) propter Christum.

Caput IX.

Prorsus nova disputatio instituitur, in qua tametsi doctrinam de iustificatione alicubi repetit et intertexit, tamen duas alias materias principaliter tractat, videlicet quis sit vere populus Dei seu quae sit vera Ecclesia, et de vocatione Gentium. Nam Iudaei obiiciebant nondum esse exhibitas promissiones, quare contendebant nondum adparuisse Christum.

Sic enim argumentabantur: Populum oportet consequi promissiones, cum venerit Christus, populus nihil est consecutus, Ergo promissiones nondum sunt exhibitae nec adparuit Christus. Minorem probabant, quia populus significat non paucos quosdam tanquam seditionem concitantes, sed significat Principes, Sacerdotes, doctos, bonos et florentissimam partem populi in qualibet Republica. At[2]) in Republica Iudaica Principes Sacerdotes et praecipua pars populi non sentiebat se melius habere, imo magis magisque ruebat tota Respublica. Ergo nequaquam iudicabant se a Christo adiutos esse. Hoc argumento valde movebantur infirmi, nam quod Apostoli contendebant, exhibitas esse promissiones, salvatum esse populum: illi econtra obiiciebant, Apostolos paucos quosdam seditiosos homines esse, qui non sint populus. Ut igitur diluat hoc argumentum, necesse est Paulo disputare de hoc scandalo paucitatis et discernere populum Dei ab eo, qui titulum tenet, estque utilis haec doctrina.

Omnibus aetatibus duo sunt Ecclesiae corpora, alterum verae Ecclesiae, alterum gerentis titulum, quae tamen persequitur veram Ecclesiam. Et magna est autoritas, magna potentia illius gerentis titulum. Ideo ne decipiantur infirmi, necesse est muniri pios contra hanc externam speciem, ut quae sit vera Ecclesia, verus populus Dei quis sit[3]) intelligant.

Ita nunc quoque argumentantur: Ecclesia non potest errare, Congregatio episcoporum et sacerdotum et sequacium est Ecclesia, Ergo haec congregatio non potest errare. Minorem probant, quia hi soli tot saeculis fuerunt in ministerio verbi, habent patrum exempla etc., Ergo sunt Ecclesia.

Hic necesse est ostendere quod etiamsi sint in loco ministerii, tamen si doceant[4]) impia, non habeant ministerium Evangelii nec

---

1) certo se diligi a Deo *B. C. W.* certe a Deo diligi *A.* 2) At *A. B.* Ac *C. W.* 3) quis sit *B. W. C.* — *A.* omitt. 4) doceant *A.* *B.* docent *C. W.*

sint Ecclesia. Non est autem leve scandalum, detrahi hunc summum honorem videlicet titulum Ecclesiae pontificibus, principibus et universo statui pulcherrime ordinato, et conferri hunc augustum titulum in paucos abiectos et calamitosos et quidem qui videantur seditiose tumultuari adversus ordinariam formam Ecclesiae. Hoc scandalo multi deterrentur ab Evangelio et a vera Ecclesia. Ideo docendi sunt homines de electione, quod vera Ecclesia sit non quaelibet multitudo, sed electi et vocati ad Evangelium, retinentes verbum Dei et propugnantes adversus sapientiam et potentiam mundi.

Haec est occasio Paulinae disputationis hoc loco. Nam Iudaei haec duo argumenta agitabant, se esse populum Dei, ergo nisi ipsis, hoc est toti Iudaicae politiae melius esset, nondum exhibitas esse promissiones. Item, quia ipsi sint semen Abrahae, non pertineat promissio ad Gentes.

Hic Paulus opponit contrariam sententiam, videlicet quod populus Dei sit quaedam multitudo electa per misericordiam et vocata per Evangelium et sanctificata per Spiritum sanctum: nec fiat populus Dei per propagationem carnalem et cultus legis. Haec est summa sententiae et principalis propositio. Loquitur igitur de electionis effectu, quod sit vera Ecclesia electa per misericordiam, et tollit causas duas, propagationem carnalem et legem.

Hic disputatur de praedestinatione, item de libertate voluntatis humanae et de aliis quibusdam materiis, videlicet de generali et speciali actione Dei, item de contingentia. Nec est inutile considerare ea, quae de rebus tantis dicuntur, sed pie et cum timore Dei eligenda sunt ea, quae[1]) tradita sunt in scripturis et habent testimonia receptorum et probatorum scriptorum et prosunt conscientiis. Quare pauca quaedam breviter colligemus.

Primum de reprobatione impiorum non dissentiunt scriptores, sed fatentur omnes causam reprobationis in damnandis esse impiam voluntatem et peccata eorum. E regione vero de causa praedestinationis seu electionis salvandorum dissimiliter loquuntur.

Recentiores Scholastici tantum humano iudicio dixerunt causam electionis esse merita seu bona opera liberae voluntatis humanae. Et haec imaginatio orta est ex ignoratione Evangelii. Quia enim putabant hominem iustificari propter propriam dignitatem seu merita seu impletionem legis, item putabant legem impleri, adsuerunt hanc imaginationem, quod propter impletionem legis salvandi essent electi. Sed Evangelium adfirmat neminem legi satisfacere ideoque tollit meritum, quod ad iustificationem et salvationem adtinet, ac docet homines reputari iustos[2]) per misericordiam pro-

1) quae *A. B. W.* qua *C.* 2) iustos *A. B. W.* iustus *C.*

pter Christum, non propter propriam dignitatem. Ergo propria dignitas seu merita seu impletio legis non sunt causa electionis.

Altera sententia est, quod misericordia Dei sit causa electionis, sicut Paulus clare docet hoc loco et alibi: Si ex operibus, iam non esset gratia. Non enim pendet Ecclesia ab humano consilio aut humanis viribus, sed Deus in Christo dilexit et elegit[1]) salvandos.

Discruciant autem hic animum duae quaestiones de electione. Prior est de dignitate seu merito. Disputat enim animus: Si essem dignus, satis purus aut bene meritus, statuerem me quoque consecuturum esse misericordiam et cetera beneficia promissa. Haec tentatio a iudicio legis oritur, quae requirit dignitatem et merita. Hic igitur valde prodest tenere doctrinam Evangelii de gratuita misericordia. Ideo enim Evangelium concionatur de gratuita misericordia, non ut adigat mentes ad desperationem, sed ut medeatur nostrae diffidentiae et desperationi. Et misericordia ostenditur, non ut nos nihil agamus seu non adcipiamus verbum, sed ut tollatur nostra dignitas et beneficium Dei sit certum.

Alter scrupulus est de particularitate. Quia enim audimus misericordiam esse causam electionis et tamen paucos eligi[2]), magis etiam angimur, disputamus an sit apud Deum προσωποληψία*), item, cur non omnium misereatur. Huic tentationi etiam debent opponi promissiones Evangelii universales, quae docent Deum propter Christum et gratis et omnibus salutem promittere, iuxta illud: Iusticia Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes. Et alibi: Idem Dominus omnium, dives in omnia[4]). Item: Omnes qui invocaverint[5]) nomen Domini[6]) etc. Hae universales sententiae opponendae sunt tentationi de particularitate. Deinde ita statuendum, quod de voluntate Dei non sit iudicandum ex ratione sine verbo Dei. Item sicut de iustificatione, ita et de electione non est iudicandum ex ratione aut lege, sed ex Evangelio.

Cum igitur disputamus: Si merita non faciunt discrimen, cur non omnium miseretur? Respondeo: Nos quod ad verbum et promissiones adtinet debemus retinere universalem. Sed non omnes consequuntur beneficia, quia plerique repugnant verbo. Et manifestum est quod repugnare sit voluntatis humanae, quia Deus non est causa peccati.

Deinde si de electione[7]) pro utilitate conscientiae loquemur, dicamus sicut de iustificatione dicimus: Iustos esse qui credunt, ita

*) προσωποληψία est aequalibus non dare aequalia[3]).

1) eligit *C. W.* 2) eligi *B. C. W.* elegi *A.* 3) προσωποληψία — aequalia *A.* — *B. C. W.* omitt. 4) omnibus *C. W.* 5) Omnes qui invocaverint *A. B.* Omnis qui invocaverit *C. W.* 6) Domini *B. C. W.* — *A.* omitt. 7) de electione *A.* de nostro iudicio *B. C. W.*

electos esse qui non repugnant vocationi, sed credunt Evangelio et in fine non abiiciunt. Et tamen interea tenendum est quod credere et non repugnare sint motus, qui fiunt impellente Spiritu sancto. Loquor autem de nostro iudicio, quod non scrutatur arcanam maiestatem sine verbo, sed intuetur Deum vocantem per promissionem et voluntatem eius adprehendit in verbo, quod est universale. Ita Paulus inquit[1]: Non est volentis aut currentis, sed Dei miserentis, id est misericordia est quidem causa electionis, non nostrum velle aut currere, et tamen haec fiunt in voluntate et currente[2], non in repugnante.

Veritatem dico in Christo Iesu etc.[3]

[*Ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ*, v. 1.]

Nunc ad textum venio, in quo constituamus hunc scopum, quod docet discernendam esse veram et electam Ecclesiam ab illa, quae titulum habet aut praerogativas carnales. Haec est necessaria doctrina adversus illam magnificam speciem, quam iactat falsa Ecclesia, videlicet antiquitatem, exempla patrum, consensum multitudinis. Haec cum incurrunt in oculos, discernamus Ecclesias, ut hic discernit Paulus populos Dei. Verus populus est electus per misericordiam, qui habet Evangelium.

Sed Iudaei contendebant se esse populum Dei, quia essent propagati ab Abraham, haberent legem, patres, exempla, miracula. Inde ratiocinabantur hoc modo: Nondum exhibitum esse Christum, quia Christus veniens salvabit populum, Populus non est salvatus, sed pauci quidam tanquam seditiosi gloriantur se esse salvatos, Ergo nondum venit Christus.

Hic respondet Paulus ad minorem et docet populum esse electos[4] per misericordiam, non propter carnales praerogativas aut propter legem. Quodsi ad hanc sententiam referetur disputatio Pauli, erit expeditior et poterit transferri ad usum nostrum, ut discamus quae sit vere Ecclesia.

Incipit autem Paulus a gravissima querela, in qua testatur se dolere interitum suae gentis. Sicut omnes sancti viri ingenti dolore adficiuntur, cum cogitant tantam multitudinem hominum damnari, et admirantur illud arcanum consilium, quod Ecclesia est exigua multitudo, infirma, abiecta. In primis autem natis in illo populo fuit miserabile hanc gentem reiici, in qua fuerunt Patres et Prophetae. Et hic cogitemus Pauli argumentum, ut discamus timere Deum. Si illis non pepercit, qui fuerunt posteri Patrum et Pro-

1) Paulus inquit *A. B.* inquit Paulus *C. W.* 2) currente *A. B.* in currente *C. W.* 3) Veritatem — Iesu *B. C. W.* — *A.* omitt. 4) electos *A. B.* electum *C. W.*

phetarum, de quibus promissiones loquebantur aperte, quanto minus parcet Gentibus.

Non autem haec loquor[1], *quod exciderit verbum*[2] *Dei.*

[*Οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος*, v. 6.]

Correctio, Etiamsi deploro gentis interitum, tamen non iubeo quenquam desperare, imo omnes potius adhortor ut credant[3]. Non enim hoc sentio, nullos ex Iudaeis servari posse, imo promissio adhuc pertinet ad nos nec est irrita. Utinam promissioni credatis, quod quicunque facient erunt salvi.

Non enim omnes, qui sunt[4] *ex Israël etc.*

[*Οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραήλ*, v. 6.]

Haec est principalis propositio, in qua respondet ad obiectionem de populo, quis sit vere populus Dei.

Iudaei contendebant se esse populum Dei, se esse Ecclesiam, ad se solos pertinere promissionem. Paulus respondet electos esse populum Dei, et discernit vere populum ab his, qui titulum habent. Ita discernenda est vera Ecclesia ab illo regno quod titulum habet et tamen belligeratur cum vera Ecclesia.

Et Paulus propositionem clare exponit[5]: Filii Dei fiunt non propagatione carnali, non naturalibus donis aut meritis, sed electione Dei. Hanc sententiam ut declaret, deducit nos ad scripturam, ut intueamur quomodo Deus semper sua electione segregaverit aliquos, ut compararet Ecclesiam et ostenderet non fieri Ecclesiam humano consilio. Si natura aut meritis fierent filii, nihil opus fuisset Deo segregare filium suae promissionis a reliquis.

Chaldaei, Aegypti non erant inferiores donis aut meritis naturalibus, quam Isaac. Alexander Macedo, Fabius, Scipio magis fuerunt instructi donis naturalibus quam nos, et tamen non habuerunt Evangelium, Ergo Ecclesia fit[6] electione, non donis naturalibus aut meritis.

Sed in Isaac vocabitur tibi semen[7].

[*Ἀλλ' ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα*, v. 7.]

In hanc sententiam adcommodat hunc locum de Isaac. Estque haec prima probatio propositionis: Ille est filius, quem Deus sua

1) haec loquor *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) verbum *B. C. W.* sermo *A.* 3) imo omnes — credant *B. C. W.* — *A.* omitt. 4) qui sunt ex Israel *A.* qui ex Isr. sunt *B. C. W.* 5) exponit *A.* exprimit *B. C. W.* 6) Ecclesia fit *A. B.* fit Ecclesia *C. W.* 7) Sed in Isaac — semen *B. C. W.* — *A.* omitt.

promissione sibi delegit et segregavit a filiis Abrahae. Ergo filii Dei fiunt electione. Haec propter brevitatem non satis conspiciuntur, cum tamen gravissimam doctrinam contineant, videlicet quod Ecclesia non fiat humano consilio, donis aut meritis naturalibus, sed electione divina et promissione.

Non ex operibus, sed ex vocante etc.[1])

[*Οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος*, v. 11.]

Secunda probatio: Iacob fit filius non propter opera, sed propter vocantem, Igitur filii Dei fiunt electione, non donis aut meritis naturalibus aut lege.

Num iniusticia est apud Deum?

[*Μὴ ἀδικία παρὰ τῷ θεῷ*, v. 13.]

Sed videt Paulus haec longe posita esse supra conspectum rationis humanae: quare interpellat ipse sese et argumentum commune, quod omnibus sanis in mentem venire necesse est, proponit et diluit. Si Esau et Iacob sunt pares, Deus utrunque eligere aut reiicere debuit, quia iustus iudex reddit paria paribus. Paulus diluit hoc modo: Paria paribus reddenda sunt, cum solvitur debitum. In donatione, vel cum agitur per misericordiam, nihil opus est paria reddere paribus.

Sicut et Christus in parabola de conductis in vineam ostendit per misericordiam dari paria disparibus. In hanc sententiam citatur hoc dictum: Misereor[2]) cuius misereor[2]), id est cuius mihi visum est misereri, quasi dicat: Salvatio contingit per misericordiam, non per debitum. Et adtexit consequens: Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis. Haec sententia testatur homines eligi per misericordiam et vocari, ut velint et currant.

Antea citavit dicta de misericordia et ostendit misericordiam esse causam electionis et populum Dei vere esse illam electorum Ecclesiam. Nunc e regione addit testimonia et disputationem de reprobatis, quod sit aliqua multitudo reprobatorum, quam Deus sinit existere, ut in persecutione sit conspectior gloria Evangelii. Idque eo dicitur, ut simus muniti contra scandalum multitudinis nec cogitemus sequendum esse exemplum[3]) multitudinis.

Gamaliel videt adhuc maiorem et praestantiorem partem populi adversari Evangelio. Ergo ita cogitat sibi quoque manendum esse in hoc coetu: ita nunc iudicant innumerabiles homines de Ec-

1) Non ex — vocante *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) misereor *B. C. W.* miseror *A.* 3) exemplum *A. B. W.* exemptum *C.*

clesia: quae sibi hunc[1]) titulum adrogat. Ideo Paulus ab his iudiciis nos abs[illegible]hit et monet paucos electos esse Ecclesiam et e regione ingentem multitudinem reproborum belligerantem cum Evangelio.

In hoc ipsum excitavi te etc.[2])

[*Εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε*, v. 17.]

Adlegat igitur historiam Pharaonis, quae duo continet, quod videlicet sit reprobatus et tamen eo toleretur, ut fiat in persecutione conspectior gloria Dei.

Ergo cuius vult miseretur etc.[3])

[*Ἄρα οὖν ὃν θέλει ἐλεᾷ*, v. 18.]

Addit Paulus conclusionem: Ergo cuius vult miseretur, quem vult indurat. Haec conclusio non de causis pariter intelligatur, sed de effectu electionis, quod sint alii electi, alii sint[4]) indurati, qui adversantur Evangelio.

Primum autem de phrasi discas. Hebraeis verba transitiva communissime habent significationem permittentis. Quale est: Ne nos inducas in tentationem, id est ne sinas nos induci. Item: Tu errare nos fecisti, id est passus es ut incideremus in errorem. Ita indurare significat non liberare aliquos aut[5]) sinere ut pergant repugnare Deo. Est ergo sententia: Quos[6]) vult indurat, id est non liberat, non convertit, quia pergunt repugnare vocanti Deo.

Secundo, non dicit Paulus hoc loco, non esse causam indurationis aut reprobationis in ipsis[7]) impiis. Ideo prudentia hic adhibenda est et sentiendum, quod in ipsis impiis sit causa indurationis seu reprobationis, scilicet quia non desinunt repugnare Deo vocanti. Et tamen interim constant haec, quae dicit Paulus, quod sit multitudo indurata[8]) seu reiecta, belligerans cum verbo Dei. Si quis autem obtemperat verbo Dei, hic non est ex illo numero.

Et discamus hoc loco, quale sit iudicium de istis[9]), qui repugnant verbo Dei. Quia enim repugnant, indurantur et ostendunt se esse ex numero reprobatorum.

Cum autem dixerit: Quem vult indurat, statim addit obiectionem: Si voluntate Dei fit induratio, Ergo non potest multitudo illa

---

1) hunc *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) In hoc ipsum — te *B. C. W.* — *A.* omitt. 3) Ergo cuius vult miseretur *C. W.* — *A.* omitt. *B.* cui. 4) sint *A. B.* — *C. W.* omitt. 5) aut *A.* — *B.* omitt. — *C. W.* sed. 6) Quos *B. C. W.* Quod *A.* 7) ipsis *A. B.* — *C. W.* omitt. 8) indurata *B. C. W.* ingrata *A.* 9) istis *A.* his *B. C. W.*

converti. Si non potest converti, quare adcusatur? Respondet concedens non posse converti, scilicet necessitate consequentiae, quasi dicat: Verum est esse reiectam multitudinem nec posse converti, quia reiecta est: sed est reiecta propter propriam impietatem. Si quis autem obtemperat Deo vocanti, non est ex illo numero. Ita respondet per concessionem et addit causam finalem, quare Deus haec ita ordinaverit, videlicet ut magis possit utraque conspici, videlicet ira et misericordia. Sic[1]) adcommodo Pauli responsionem: Quare litigas cum Deo? id est cum vides hoc mirabile consilium Dei, quo paucos eligit et multos reiicit, obedias Deo et timeas eius iudicium, ne offendaris exemplo multitudinis, sed scito Deum declarare misericordiam in nobis servandis et iram in puniendis illis, qui non obtemperant.

Haec est minime intricata enarratio. Neque enim sentiendum est non esse causam indurationis seu reprobationis in ipsis impiis, neque id dicit Paulus, et similitudo de luto et figulo non hoc vult, nihil agere impios, sed eatenus convenit, quod ex una massa generis humani Deus alios suo iudicio salvat, alios damnat. Causae in similitudine non omnino adcommodari possunt. Tenenda est enim sententia, quod Deus non sit causa peccati. Retinendum et hoc est, quod promissio sit universalis. Sicut et postea ipse Paulus addit rationem: Quare pereat Israël, quia nolit adcipere Evangelium, Sectando iusticiam non adsequitur, quia non ex fide etc. Hic expresse ponit causam reprobationis, scilicet quia repugnent Evangelio.

Vocabo non gentem meam gentem meam etc.[2])

[*Καλέσω τὸν οὐ λαόν μου λαόν μου*, v. 25.]

Postquam constituit thesin, quod populus Dei sit Ecclesia electorum, iam venit ad hypothesin, electos esse ex Iudaeis et Gentibus: idque probat testimoniis scripturae, ut ostendat[3]) Evangelium pertinere ad Gentes. Ac primum citat locum ex Osea: Est autem satis perspicuum testimonium.

Illud obiter admonendus est lector. Quoties de vocatione Gentium dicitur, sciendum est commendari gratiam, quod non propter legem sed gratis propter Christum placeamus etc.

Si fuerit numerus filiorum Israël etc.[4])

[*Ἐὰν ᾖ ὁ ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ*, v. 27.]

Alterum testimonium est Esaiae, quod vaticinatur de defectione populi. Primum ait: Etiamsi fuerit ingens multitudo populi, tamen

1) Sic *A. B. W.* Si *C.* 2) Vocabo — meam *B. C. W.* Non solum ex Iudaeis *A.* 3) ostendet *A.* 4) Si — Israël *B. C. W.* — *A.* omitt.

pauci tantum salvabuntur. Hoc vult phrasis, cum ait: Reliquiae, nam reliquiae significat[1]) paucos, qui reliqui sunt ceteris[2]) absumtis. Deinde sequitur repetitio eiusdem sententiae.

Consummatio abbreviata etc.[3])

[*Λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων*, v. 28.]

Consummatio abbreviata exundabit iusticiam. Consummationem enim et abbreviationem faciet Dominus. Consummatio significat finem seu cladem populi, quasi dicat: Ventura est magna clades populi seu interitus, et tamen tunc exundabit iusticia, id est tunc revelabitur et donabitur promissa iusticia et benedictio[4]), cum circa finem populi magna multitudo peritura est, et aliqui erunt salvi, qui credent Evangelio et adcipient illam promissam iusticiam. Consummatio abbreviata, id est certo praefinita seu constituta. Paulus adlegat versionem Graecam, quae minus perspicua est, sed tamen[5]) eandem sententiam continet, si verbum intelligas pro re, ut loquuntur Hebraei. Deus faciet verbum abbreviatum, id est rem abbreviatam seu abbreviationem seu finem. Et in hac consummatione exundabit iusticiam[6]).

Alii varias interpretationes confinxerunt. Interpretantur verbum abbreviatum de Evangelio, quia lex sit longa doctrina, nec tamen iustificans. Haec interpretatio est intempestiva.

Alius quispiam est interpretatus, perfecta sententia exundabit[7]) iusticiam, id est, sapiens iudex feret iustam sententiam. Hic prorsus extra viam currit.

Nos unam et simplicem sententiam convenientem perpetuae narrationi in textu retineamus, videlicet quod populus periturus sit, sed paulo ante venturum esse Christum et aliquos ex populo consecuturos esse illas amplissimas promissiones factas patribus reiecta reliqua multitudine. Est et emphasis observanda particulae exundabit, quae significat amplitudinem gratiae.

Quid igitur dicemus?

[*Τί οὖν ἐροῦμεν*; v. 30.]

Hic expresse ponit causam reprobationis, quia scilicet nolint credere Evangelio. Ideo supra dixi similitudinem de luto non ita adcipiendam esse, quasi non sit in ipsa voluntate humana causa

---

1) reliquiae significat *A. B.* reliquiae significant *W.* reliquae significant *C.* 2) ceteris *B. C. W.* reliquis *A.* 3) Consummatio abbreviata *B. C. W.* — *A.* omitt. 4) benedictio *B. C. W.* beneficium *A.* 5) tamen *B. C. W.* tantum *A.* 6) iusticiam *A.* iusticia *B. C. W.* 7) exundabit *A.* exundat *B. C. W.*

reprobationis. Hic enim Paulus expresse ponit causam et addit rationem, quae impios remoratur ne credant: Quia Evangelium arguit humanam iusticiam et cultus et proponit aliam iusticiam. Hic cum homines sapientes iudicent, absurdissimum esse detrahi laudem iusticiae, externae obedientiae, item cultibus, item videant mutatis cultibus mutari ac dissipari respublicas: indignantur et incipiunt hoc doctrinae genus odisse ac persequi tanquam blasphemum, quod laedat gloriam Dei abolitis cultibus, laxato freno vulgi licentiae: item tanquam seditiosum, quod dissipet respublicas. Haec semper fuit principalis causa persecutionis ac Iudaeos maxime accendit, qui habebant legem divinitus datam et cultus divinitus ordinatos.

Ita nunc furenter et crudeliter nos insectantur adversarii, quod dicimus legi non posse satisfieri, non iustificari homines coram Deo propter bona opera, sed fide propter Christum. Deinde magis etiam fremunt, quando cultus reprehenduntur, ut Missae, Monachatus et similia. Nam his ordinationibus mutatis videtur labefactari concuti et dissipari respublica, item laedi gloria Dei. Inde incenduntur odia et existunt ingentia certamina, valde enim movent rationem humanam scandala illa, quibus et laedi gloria Dei videtur et dissipari communis societas. Ac sanctis difficile est ita se confirmare, ne illa scandala excutiant eis fidem.

Ideo Paulus postea inquit: Fateor Iudaeos habere zelum. Et in Corinth. ait, Ideo Iudaeos non credere Evangelio, quia aspiciant legem velatam, hoc est quia sentiant iusticiam legis esse iusticiam coram Deo. Hoc quia improbatur ab Evangelio, incitantur ad persecutionem. Ita Christus fit lapis offensionis propterea, quia ratio putat esse blasphemam et seditiosam doctrinam, improbare externam iusticiam et cultus.

Omnis qui credit in eum non confundetur[1]) *etc.*

[*Ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται*, v. 33.]

Non confundetur, id est non frustrabitur, sed hoc ipsum adsequetur quod expectat. Est enim usitata phrasis Hebraeis, confundi pro frustrari, ut si dicam: Nuncius missus ad petendam[2]) pecuniam confunditur, id est frustratur. Ita supra dictum est: Spes non confundit, id est non est irrita, non frustratur. Ceterum in his sententiis de fide semper intelligi oportet particulam Gratis, ne sic cogitemus, si fuero satis dignus, tum[3]) erit credendum[4]), hoc est enim, non confidere Christo, sed confidere propriae dignitati[5]).

1) confundetur *B. C. W.* pudefiet *A.* 2) petendum *C. W.* 3) tum *A.* — *B. C. W.* omitt. 4) credendum *B. C. W.* credendus *A.* 5) propriae dignitati *A.* propria dignitate *B.* in propria dignitate *C. W.*

Ideo dicit: Qui credit in ipsum, id est qui confidit, quod propter ipsum Christum, non propter nostram dignitatem Deus sit nobis propicius, is erit salvus.

Caput X.

Zelum Dei habent etc.[1])

[Ζῆλον θεοῦ ἔχουσιν, v. 2.]

Nihil novi instituit, sed repetit priorem sententiam de causa defectionis Iudaeorum et[2]) de causa persecutionis Evangelii. Ideo inquit: Belligerantur cum Evangelio, quia nolunt extenuari[3]) iusticiam legis nec intelligunt esse opus alia iusticia coram Deo, quare mordicus retinent iusticiam legis et cultus.

Addit autem querelam de gentis interitu, ut supra, et tribuit eis[4]) zelum, id est studium pietatis, sed cum errore coniunctum[5]). Et error est in articulis fidei praecipuus, scilicet quod sit Christi officium et regnum? unde sit remissio peccatorum? quae sit vera iusticia? quid sit peccatum? Est autem gravis comminatio addita defendentibus opiniones impias de iusticia legis, cum inquit: Non subiici illos iusticiae Dei[6]). Damnat igitur clare omnes adversantes doctrinae verae de iusticia fidei[7]).

Finis enim legis Christus est[8]).

[Τέλος γὰρ νόμου Χριστός, v. 4.]

Hic instituit collationem iusticiae legis et iusticiae Evangelii et utramque definit ac proponit sententiam oppositam Iudaicis imaginationibus de lege, quasi dicat: Iudaei quaerunt iusticiam ex lege nec intelligunt Christum esse finem legis, hoc est promissum esse[9]) ut ipse tolleret peccatum et mortem, quae lex tantum revelat.

Est ergo sententia: Christus est finis legis, id est impletio seu consummatio, donat[10]) id quod lex requirit, hoc est: Qui credit in Christum, habet id quod lex postulat, id est est iustus im-

---

1) Zelum Dei habent *B. C. W.* Quod studium Dei habent *A.* 2) Nihil novi — et *B. C. W.* — *A.* omitt. 3) extenuari *B. C. W.* — *A.* omitt. 4) eis *B.* omnibus *A.* ei *C. W.* 5) coniunctum *B. C. W.* coniungit *A.* 6) Non subiici illos iusticiae Dei (τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ θεοῦ οὐχ ὑπετάγησαν, v. 3) *B. C. W.* Non sufficit illis iusticia sua *A.* 7) doctrinae verae de iusticia fidei *B. C. W.* iusticiae fidei *A.* 8) Finis — est *B. C. W.* Nam perfectio legis Christus *A.* 9) esse *B. C. W.* lege *A.* 10) donat *A. C. W.* donant *B.*

putatione et liberatur a peccato et[1]) a morte. Sed haec liberatio in hac vita tantum incoatur, etsi interea credens vere est iustus imputatione.

Moises enim scribit etc.

[*Μωϋσῆς γὰρ γράφει*, v. 5.]

In hac antithesi quidam imaginati sunt statum collationis[2]) esse in his verbis: Vivet in eis, hoc est: Penes praemia conferri duplicia opera, opera rationis habere praemia temporalia, sed bona opera orta a Spiritu sancto habere praemia aeterna. Haec interpretatio aliena est a[3]) disputatione Pauli, non enim fit collatio praemiorum neque de causis finalibus sed de causa[4]) formali disputatur, quid reipsa sit iusticia legis, et econtra quid sit iusticia Evangelii.

Est igitur status collationis in his duobus verbis, facere et credere. Iusticia legis est facere legem, hoc est praestare perfectam obedientiam iuxta legem. Sic ait describi a Moise iusticiam, cum inquit: Faciens ea, quasi dicat: Iusticia legis est haec ipsa obedientia, qua vere et integre fiunt ea quae lex praecipit, ut toto pectore ardere dilectione Dei, glorificare Deum, diligere proximum, sine concupiscentia, sine ullo vicioso adfectu, sine peccato esse. Haec est iusticia quam lex requirit, quam adeo non praestat humana natura, ut non intelligat quid sit illa dilectio Dei.

Econtra iusticia fidei non est propter impletionem legis aut nostras virtutes esse iustos[5]), sed est credere, quod propter Christum simus iusti, id est adcepti Deo.

Hinc potest conspici discrimen fidei et dilectionis et quare dicendum sit: Fide sumus iusti: item, quomodo hoc intelligi debeat. Non est enim imaginandum: Fide sumus iusti; hoc est propter novitatem nostram seu[6]) novas virtutes sumus iusti, sed correlative, id est propter Christum sumus iusti, qui tamen non aliter adprehendi potest nisi[7]) fide. Dicere autem: dilectione iusti sumus, est idem dicere, quod propter nostras virtutes seu impletionem legis sumus iusti. Constat autem legi non satisfieri, ideo necesse est hoc dictum pure retineri: Fide reputamur iusti, ut intelligatur quod non propter nostras virtutes, sed propter mediatorem Christum per misericordiam gratis sumus[8]) imputatione iusti, id est adcepti. Haec vult[9]) Paulus hac[10]) sua definitione, quam mirifice amplificavit citatis quibusdam verbis ex Deuteronomio.

---

1) a peccato et *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) collationis *B. C. W.* collocationis *A.* 3) a *A. B. W.* — *C.* omitt. 4) de causa *B. C. W.* — *A.* omitt. 5) iustos *B. C. W.* iustum *A.* 6) novitatem nostram seu *B. C. W.* novas qualitates aut nostras virtutes *A.* 7) nisi *B. C. W.* quam *A.* 8) sumus *A. C. W.* simus *B.* 9) vult *B. C. W.* ut *A.* 10) in hac sua def. *C. W.*

Ne dixeris in corde tuo etc.

[*Μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου*, v. 6.]

Paulus mutuatur descriptionem fidei ex dicto Moisi nec detorquet illud ad diversam aut non convenientem sententiam. Nam et Moises ibidem vere[1]) describit et requirit fidem. Sed generale dictum est de verbo et de fide, quod Paulus adplicat ad hoc verbum de Christo et ad fidem in Christum.

Primum igitur dictum Moisi inspiciamus, qui illustribus figuris impietatem humani cordis depingit, quod etiamsi cogitat esse Deum, tamen dubitat an Deus curet nos, negat voluntatem Dei erga nos cognosci posse, negat exaudiri nos aut salvari. Has dubitationes haerere in hominum animis satis adparet. Ideo lex Dei eas arguit et requirit fidem. Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet[2]) in coelum? id est, ne sis Epicureus, ne cogites nihil esse Deum aut nesciri an sit Deus, an curet humana: ne cogites Deum ita latere, ut non extet eius voluntas in aliquo verbo: ne cogites eius voluntatem ignotam esse, quia ipse non cernitur oculis corporalibus: ne cogites eum non exaudire, non misereri, non requirere hunc cultum, quem in verbo suo tradidit etc.

Quomodo igitur inveniri et adprehendi Deus potest? Prope est, inquit, verbum etc., id est[3]) huc te deduco ad verbum, hoc audi, sic credas adprehendi Deum et voluntatem eius conspici, cum verbum audis et credis hanc esse voluntatem eius, velle eum sic[4]) coli, velle exaudire sicut promisit. Hanc esse sententiam dicti in Moise satis liquet, nec dubium est quin de fide concionetur hic Moises et requirat fidem, quae credat non solum esse Deum, sed etiam Deum velle agnosci in verbo suo et sic invocari, velle exaudire et misereri iuxta promissionem, requirere hos cultus.

Haec generaliter dicta, etsi continent doctrinam de fide, tamen sunt adhuc obscura et sunt voces legis. Ideo Paulus proponit aliud verbum, et nominat Mediatorem, ut proponat gratuitam misericordiam propter Christum promissam. Hanc cum agnoscimus, fides fit certa, scilicet quod gratis propter Christum, non propter legem exaudiamur, salvemur etc.

Ne dicas in corde tuo etc.[5])

[*Μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου*, v. 6.]

Adcommodat igitur hoc modo[6]): Ne dicas in corde tuo, quis ascendet in coelum? hoc est enim Christum

1) vere *A. B.* — *C. W.* omitt. 2) ascendet *B. C. W.* ascendit *A.* 3) id est *A. B.* — *C. W.* omitt. 4) eum sic *A. B.* sic eum *C. W.* 5) Ne dicas in corde tuo *B. C. W.* — *A.* omitt. 6) modo *B. C. W.* loco *A.*

[coelo][1]) deducere, id est, primum, ne sis Epicureus: deinde, ne dubites quin haec sit voluntas Dei, ut Christus sit mediator, quod velit nos Deus salvare propter Christum. Si non credis Christum esse mediatorem, ut salvet nos, detrahis eum de coelo, negas eum regnare, et arguis Deum mendacii, quasi promissio eius sit irrita.

Ne dicas: Quis descendet[2]) *in abyssum.*

[Τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; v. 7.]

Id est, ne cogites Epicuri more post mortem non restare aliam vitam, ne cogites homines non posse liberari a morte et a peccato. Si dubitabis, negabis Christum resurrexisse, finges Christum adhuc iacere extinctum, adhuc resuscitandum esse nec esse victorem mortis et peccati. Estque summa sententiae: ne dubita quin Christus sit mediator et regnet, ne dubita quin propter ipsum vere misereatur nostri Deus, remittat peccata, exaudiat et salvet nos. Ita addit Paulus dicto Moisi Evangelium de mediatore et complectitur exclusivam, ut fides sit certa.

Opponamus igitur infirmitati et dubitationi nostrae hanc gravissimam Pauli concionem et in ea contemplemur quanta sit impietas dubitare an Deus velit remittere peccata, an velit exaudire iuvare salvare denique praestare illa, quae per Christum promisit. In omni invocatione cogitemus haec verba: Ne dixeris, quis ascendet[3]) in coelum? Id enim fuerit detrahere Christum: sed statuas Christum vere ad dextram patris sedere, esse intercessorem, ut exaudiamur. In hoc usu discimus intelligere huius dicti vim et sententiam. Nam qui non invocant, negant Christum sedere ad dextram patris et esse intercessorem[4]) etc.

Prope te verbum est[5]) *in ore tuo etc.*

[Ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν ἐν τῷ στόματί σου, v. 8.]

Antea reprehendit dubitationem, nunc addit adfirmativam descriptionem fidei: Verbum est prope[6]) in ore tuo. Et sic definit iusticiam fidei, quod sit non dubitare, sed credere huic verbo de Christo et statuere quod Iesus sit Dominus, videlicet ille, per quem est promissa benedictio, qui liberat a morte et a peccato.

Est igitur perspicua antithesis: Iusticia legis est facere legem, id est: est nostra obedientia iuxta legem seu integra seu politica:

---

1) coelo *C. W.* — *A. B.* omittunt. 2) descendet *B. C. W.* ascendet *A.* 3) ascendet *B. C. W.* ascendit *A.* 4) esse intercessorem *A.* intercessorem esse *B. C. W.* 5) prope te verbum est *A.* prope est verbum *B. C. W.* 6) prope *A. C. W.* proprie *B.*

sed iusticia fidei est credere quod propter Christum adcepti simus, non propter nostram dignitatem qualitates aut virtutes. Opponit igitur superiori definitioni, in qua inquit facere, iam in altera definitione verbum in ore et corde[1]), videlicet quia verbo adprehendimus Christum, propter quem iusti et adcepti sumus, non propter dignitatem nostram.

Est et illud hic[2]) observatu dignum de necessitate ministerii et verbi vocalis et de modo, quo agit Deus nobiscum. Non enim imaginandum est quod Deus mittat Spiritum sanctum sine verbo suo. Sed Paulus deducit nos ad ministerium et ad verbum vocale, non invenitur alibi Deus extra suum verbum aut sine verbo suo, in hoc vult agnosci. Hoc instrumento vult esse efficax. Ideo in omni tentatione quaeramus Deum per verbum et in verbo resistamus. Et hanc esse certo voluntatem Dei statuamus, quae in verbo ipsius proponitur. Ideo hic de re tanta, de salvatione dicit: Prope est verbum in ore tuo. Item: Verbum fidei quod praedicamus. Et postea repetit[3]) hunc modum: Fides ex auditu est[4]), auditus per verbum Dei est.

Si confessus fueris etc.[5])

[Ἐὰν ὁμολογήσῃς, v. 9.]

Quod autem inquit: Si confessus fueris Dominum Iesum, ita resolvendum est: Si confessus fueris Iesum esse Dominum, id est non ociosum, sed illum Dominum, de quo factae sunt promissiones, qui liberat genus humanum a peccato et a morte, qui est pro nobis factus victima, qui sedet ad dextram patris ut salvet. Nam hic honos Domini qualis sit et quae beneficia complectatur ex omnibus promissionibus colligi debet, sicut in Psalmo: Dixit Dominus Domino meo, et aliis.

Corde enim creditur ad iusticiam[6]).

[Καρδίᾳ γὰρ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, v. 10.]

Manifestum testimonium est quod fide iustificemur, nam adversariis haec verba plane sunt ociosa et nihil significantia, postea adfingunt multas sophisticas interpretationes. Nos vero non corrumpamus dictum Pauli, sed vere tribuamus fidei id quod ei[7]) tribuit Paulus, nec obscurum est quid fidem vocet, scilicet id, quod voca-

1) facere — corde *A.* facere. Iam in altera definitione, prope est verbum in ore et corde *B. C. W.* 2) hic *A.* — *B. C. W.* omitt. 3) repetit *A.* repetet *B. C. W.* 4) ex auditu est *A.* est ex auditu *B. C. W.* 5) Si confessus fueris *B. C. W.* — *A.* omitt. 6) ad iusticiam *B. C. W.* — *A.* omitt. 7) ei *B. C. W.* — *A.* omitt.

bulum sonat, confidere in Christum, sicut ipse hic interpretatur fidem, quae credit Iesum esse Dominum, et supra: quae adcipit promissionem, et hic: omnis qui credit in eum, quod certe significat qui confidit in eum, id est qui confidit quod propter ipsum Deus sit nobis propicius.

Ore fit confessio ad salutem[1]).

[*Στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν*, v. 10.]

Multorum haec imaginatio est, etiamsi bona opera non merentur remissionem peccatorum, tamen postea mereri vitam aeternam, sicut multi dixerunt, homines etiamsi non mereantur primam gratiam, tamen deinde mereri vitam aeternam. Ad hoc citant multa dicta: Ore fit confessio ad salutem. Item: Esurivi et dedistis mihi cibum. Item: Si habeam omnem fidem, dilectionem autem non habeam, nihil sum.

Ad haec dicta omnia uno modo respondeo. Concedo necessariam esse incoatam obedientiam, sed non meretur vitam aeternam, non est res digna vita aeterna seu precium vitae aeternae, nec placet nisi quia credimus in Christum. Quia enim placet obedientia propter fidem, contradictio est imaginari quod opera vel iustificent vel mereantur vitam aeternam. Fide enim[2]) statuimus nobis propter Christum gratis donari remissionem peccatorum et vitam aeternam; et tamen fidem necessario sequitur effectus, scilicet incoata novitas, cum fide corda vivificentur.

Haec responsio nihil habet perplexitatis, concedit necessariam esse obedientiam et detrahit opinionem meriti et docet quomodo placeat, ut Christo tribuatur suus honos et fides maneat certa[3]). Fieret enim incerta[4]), si sic sentiendum esset, tunc nos placere Deo, cum satis meritorum haberemus. Haec in genere de omnibus huiusmodi dictis sciri prodest.

Nunc ad textum redeamus. Certum est Paulum non probare confessionum nisi adsit fides, ergo non tribuit confessioni quod sit precium aut meritum vitae aeternae. Esset enim contradictio, ut dictum est, et tamen requirit confessionem, quia obedientia, ut dictum est, est necessaria, et ostendere voluit Paulus se loqui non de hypocrisi fidei, id est de ociosa cogitatione, sed de vero motu cordis, qui adprehendit misericordiam promissam propter Christum et propterea lucet in confessione pacientia et bonis exemplis omnis generis.

Praeterea discernit[5]) iusticiam et salutem propter perseveran-

1) Ore fit — salutem *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) enim *A. B.* autem *C. W.* 3) maneat certa *B. C. W.* certa maneat *A.* 4) incerta *B. C. W.* incertum *A.* 5) discernit *A. C. W.* discerni *B.*

tiam. Etsi enim quisquis est iustus, est haeres[1]) vitae aeternae; tamen fieri potest, ut iustus iterum amittat iusticiam. Ideo inquit: Si confiteberis, videlicet propter fidem, quasi dicat: Si fides fuerit firma et perseverans. Non enim probat confessionem nisi propter fidem.

Quisquis enim[2]) *invocaverit.*

[*Πᾶς γὰρ ὃς ἂν ἐπικαλέσηται*, v. 13.]

Primum observandum est quod inculcat particulam universalem, ut[3]) meminerimus promissiones esse universales. Secundo considerandum est quid sibi velit haec nova sententia et an ad Evangelium conveniat: Omnis qui invocaverit etc.

Respondeo: Haec est nova prophetia, discernens Evangelium a lege, quia lex etiam docet invocationem cum condicione perfectae obedientiae. Sed haec prophetia promittit salutem invocantibus, scilicet quibus antea lex non poterat opitulari et qui sunt iam tales, ut non praestent obedientiam quam lex requirit. Talibus iam promittit salutem, si[4]) invocent nomen Domini, id est si[4]) invocent illum Dominum, qui se revelat in illo verbo, quod dedit patribus, quod exhibebit in adventu filii.

Quare hic necesse est intelligi invocationem cum particula Gratis, requirit enim ut credamus gratis propter illum promissum Dominum nos exaudiri et salvari. Nam haec promissio opponenda est legi, quasi dicat: Quia lex non potuit opitulari, quia estis sub peccato et morte, alio modo promittitur salvatio. Deus dabit doctorem, effundet de spiritu suo et vos invocatione Domini salvi eritis ab illis ipsis malis, a peccato et a morte, a quibus non liberabat lex.

Haec est simplex et vera sententia huius propositionis[5]). Ideo apte quadrat ad Evangelium et addit aliquid lucis definitioni iusticiae fidei, quam supra tradidit: Iusticia legis est facere legem. Sed iusticia fidei est invocare Dominum et statuere quod propter filium Dei liberemur a peccato et a morte et ab ira, a quibus lex non poterat liberare.

Dulcescet igitur promissio, cum particula gratis in ea intelligitur; et sic exercenda est invocatio, ne deterreat nos indignitas nostra, sed sciamus mandatum Dei esse ut invocemus, item mandatum esse ut credamus nos exaudiri propter Christum, non propter dignitatem nostram. Quare obediamus Deo et hunc cultum

---

1) est haeres *A.* et haeres *B.* est et haeres *C. W.* 2) Quisquis enim *A.* Omnis enim qui *B. C. W.* 3) ut *A. B.* et *C. W.* 4) si *B.* ☞ *W.* qui *A.* 5) propositionis *A.* promissionis *B. C. W.*

praestemus, cumque invocamus meminerimus nos adferre indignitatem et peccata, et petamus propter Christum ut liberemur et exaudiamur, quod cum facimus, simul agimus poenitentiam. Iam facile est dissimiles sententias conciliare: Peccatores Deus non exaudit, scilicet qui sine poenitentia et sine fide invocant.

Quomodo igitur[1]) *invocabunt eum in quem non crediderunt.*

[*Πῶς οὖν ἐπικαλέσονται εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν*; v. 14.]

Addit Paulus modum, quo beneficia Evangelii nobis contingant[2]), scilicet per ministerium verbi Dei. Estque hic locus praecipuus de necessitate et dignitate ministerii diligentissime observandus, ut sciamus quomodo Deus sit efficax in nobis, nec quaeramus alias illuminationes extra verbum nec admittamus imaginationes et opiniones de Deo sine certo verbo Dei. Latissime patet hoc praeceptum de verbo vocali, est enim difficile homini resistere in verbo Dei et statuere certo hanc esse voluntatem Dei, quam in verbo proponit, ideo facile delabitur in alias imaginationes. Sicut Eva leviter sentiens de verbo, addit imaginationem: fortasse non tam duriter sensit Deus.

Sic in multis articulis adcidit, verbum dicit clare: Fide sumus iusti propter Christum. Hoc verbum mali doctores tenentes languidius et sequentes suam imaginationem cogitarunt commodius dici, Homines esse iustos propter suas virtutes et merita. Deinde addiderunt dubitandum esse et omnino obruerunt veram doctrinam de fide. Sicut et nunc Anabaptistae contemnunt doctrinam de fide et vociferantur homines iustos esse magnitudine adflictionum et suis quibusdam illuminationibus, atque ita abiiciunt verbum et doctrinam de fide. Prorsus talia fuerunt olim deliramenta Manichaeorum et Enthusiastarum. Nec est unius temporis talis[3]) error, facile enim delabuntur homines in tales imaginationes, cum leviter sentiunt de verbo Dei.

Hi Enthusiastae fugiendi et execrandi sunt et sciendum quod Deus non velit aliter agnosci et adprehendi suam voluntatem de peccato et de gratia nisi in verbo, et quod Spiritus sanctus per verbum sit efficax. Hanc regulam teneamus et propter hanc tantam causam omni honore adficiamus et defendamus ministerium verbi publicum. Et has sententias semper habeamus in conspectu: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei. Item: Quomodo audient sine praedicante? Item: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem[4]).

---

1) igitur *A.* autem *B. C. W.* 2) contingant *A.* contingunt *B. C. W.* 3) talis *A. B.* — *C. W.* omitt. 4) pacem *B. C. W.* — *A.* omitt.

Secundo docet hic locus quod in invocatione requiratur fides, id est haec ipsa fiducia qua credimus nobis remitti peccata et nos exaudiri propter Christum, sicut inquit Christus: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, id est non adferentes vestram dignitatem, sed credentes[1]) recipi vos et exaudiri propter Christum: ita et hic docet: Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? id est, si non credant Deum esse propicium ipsis et exaudire ac recipere[2]) preces ipsorum, non possunt eum invocare. Constat igitur requiri in invocatione fidem. Et haec discrimen facit inter invocationem piorum et ethnicam seu hypocriticam. Ethnici etiam invocant, sed cum hac dubitatione, non credunt sibi Deum esse placatum et preces suas respici aut exaudiri. Sic etiam invocant omnes, qui non intelligunt doctrinam Evangelii de iustificatione et fide. Talis autem invocatio est inutilis et damnata.

Hinc intelligi potest, quantae tenebrae sint illorum, qui iactitant se esse doctores bonorum operum et tamen aversantur doctrinam de fide. Abolent enim praecipua opera et propria piorum, scilicet invocationem: ergo non solum illae ceremoniae et orationes publicae hostium Evangelii, sed omnes eorum privatae preces etiam damnatae sunt et sunt[3]) similes ethnicis invocationibus, quales passim extant in poëmatis. Hoc diligenter considerandum est, ut discamus qualis esse debeat invocatio seu oratio. Item, quid intersit inter pii et impii orationem. Item, qualem fidem adferre pios ad invocandum oporteat: nam ubicunque ignoratur doctrina de hac fide, de qua hic loquimur, ibi[4]) impossibile est existere veram invocationem. Confirmatur enim dubitatio et incredulitas, quod Deus non exaudiat, non curet, imo abiecerit invocantem.

Nos autem Christiani discamus hanc incredulitatem peccatum esse et repugnemus huic peccato et erigamus nos vera doctrina de fide eamque sciamus ad invocationem adferendam esse, videlicet ut credamus Deum vere nobis propicium esse et recipere nostras preces propter pontificem Christum.

Quomodo credent, si non audierunt[5])*?*

[*Πῶς δὲ πιστεύσουσιν οὗ οὐκ ἤκουσαν*; v. 14.]

Tertio docet hic locus non placere Deo cultus institutos sine verbo Dei, quia sine verbo Dei non potest existere fides. Ideo hic dicitur: Quomodo credent, si non audierint? Continet igitur hic locus multiplicem doctrinam, videlicet quod contingant

---

1) credentes *A. C. W.* credente *B.* 2) ac recipere *A. B.* — *C. W.* omitt. 3) et sunt *A. B.* — *C. W.* omitt. 4) ibi *A. B.* — *C. W.* omitt. 5) Quomodo — audierunt *B. C. W.* — *A.* omitt.

beneficia Christi per ministerium verbi. Item, quanta sit necessitas et dignitas ministerii. Item, quae sit vera invocatio, qui cultus Deo placeant.

Quam speciosi pedes adnunciantium pacem.

[Ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην, v. 15.]

Addit autem dulcissimam sententiam ex Esaia, quae describit regnum Christi et admonet regnum illud administrandum esse per verbum et quidem praedicatione novi verbi scilicet Evangelii, in quo adnunciabitur pax, id est salus seu salvatio divinitus donata. Estque antithesis opposita legi et peccato et miseriis humanis, quasi dicat: Tunc tolletur peccatum et[1]) tollentur cetera mala, quae non potuit lex auferre, et adferetur vera consolatio et donatio iusticiae et vitae aeternae.

Quod ait pedes esse amabiles, metaphora est de nunciis et de verbo, quasi dicat: Ministerium seu verbum, quod in illo novo regno praedicabitur, mirum in modum amabile erit, quia adfert res optimas, agnitionem misericordiae Dei, iusticiam[2]) et vitam aeternam. Opponit autem Propheta hanc suam laudationem iudiciis mundi. Est enim summa acerbitas odii adversus Evangelium et Evangelii ministros, sicut Paulus significat Apostolos haberi pro καθαρμάτοις; quare mundus nequaquam hos pedes, id est nuncios iudicat esse salutares et amabiles. Adversus talia mundi iudicia consolatur et docet nos Propheta, ut ministerium etiamsi spretum et invisum mundo tamen amemus et sciamus efficax esse et adferre salutem credentibus. Sicut et Paulus inquit: Non pudet me Evangelii. Ita confirmemus nos contra impia iudicia mundi et consideremus quantum scelus sit, exercere crudelitatem contra pios ministros Evangelii.

Caput XI.

Mitigat superiorem querelam de defectione et testatur promissionem adhuc pertinere ad populum et multos eam consecuturos esse, videlicet qui credunt. Ac primum a suo exemplo argumentatur: Ego sum Israëlita et adeptus sum promissionem, Ergo Israëlitae possunt eam consequi. Altera ratio sumta est ab exemplo temporum Heliae. Ita monet semper Ecclesiam exiguam esse et multo maiorem numerum ac potentiam impiorum.

Et addit doctrinam, quod Ecclesia non sit electa propter legem, propter politiam, sed populum Dei esse electos, qui Evan-

1) et *A. C. W.* ut *B.* 2) iusticiam *A. B. C.* et iusticiam *W.*

gelium fide adprehendunt. Ideo addit misericordiam esse causam electionis, non legem, non politiam, sicut supra de discrimine duorum populorum dictum est. Synagoga habet titulum populi Dei et belligeratur cum vero populo et cum vera Ecclesia. Adversus hoc scandalum oportet nos esse instructos et praemunitos, ut intelligamus non esse Ecclesiam illum coetum, qui persequitur Evangelium, etiamsi habent cultus aut politiam.

Dedit[1]) *spiritum compunctionis etc.*

[Ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, v. 8.]

Spiritus compunctionis, id est animus iratus atque exacerbatus odio Dei et Evangelii. Est enim horribilis quaedam odii acerbitas in hostibus Evangelii, qualis describitur in Cain Pharaone et similibus. Primum, quia diabolus inflammat illos impetus[2]). Secundo, quia ipsa humana ratio vehementer offenditur dissipatione cultuum et reipublicae. Imaginantur doctrinam esse blasphemam[3]) et seditiosam: putant enim laedi gloriam Dei[4]) mutatione cultuum, ut cum Apostoli abrogarent ceremonias Leviticas, et nunc cum reprehenduntur cultus humani, abusus Missae. Deinde, mutatio cultuum mutat etiam politias, ut nunc certe distrahit Ecclesiam. Utrumque autem parit ingens odium, videlicet quod et gloria Dei laedi putatur et alii dolent labefactari autoritatem, dissipari ordinem Ecclesiae etc.

Et David dicit: Fiat mensa eorum etc.[5])

[Καὶ Δαυὶδ λέγει· γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν, v. 9.]

Coacervat multas sententias, quae describunt poenas impietatis. Contemtum Evangelii comitatur coecitas et induratio, quae ita occupant animos, ut non possint resipiscere. Deinde illa ipsa coecitas et[6]) cumulat errores, adcersit furorem, scandala et horribilia mala corporalia et aeterna. Sic de coecitate inquit: Excoecati sunt etc.

De alii poenis: Mensa fiet in laqueum, scandalum etc. Significat enim mensa hoc ipsum, in quo praecipue adquiescunt homines, quod videtur adferre consolationem auxilium recreationem quietem. Sicut mensa Pompeii fuit rex Aegyptius[7]), ille ipse ad quem confugit, cuius praesidio sperabat se fore tutum, fuit ei exitio: ita Iudaeis lex et praesens politia et ille gloriosissimus titu-

1) dedit *B. C. W.* — *A.* om. 2) impetus *B. C. W.* impios *A.* 3) blasphemam *B. C. W.* blasphemiam *A.* 4) Dei *B. C. W.* — *A.* omitt. 5) Et David — eorum *B. C. W.* Vertatur mensa illorum *A.* 6) et *A.* — *B. C. W.* omitt. 7) Aegyptius *A.* Aegypti *B. C. W.*

lus populi Dei erat mensa. Has res sciebant divinitus traditas et tam diu defensas esse et existimabant non posse mutari. Quare damnabant doctrinam, quae videbatur adservari, et sperabant se fore victores, sicut antea patres triumphaverant. Hae res fuerunt laqueus, id est mala persuasione tenuerunt irretitos animos et postea perdiderunt etc. Ita nunc titulus Ecclesiae est mensa adversariorum Ecclesiae et illaqueat animos falsa persuasione et erit eis exitium.

Et dorsum eorum[1]) *semper incurva etc.*

[*Καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν διὰ παντὸς σύγκαμψον*, v. 10.]

Id est, magis magisque onera eos erroribus[2]) scandalis peccatis calamitatibus; denique opprime aeterna servitute, ne reflorescant, ne recuperent autoritatem et regnum.

Illustre exemplum praebent Anabaptistae: subinde novos errores pariebant, ut iam manifestus fieret furor, adcedebant foedissima scandala seditiones libidines blasphemiae, donec tandem prorsus deleti sunt. Similia adciderunt Iudaeis post persecutionem Evangelii. Harum horribilium poenarum comminatio nos admonet, ne contemnamus Evangelium, ne tales poenas nobis adcersamus.

Num ideo[3]) *impegerunt, ut conciderent*[4]) *etc.*

[*Μὴ ἔπταισαν ἵνα πέσωσιν*; v. 11.]

Propositio supra instituta repetitur. Non ita impegerunt Iudaei, ut tota gens perierit[5]). Ratio est argute cogitata et habet facilem sententiam. Est enim argumentum sumtum ex causa finali receptionis gentium, hoc modo. Gentes receptae sunt, ut Iudaei provocentur ad credendum, cum viderint Evangelium in gentibus esse efficax, igitur necesse est aliquos esse reliquos inter Iudaeos, qui credituri sunt. Quorsum enim opus esset provocare Iudaeos, si nulli credituri essent.

Consequens sic adtexit Paulus: Si ruina profuit, et profuit[6]) ad provocandum, Ergo est reliqua incolumitas aliqua, id est, ergo necesse est aliquam partem restare sanabilem. Vel est amplificatio ex minore: si profuit ruina, ut gentes reciperentur, quanto[7]) magis profutura est incolumitas tunc, cum provocati obtemperabunt, quia Deus ideo provocat eos, ut rursus sanet et reddat incolumes.

---

1) dorsum eorum *B. C. W.* tergum illorum *A.* 2) erroribus *A. B. C.* terroribus *W.* 3) ideo *A.* ita *B. C. W.* 4) conciderent *A.* caderent *B. C. W.* 5) perierit *A.* periret *B. C. W.* 6) et profuit *A. B. W.* — *C.* omitt. 7) quanto *A. B. W.* quando *C.*

Vobis enim dico gentibus.

[*Ὑμῖν γὰρ λέγω τοῖς ἔθνεσιν*, v. 13.]

Rationi sumtae ex causa finali addit exemplum suum. Ego, inquit, eo maiori sedulitate studeo propagare Evangelium inter gentes, ut provocentur Iudaei ad credendum, cum viderint Evangelium esse efficax inter gentes. Hoc est quod ait: Glorifico ministerium, id est magna fide et sedulitate doceo Evangelium, quo ornatur et illustratur gloria Dei, ut provocem carnem, id est Iudaeos. Et addit amplificationem ex minore: si reiectio profuit, quanto gloriosior futura est restitutio, quae est futura quasi resurrectio ex mortuis. Haec est simplex et minime intricata interpretatio.

Quodsi[1]) *primiciae sanctae etc.*

[*Εἰ δὲ ἡ ἀπαρχὴ ἁγία*, v. 16.]

Tertium argumentum, quod gens Iudaeorum non sit reiecta, sumtum ex promissione, quae est immutabilis et pertinet pariter ad stirpem et ad posteros. Radix est sancta, scilicet propter promissionem, cum patres crediderunt, ergo et rami sunt sancti, quia ad hos quoque pertinet promissio, sed opus est fide adcipi promissionem.

Ne glorieris[2]) *adversus ramos.*

[*Μὴ κατακαυχῶ τῶν κλάδων*, v. 18.]

Apostrophe est ad gentes, quas hortatur ne carnali fiducia despiciant Iudaeos neve securi ruant contra Deum, confisi hoc titulo, quod sint populus Dei seu Ecclesia. Sicut nunc carnali securitate promittunt sibi pontifices quod sint Ecclesia et hac opinione multa contra verbum Dei constituunt et agunt. Hanc impietatem Deus haud dubie puniet iuxta secundum praeceptum. Et[3]) sicut inquit Ezechiel: propter vos[4]) male audit nomen Dei inter gentes.

Et quod Paulus hic vaticinatur de ruina Ecclesiae gentium, id eventus ostendit, Ecclesia in Asia et Africa pene funditus deleta est Mahometi furore. In Europa oppressa est horribili idolatria et impietate, ut profanatione Missarum, invocatione sanctorum, superstitiosis opinionibus cultuum humanorum, inscitia doctrinae de fide.

Sed tamen inter haec scandala consolari nos debemus, quod

---

1) quodsi *A.* si *B. C. W.* 2) glorieris *A.* superbias *B. C. W.* 3) Et — gentes *B. C. W.* — *A.* omitt. 4) vos *B.* nos *C. W.*

promissiones Evangelii semper sint ratae vere credentibus, quodque semper sit aliqua vera Ecclesia, scilicet illi ipsi, qui agentes poenitentiam vere credunt: quia Christus pollicetur Ecclesiam semper mansuram esse et promissiones immutabiles esse.

Non enim volo[1] *vos ignorare.*

[*Οὐ γὰρ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν*, v. 25.]

Addit vaticinium de conversione Iudaeorum, quod fortasse ita intelligendum est, futurum ut subinde usque ad finem mundi aliqui ex Iudaeis convertantur. Nescio enim an hoc velit, restare adhuc aliquam conversionem magnae multitudinis circa finem mundi. Id cum sit mysterium, Deo committamus. Esaiae vaticinium concionatur de liberatione populi, videlicet illa de qua proprie loquitur Evangelium, hoc est de remissione peccatorum. Et est dulcis sententia, quia clare docet in novo testamento praedicandam[2] esse remissionem peccatorum. Haec liberatio populi intelligenda est, inde usque a principio praedicationis Evangelii ad finem.

Conclusit enim[3] *Deus omnes*[4] *etc.*

[*Συνέκλεισεν γὰρ ὁ θεὸς τοὺς πάντας*, v. 32.]

Epiphonema est, in quo est exaequatio Gentium et Iudaeorum, et detrahitur fiducia meritorum utrisque. Hortatur omnes ad poenitentiam, deinde aequaliter proponit omnibus consolationem. Estque gravissima doctrina in utroque membro: nam concludi sub peccatum[5] non est ociose intelligendum, sed complectitur reatum pavores seu iudicium et poenas peccati, quasi dicat: Omnes rei sunt, omnes erunt subiiciendi iudicio Dei, morti et adflictionibus.

Ut David erat conclusus sub peccatum, cum pelleretur in exilium, cum horribilibus doloribus exerceretur. In his adflictionibus praecipue tenenda est haec consolatio, quae hic traditur. Docet enim de causa adflictionum et iudicii et de exitu. Fatetur nos propter peccatum subiectos esse his malis, sed tamen non ut pereamus.

Ideo addit modum liberationis, promittitur gratuita misericordia, ut sit certa consolatio, iubet credere quod per misericordiam, non propter nostram dignitatem aut merita iustificemur et salvemur. Imo iubet nos conclusos sub peccatum, id est vere reos, confugere ad[6] misericordiam nec aspernari oblatam misericordiam, sed statuere quod gratis propter Christum consequamur remissionem peccatorum.

---

1) Non enim volo *A*. Nolo *B. C. W.* 2) praedicandam *A. B. W.* praedicandum *C.* 3) enim *A.* — *B. C. W.* omitt. 4) omnes *A.* omnia *B. C. W.* 5) peccatum *B. C. W.* peccato *A.* 6) ad *A. B. W.* — *C.* omitt.

Ita fiet perspicua et dulcis haec sententia, cum ad usum transferemus, cum in veris pavoribus et adflictionibus eam ad nos pertinere sentiemus nosque hac promissione misericordiae sustentabimus. Est igitur utilis sententia et in omnibus adflictionibus usurpanda, quia monet de causa finali adflictionum. Item de gratuita misericordia.

Est et universalis particula observanda, ut sciamus promissionem esse universalem et ut singuli nos vere in illam universalem includamus.

O profunditatem[1]) *divitiarum etc.*

[Ὦ βάθος πλούτου, v. 33.]

Exclamatio addita est, ut compescat humanam adrogantiam et humanas cogitationes de consilio Dei, quo mirabiliter Ecclesiam suam constituit et gubernat. Multa enim offendunt rationem, videlicet quod pauci tantum et abiecti homines fiunt populus Dei, quod tanta multitudo, quae praestat numero virtute gloria rerum gestarum damnatur. Iudaei vero miritice offendebantur, cum audirent Synagogam reiici, quae habeat honorificentissimum titulum populi Dei. Ita et nunc offenduntur plurimorum animi et fremunt, cum audiunt illos, qui tenent titulum Ecclesiae, non esse Ecclesiam.

Adversus haec scandala opponit Paulus hanc exclamationem, in qua docet ut nos subiiciamus sapientiae et verbo Dei nec deficiamus a verbo, etiamsi non intelligamus[2]), quare tam mirabili consilio Deus gubernet Ecclesiam, et utrumque praestemus, agnoscamus magnitudinem irae in reiectione tot gentium, tot saeculorum, tantorum hominum. Haec ira nos ad timorem hortetur, ne contemnamus verbum Dei. Rursus etiam agnoscamus misericordiam, quod subinde renovavit Deus suum verbum et tandem sparsit in totum orbem. Hoc testimonio misericordiae confirmemur et statuamus Deum vere nos recipere, vere sibi populum facere, vere velle salvare invocantes.

Haec est summa exclamationis Paulinae, qua occurrit scandalis et prohibet humana iudicia de illo arcano consilio Dei. Item prohibet adrogantiam, ne propter carnales praerogativas aut merita confidamus nos fieri populum Dei, sicut Episcopi propter successionem contendunt se esse Ecclesiam etc.*)

*) Actio generalis Dei est conservatio et condicio naturae. Sed spiritualis est, quando per Spiritum sanctum renovat corda. Utroque modo excluditur peccatum, quod Deus non sit autor peccati[3]).

1) profunditatem *A.* altitudo *B. C. W.* 2) intelligamus *B. C. W.* intelligimus *A.* 3) Actio — peccati *A.* — *B. C. W.* omitt.

Caput XII.

Instituit novam partem, scilicet praecepta de bonis operibus. Nam supra tradidit locum Evangelii proprium, scilicet doctrinam de iustificatione et de fide. Haec non est doctrina legis ac longe distat a lege, ut suo loco dictum est. Primum enim fide propter Christum gratis adcipi oportet remissionem peccatorum, iustificationem et donationem Spiritus sancti. Postea necesse est sequi novam obedientiam, quae est quaedam incoata[1]) legis impletio. Ideoque traduntur praecepta post doctrinam de fide.

Quare autem opus[2]) est tradi praecepta, cum spiritus ultro obtemperet Deo? Respondeo: Primum opus est verbo, ut coërceatur pars carnalis. Deinde necesse est semper tradi doctrinam poenitentiae et mortificari reliquias peccati in nobis et crescere poenitentiam. Tertio opus est iustis verbo, per quod doceantur quae opera placeant Deo, et per quod spirituales motus excitantur. Ideo proposita doctrina Evangelii de fide traduntur etiam praecepta seu lex.

Doctrina de bonis operibus[3]).

Iam hic scienda est doctrina de bonis operibus, qualia opera requirantur et quomodo placeant.

Primum qualia. Requiruntur enim bona opera divinitus praecepta, interiora et exteriora, videlicet timor Dei fides dilectio poenitentia pacientia invocatio. Hi interiores motus non sunt in impiis, etiamsi adest externa civilis disciplina. Ideo diligenter considerandum est qualia opera existere in credentibus debeant.

Sed quomodo placent? Haec doctrina necessaria est Ecclesiae, et supra traditur cap. 8. Utrumque tenere necesse est. Primum quod non simus iusti propter nostras virtutes aut opera et quod adhuc haereat in nobis peccatum, quo contaminantur etiam bona opera. Ideo crescere in nobis agnitio nostrae infirmitatis et poenitentia debet. Deinde etsi non sumus iusti propter nostras virtutes, tamen postquam fide reconciliati et iusti sumus, placet etiam incoata obedientia, non quia satisfaciat legi aut quia sit sine vicio, sed propter Christum, pontificem interpellantem pro nobis etc.

Haec doctrina magna consolatio est piis, et magnitudo misericordiae hortatur ad bene operandum. Cum enim audit pia mens certo placere hanc quantulamcunque obedientiam et contaminatam, cum audit cultum Dei et sacrificium esse, haud dubie adcenditur,

---

1) incoata *B. C. W.* incoatio *A.* 2) opus *A. B. W.* — *C.* omitt. 3) Doctrina de bonis operibus *B. C. W.* — *A.* omitt.

ut eam maiore studio praestet. Hic totus locus supra in octavo capite traditus est, ubi etiam dictum est qualia peccata sint in sanctis. Item de discrimine peccati venialis et mortalis. Hi loci pertinentes ad doctrinam operum hic initio considerandi[1]) sunt.

Nunc redeo ad textum. Duodecimum caput est ἠθικόν, id est tradit praecepta de privatis virtutibus. Decimumtertium est politicum de magistratu et de obedientia. Decimumquartum est ceremoniale, de usu ceremoniarum.

Obsecro igitur[2]) *vos fratres.*

[Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς, v. l.]

Initio proponit generale praeceptum, videlicet ut exhibeamus aliquem cultum Deo et quidem rationalem, hoc est talem, in quo agnoscitur et adprehenditur Deus, seu in quo existunt hi motus divini, videlicet timor Dei et fiducia. Deinde nominat hunc cultum, videlicet ut offeramus hostias corpora nostra, id est ut mortificentur corpora nostra et sic fiant victimae, videlicet mortificatis adfectibus carnalibus et sustinendis adflictionibus.

Est igitur generale praeceptum, in quo illud est insigne quod hanc obedientiam vult esse cultum rationalem et nos fieri victimas. Quia enim populum Dei necesse est habere aliquem cultum, sacerdotium et sacrificia, habemus et nos sacerdotium et sacrificia. Et hic primum tota doctrina de sacerdotio et sacrificiorum differentia repetenda est.

Secundo, diligenter observandum quod requirat fidem in illa obedientia et in omnibus bonis operibus.

Tertio, qualis sit emphasis, quod vocat nos victimas. Sacerdotis proprie tria sunt officia: Tenere et confiteri Evangelium divinitus traditum, habere mandatum et promissionem de invocatione et de[3]) sacrificio.

Haec primum competunt Christo, per quem revelatum est Evangelium, qui solus habet ius intercedendi pro aliis et offerendi sacrificii sui pro aliis. Deinde Christus ita impertit honorem sacerdotii credentibus, quia dat eis verbum suum et addit promissionem, quod exauditurus sit Deus invocantes, et donat eis sui sacrificii fructum. Deinde ab ipsis etiam requirit sacrificia, scilicet confessionem et obedientiam in bonis operibus et adflictionibus.

Cum igitur credentes sint sacerdotes, concionatur et Paulus hic de sacrificiis, sicut Petrus inquit: Vos estis sacerdotium sanctum, ut offeratis spirituales hostias adceptas Deo per Iesum Chri-

---

1) considerandi *B. C. W.* considerati *A.* 2) Obsecro igitur *A.* Obtestor autem *B. C. W.* 3) de *B. C. W.* — *A.* omitt.

stum. Ubi diserte dicitur nostros cultus adceptos esse non propter nostram dignitatem, sed propter pontificem Christum.

Hic autem tenenda est etiam distinctio sacrificii usitata. Unum est sacrificium propiciatorium pro aliis, id est quod aliis meretur remissionem peccatorum, scilicet mors Christi. Habent ergo credentes primum illud alienum sacrificium, quod tamen nobis donatum est, ita ut fide statuamus vere nobis donari fructum seu meritum huius sacrificii. Deinde reddunt credentes etiam propria sacrificia, sed haec non merentur remissionem peccatorum facienti aut aliis, sed placent in reconciliatis propter pontificem Christum, sicut Petrus ait: Ut offeratis etc. [1]) Haec sacrificia vocamus εὐχαριστικά. Est autem de natura huius sacrificii facere opus a Deo mandatum hoc fine, ut gratias agamus Deo et glorificemus eum, hoc est ut hac ipsa obedientia testemur hunc vere Deum esse, quem invocamus, et vera esse quae de eo praedicamus atque ita invitemus nostro exemplo alios. Hic est principalis finis sacrificii, ut gloria Dei fiat illustrior et Deus innotescat.

Sunt autem sacrificia vel ceremonialia vel spiritualia. In veteri Testamento fiebant mactationes pecudum et aliae ceremoniae, quae tunc habebant mandatum Dei, ut essent umbrae beneficiorum Evangelii. Hae umbrae cessaverunt postquam Evangelium revelatum est cumque novum Testamentum adferat in cordibus iusticiam et vitam aeternam [2]), iam cultus et sacrificia esse debent veri et perpetui motus cordis, perpetua glorificatio Dei, sicut inquit Christus: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate, id est veris et spiritualibus motibus cordis.

Hoc ipsum vult Paulus, cum hoc loco requirit rationalem cultum, id est cultum mentis, in quo agnoscitur et adprehenditur Deus, id est in quo existunt veri motus erga Deum, timor fides invocatio confessio. Excludit ergo Paulus non modo pecuinas hostias, sed etiam hominum opera, ac non solum Monachorum traditiones, sed etiam moralia opera, quandocunque sine timore Dei et sine fide fiunt. Pugnat etiam Pauli dictum universaliter cum opinione de opere operato: estque abominandus error adversariorum, qui fingunt Missam ex opere operato valere sine bono motu utentis.

Hic enim Paulus, cum requirit rationalem cultum, postulat bonum motum utentis, scilicet veros motus timoris et fidei erga Deum.

Est igitur haec Pauli propositio: Obtestor vos, ut praestetis Deo veros cultus spirituales seu motus cordis, ita ut obtemperent corpora vestra et fiant hostiae, seu ut vos obtemperetis et fiatis hostiae.

---

1) sicut — offeratis *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) aeternam *A. B.* — *C. W.* omitt.

Quae est autem emphasis in vocabulo Hostiae? Primum oblatio est confessio quaedam seu testificatio, quod agnoscamus Deum. Et mactatio significat fuisse destinatam aliquam mortem pro[1]) peccato. Item, quod hanc naturam viciosam aboleri oporteat et quod in ea morte obedientia Deo praestanda sit. Itaque haec tria comprehendit cum nominat hostiam, videlicet agnitionem seu glorificationem Dei, mortificationem nostri seu obedientiam in mortificatione praestandam, et fidem[2]), qua credimus quod propter hostiam Christum hae hostiae placeant Deo, quem omnes hostiae semper significaverunt et propter quem fuerunt adceptae. Est ergo sententia: Fiatis hostiae, id est agnoscite, praedicate seu glorificate Deum et sustinete mortificationem et credite quod hi vestri cultus placeant Deo propter Christum, propter quem et vos estis hostiae. Haec est simplicissima sententia.

Iam si cogitabimus nos esse hostias, intelligemus nos vocatos esse, non ad huius mundi voluptates opes potentiam, sed ad necem, horribile odium, adflictiones omnis generis, quibus oppugnamur a diabolo et impiis hominibus. Et sicut hostia stat ad aram expectans adsidue donec feriatur: ita nos stemus ad aram, id est in confessione et glorificatione Dei, et praestemus Deo obedientiam in persecutionibus et calamitatibus, quibus obruimur, et in his invocemus Deum et credamus placere hos cultus propter Christum, propter quem etiam aliquando liberabimur.

Addit vivam[3]), quia novum Testamentum adfert perpetuam iusticiam et vitam. Ideo requiruntur iam perpetuae hostiae, perpetuae laudes et gratiarum actiones. Non iam pecudes mactandae sunt, sed tales hostiae, quae quanquam mortificantur, tamen simul concipiunt novam vitam, ut perpetuo Deum glorificent.

Sanctam, id est ad usus divinos destinatam, ad invocationem Dei, ad praedicationem, glorificationem et alia bona opera, sed ita ut ad hunc finem directa sint, ut gloria Dei ornetur.

Deo placentem: Ut autem opus Deo placeat, duo requiruntur, videlicet quod sit mandatum a Deo, et quod fiat in fide seu fiducia Christi, sicut scriptum est: Iustus ex fide vivet. Requiritur igitur et hoc loco haec fides in omnibus bonis operibus, ut credamus placere hanc nostram obedientiam[4]) non propter nostram dignitatem aut propriam puritatem, sed propter pontificem Christum. Sicut et Petrus inquit: Offerentes hostias spirituales, adceptas Deo per Iesum Christum. Et Hebr. ultimo: Per ipsum offeramus hostiam laudis.

Est ergo summa huius propositionis: Praecipit ut Deo obediamus et ut haec obedientia praestetur[5]) in vero timore Dei, vera fide et

1) pro *B. C. W.* in *A.* 2) fidem *B. C. W.* quidem *A.* 3) vivam *A. B. W.* vitam *C.* 4) hanc nostram obedientiam *A. B.* haec *C. W.* 5) praestetur *A.* fiat *B. C. W.*

hoc fine, ut illustret gloriam Dei et invitet alios ad pietatem. Et quia transtulit doctrinam de bonis operibus ad locum communem de hostiis, valde multa complexus est, videlicet quod sit necesse Deo praestare cultum, quod oporteat nos subiectos esse adflictionibus. Item, quod oporteat omnia bona opera fieri in fide et referri ad exemplum ad excitandos alios, ut innotescat Deus. Item, cum sint sacrificia, placeant Deo propter pontificem Christum cum adcedit fides.

Et ne adcommodetis vos ad figuram huius saeculi[1]).

[*Καὶ μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ*, v. 2.]

In hoc dicto repetitur superior sententia per antithesin: Ne habeamus adfectus similes mundanorum, sed novos adfectus Deo obedientes. Nam cum vetat imitari mundum, non vituperat res, quarum usum Deus ordinavit, non vetat usum ciborum, coniugii, imperiorum, iudiciorum, contractuum et aliarum Dei ordinationum, sed prohibet viciosos adfectus. Ideo inquit: Gestus, id est motus animi non sint similes mundanis, ut contra ordinationem Dei adpetunt impii voluptatem, quaerunt opes et potentiam iniustis modis, fugiunt crucem[2]). Tales cupiditates damnat, quae occuparunt maximam mundi partem. Sicut videmus ubique animos hominum ardere alios aliis cupiditatibus, avaricia, ambitione, libidinibus, et propter has miscere orbem terrarum tumultibus, caedibus, bellis, sicut quotidiana vita testatur et historiae omnium temporum.

Econtra autem iubet renovari mentem[3]), id est iubet nos aliter sentire, alias noticias de Deo et alios adfectus concipere, videlicet verum timorem Dei et veram fidem, ut anteferamus voluntatem Dei nostris cupiditatibus.

Ideo addit: Ut agnoscatis, quae sit voluntas Dei bona etc. Id enim simpliciter intelligo de voluntate Dei proposita in praeceptis et promissionibus. Iubet enim ita renovari, ut novam noticiam de Deo concipiamus et induamus novos adfectus, videlicet verum timorem Dei et veram fidem, et hi adfectus exerant se in omni genere bonorum operum et in[4]) adflictionibus, videlicet ita, si[5]) in adflictionibus intelligamus Deo placere obedientiam et propterea sustineamus adversa nec fugiamus crucem.

Dico vobis per gratiam, quae data est mihi[6]).

[*Λέγω γὰρ διὰ τῆς χάριτος τῆς δοθείσης μοι*, v. 3.]

Inter virtutes, quae ad ministerium seu gubernationem seu

1) Et ne adcommodetis — saeculi *A*. Ne imitemini gestus huius mundi *B. C. W.* 2) crucem *B. C. W.* lucem *A.* 3) mentem *A.* mente *B. C. W.* 4) in *A. B.* — *C. W.* omitt. 5) si *B. C. W.* — *A.* omitt. 6) Dico vobis — mihi *B. C. W.* — *A.* omitt.

administrationem pertinent, duae sunt praecipuae: Obedientia in vocatione[1]) et in iudicando seu instituendo non discedere a praescripta regula seu mandato. Quare de his duabus virtutibus initio concionatur et ita inquit: Nemo adroganter de se sentiat, id est nemo erumpat extra suam vocationem et adroganter aliud suscipiat, quam postulat sui officii ratio. Item: Nemo adroganter ausit iudicare de dogmatibus contra traditam regulam, aut serere novas opiniones aut instituere novos cultus, infatuatus persuasione magnae sapientiae aut sanctitatis supra modum sui doni.

Utrumque autem praeceptum necessarium est, maxime in Ecclesia, ut enim civitatibus πολυπραγμοσύνη plurimum nocet, cum ingerunt se privati homines negociis et impediunt ordinarias actiones, sicut Marius Brutus et alii turbabant rempublicam: ita in Ecclesia ingens periculum existit, cum aliqui vel stulto zelo vel aliis cupiditatibus incitati extra vocationem suam erumpunt et multa reformare in doctrina vel ritibus conantur. Aut e regione, cum doctores extra suum officium civilia negocia ad suam potestatem revocant et habent alterum pedem in Curia, alterum in Ecclesia. Sicut Aristophanes dicebat de Cleone, habere eum alterum pedem in castris, alterum in concione.

Primum igitur meminerimus hic praecipi, ne conturbemus vocationes[2]), sed ut singuli suae vocationis officia diligenter faciant. Alterum praeceptum vetat iudicare contra praescriptam regulam, hoc est contra verbum Dei et saniora iudicia. Sicut aliqui tumentes inani persuasione singularis sapientiae serunt novas opiniones, instituunt novos cultus, offundunt caliginem veris et necessariis articulis. Hanc audaciam in primis meminerimus hic prohiberi, cum iubet ut unusquisque agnoscat mensuram sui doni, id est et vocationi suae obtemperet et non sumat sibi iudicium supra modum sui doni, non incerta adfirmet.

Paulus vocat mensuram fidei mensuram doni, quod in fide exerceri debet et per fidem dabatur[3]), ut in exercitu alius est dux, alius tribunus, alius quaestor. Ita in Ecclesiis alii doctores habent maiora dona aliis. Ideo postea addit Paulus enumerationem, ut singuli meminerint suae vocationis et sui modi.

---

1) vocatione *B. C. W.* invocatione *A.* et addit: „in ſeinem bevelch pleiben." 2) vocationes *A.* vocationem *B. C. W.* 3) dabatur *A. B.* datur *C. W.*

Sive prophetiam iuxta portionem fidei[1]).

[*Εἴτε προφητείαν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως*, v. 6.]

In enumeratione praescribit quibusdam regulas, ut de Prophetis. Significat autem Prophetia revelationes[2]), hoc est[3]) seu praedictiones de futuris seu interpretationem scripturae, quia ad hanc etiam opus est aliqua revelatione. Nam quid vera sit fides et vera consolatio conscientiae et vera agnitio peccati nemo intelligit sine divino motu. Et habent alii motus illustriores aliis.

Praecipit igitur, ut interpretatio verbi Dei sit analoga, id est consentiens fidei, hoc est ne discedat ab articulis fidei, ne extinguat noticiam veram Christi et fidem in Christum: Sicut initio ab articulis fidei discesserunt Ebion, Samosatenus et alii, qui contenderunt in Christo tantum esse naturam humanam. Deinde Ariani, qui negaverunt filium Dei natura Deum esse; Manichaei, qui finxerunt duos deos et damnaverunt coniugium iudicia esum carnium. Ita finxerunt homines non fide, sed talibus observationibus iustos esse.

Pelagiani discesserunt ab analogia fidei, quia negarunt esse aliquod peccatum originale et finxerunt legi Dei satisfieri per haec rationalia opera, quae homines utcunque efficere possunt. Itaque senserunt hominem his operibus mereri remissionem peccatorum et esse iustum propter rationalem disciplinam: de fide iustificante nihil prorsus docuerunt. Item addiderunt[4]) homines sine Spiritu sancto iustos esse et salvari. Hae pharisaicae opiniones prorsus delent Evangelium de Christo. Ideo enim Christus nobis donatus est, quia nos non satisfacimus legi et quia propter legem non sumus iusti. Proposita est alia iusticia, ut scilicet fide propter Christum iusti reputemur. Quare Pelagianae opiniones, cum tollant beneficia Christi, nequaquam sunt analogae fidei.

Tales sunt etiam opiniones adversariorum nostrorum, qui fingunt homines posse legi Dei satisfacere et operibus mereri remissionem peccatorum et propter opera iustos esse; de fide iustificante vero nihil dixerunt: ideo eorum doctrina non est analoga fidei.

Pugnat cum fide etiam opinio de Missa, quod sit opus adplicandum aliis: quia Missa non prodest, nisi recordanti mortem Christi, sicut textus ipse testatur. Quare non fuit credendum adparitionibus spirituum petentium Missas.

Item, dissentiunt a fide Monachorum opiniones, quod illa opera traditionum sint cultus Dei, sint perfectio.

Nec est analoga fidei invocatio sanctorum. Ideo non fuit cre-

---

1) iuxta portionem fidei *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) revelationes *A.* revelationem *B. C. W.* 3) hoc est *A.* — *B. C. W.* omitt. 4) addiderunt *B. C. W.* docuerunt *A.*

dendum adparitionibus aut miraculis, quae illos cultus confirmaverunt: quia contra manifestum verbum Dei nequaquam credendum est miraculis aut adparitionibus, ut Deut. 13 manifeste praecipitur. Ad quem locum hic adludit Paulus, cum autoritati illorum qui videntur esse Prophetae opponit regulam de analogia fidei*).

Caput XIII.

Supra proposuit praecepta de privatis moribus ac velut ethicen tradidit. Nunc addit praecepta de vita politica. Quanquam enim non pertinet ad Evangelium, sed ad iudicium rationis et consilium magistratus leges ferre de contractibus successionibus, de actionibus poenis bello et similibus rebus civilibus aut forensibus, sicut architectonica aut ars medicorum ad rationem pertinet: tamen in genere de usu harum artium necesse est extare verbum Dei propter duas causas, ut agnoscantur opera Dei, deinde ut sciamus usum concessum esse piis: quia oportet[2]) opera nostra habere testimonium ex verbo Dei.

Primum igitur hic observent lectores, quatenus Evangelium concionetur de rebus politicis, scilicet in genere. Deinde meminerint Evangelium non constituere aliam politiam mundanam, sed adprobare omnium gentium politias ac leges de rebus civilibus rationi congruentes, sicut adprobat medicinam aut architectonicam. Interea vero Evangelium proprie de spirituali et aeterna vita docet pios, ut in cordibus incoëtur vita aeterna, et tamen foris vult corpora nostra versari in hac civili societate et uti communibus vinculis illius societatis, distinctione dominiorum, contractibus, legibus, iudiciis, magistratibus et reliquis. Hae res externae non impediunt, quo minus existant in cordibus agnitio Dei timor fides invocatio et ceterae virtutes, imo Deus proposuit illas externas res, ut essent

*) *Μηδὲ*[1]) *τὰ τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροισι δίδου.* Theog. Praevenientes alios honore [v. 10]: virtus est reverentia. Cum hac pugnant invidia livor obtrectatio aemulatio. Haec sunt vicia nocentissima: ergo necesse est praeclaram esse virtutem reverentiam erga alios. Tribuere aliis honorem est agnoscere aliorum dona dotes, eos magnifacere iuvare non premere, tribuere eis debitum locum et testimonium quoque in loco. Huc etiam pertinet humilitas, quia reverentia oritur ex vera agnitione sui et aliorum, ex vero iudicio de nobis et aliis.

1) *Μηδὲ* — aliis *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) oportet *A. B.* oporteat *C. W.*

occasiones in quibus exerceantur fides invocatio timor Dei pacientia dilectio.

Et est quaedam sapientia digna Christiano, intelligere quare Deus Ecclesiam coniecerit in has medias occupationes, scilicet quia vult in societate communi inter homines innotescere. Ideo voluit omnia officia societatis esse exercitia confessionis et simul exercitia esse[1] nostrae fidei et dilectionis.

Deinde adsuefaciendae sunt mentes, ut reverenter sentiant de omnibus partibus societatis civilis, quia admodum nocent animis illae fanaticae opiniones, quae[2] imaginantur imperia leges iudicia contractus esse res excogitatas[3] humana astutia et esse tantum instrumenta humanarum cupiditatum, ut imperia esse instrumenta exercendae iniustae potentiae contra imbecilliores, iudicia servire cupiditati vindictae aut avariciae. Sic Monachi has res intuentur ideoque improbant eas aut certe obscurant earum dignitatem.

Nos econtra honorifice de eis cogitemus, esse dona et ordinationes Dei traditas primum propter hunc finem, ut haec societas conservetur docendi causa. Secundo, ut haec ipsa officia societatis sint exercitia confessionis. Tertio, ut in his operibus exerceamus timorem Dei fidem invocationem dilectionem etc. Quare sciamus esse impium has res divinas aspernari aut violare.

Omnis anima potestatibus etc.

[*Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω*, v. 1.]

Initio simpliciter et perspicue tradit praeceptum, ut suo quisque magistratui obediat. Nam particula: Quae praesunt, non est ociose addita, sed excludit alienos magistratus. Non enim opus est civem Coloniensem obedire magistratui Parisiensi. Sed hoc docet Paulus, ut illi magistratui obediamus, qui nobis praeest, vel ut suo quisque magistratui obediat.

Deinde addit rationem praecepti: non est enim potestas nisi a Deo: quae[2] quia docet quid sit magistratus et unde sit, ostendit aliter obediendum esse, quam quemadmodum tolerat aliquis iniustam violentiam praedonis aut latronis. Sed ita, ut meminerimus et politiam ipsam seu magistratum esse rem bonam divinitus ordinatam, et statuamus hanc obedientiam a Deo requiri, praestandam[4] tanquam ipsius ordinationi. Et fuit opus in Ecclesia hac praemunitione[5], ut pii scirent quid sit sentiendum de rebus politicis, ne damnarent imperia iudicia et alia politica officia,

---

1) esse *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) quae *A. B. W.* quem *C.* 3) excogitatas *B. C. W.* cogitatas *A.* 4) praestandam *B. C. W.* — *A.* omitt. 5) praemunitione *A.* praemonitione *B. C. W.*

praesertim cum multi abutantur his rebus[1]). Et haec vicia intuens homo non recte institutus non discernit imperia et latrocinia.

Ita Manichaei[2]) in totum damnabant politias. Monachi etiam obscuraverunt veram doctrinam de magistratu, cum finxerunt esse perfectionem abstinere a civilibus officiis. At contrarium potius docendum erat, si qua esset perfectio. Quia haec opera sunt res a Deo propositae, ut innotescat Deus in societate et ut nos habeamus exercitia confessionis pacientiae fidei dilectionis. Haec exercitia fugere est potius infirmitas, quam perfectio, sicut dici solet: Magistratus ostendit virum. Denique omnibus temporibus sunt in Ecclesia sparsae opiniones incommodae de rebus civilibus. Ideo valde prodest tenere veram doctrinam de hoc negocio.

Est ergo primum haec propositio Pauli, quod magistratus, id est ordinatio imperiorum seu politia sit res bona, quam Deus suo opere et instituit et conservat, sicut ordinatio motuum coelestium et instituta est a Deo et conservatur ab ipso. Quare cum inquit Paulus: Imperia a Deo esse, intelligamus ea non tantum permitti a Deo, sicut peccata dicuntur permitti (permissive esse adeo, sicut Deus non est efficax causa peccati)[3]), sed potius opere[4]) Dei instituta esse et conservari et per verbum confirmata esse. Ideo Paulus diserte vocat politiam ordinationem Dei, id est rem quae instituitur consilio Dei, ut congruat cum eius voluntate seu ut adprobetur ab ipso. Quare peccata non sunt ordinatio Dei, imo vere sunt ordinationis dissipatio.

Haec breviter dicuntur a Paulo, sed plurimum habent momenti. Primum enim necesse est extare hanc doctrinam in Ecclesia, ne opus Dei tribuatur diabolo, sed ut discernantur opera Dei et opera diaboli. Secundo, ut intelligamus illa ipsa officia a Deo proposita esse, ut sint exercitia[5]) confessionis invocationis et ceterarum virtutum et fiant veri cultus Dei. Tertio, ut obedientia confirmetur, ne violemus divinam ordinationem, sed meminerimus Deum esse vindicem et conservatorem suae ordinationis. Quarto, ut magistratus et nos omnes in civili vita habeamus consolationem, quod Deus haec pericula civilis vitae gubernet et conservet regna, iusticiam civilem ac pacem in mundo et puniat tyrannides ac latrocinia.

Haec est ingens consolatio omnibus piis in tantis imperiorum periculis, et horum magnitudinem pii considerare debent, quod videlicet concutiantur respublicae non tantum humana audacia, sed multo magis furore diaboli, qui est hostis disciplinae et honestatis. Ideo Christus eum[6]) vocat homicidam, et in Daniele scribitur bonus angelus defendisse regnum Persicum contra malum angelum. In-

1) rebus *A. B.* verbis *C. W.* 2) Manichaei *B. C. W.* Pharisaei *A.* 3) permissive esse — peccati *A.* — *B. C. W.* omitt. 4) opere *A.* opera *B. C. W.* 5) exercitia *B. C. W.* exempla *A.* 6) eum *B. C. W.* eam *A.*

citat igitur diabolus sua membra ad dissipandam harmoniam publicam. Neque tantum autores periculi considerandi sunt, sed etiam moniti hac consolatione scripturae, quod Deus velit conservare politias, addere debemus invocationem, sicut praecipit scriptura in multis locis.

Haec breviter recensui, ut cogitemus ad quid prosit haec doctrina, et ut transferamus in vita ad usum et in politicis officiis exerceamus confessionem et invocationem, qui sunt principales fines societatis civilis.

Deinde fiat collatio. Nulla philosophia tam honorifice de imperiis loqui potest. Etsi enim ratio movetur quibusdam signis, ut cogitet esse a Deo imperia, tamen dubitat propter varia scandala, cum non est confirmata verbo Dei. Illud certe non videt, Deum velle gubernare pericula nostra in administratione civili, velle invocari et horum negociorum administrationem fieri cultus Dei. Colligant igitur studiosi ex aliis locis scripturae testimonia, quae confirmant sententiam, quam Paulus hic tradidit. Observent item, quomodo diluenda sint ea, quae obiiciuntur de prohibitione vindictae et alia.

Constituta autem hac propositione, quod politiae sint res bonae, quas Deus et instituit et adprobat, sequitur iam conclusio Pauli: Quod sit[1]) obediendum magistratui, quia Deus velit suam ordinationem non violari. Et addita est ratio de poena, quae debet intelligi non tantum de eis poenis, quas irrogat magistratus, sed in genere de omnibus poenis, in quas incidunt seditiosi et contumaces: quia divinitus retrahuntur ad poenas, etiamsi nihil periculi impendet a magistratu, sicut inquit Salomon: Non est evasio impio in[2]) bello.

Hactenus tradidit duas regulas, videlicet quod magistratus seu politia sit res bona et adprobata a Deo. Item, quod sit obediendum, ubi adiecit doctrinam de poena, quam postea repetet. Interea inserit descriptionem magistratus, quid sit, hoc modo: magistratus est minister Dei nobis ad bonum, vindex ad defendenda recte facta et punienda delicta gladio, id est poenis corporalibus.

Haec definitio est integra, melior etiam quam Aristotelica, quae sic sonat: Magistratus est custos legum. Paulus enim addidit efficientem causam, scilicet quod sit institutus a Deo. Et in causa finali addit illustrem particulam: Tibi ad bonum, ubi discernit tyrannum a vero magistratu. Debent[3]) enim magistratus sic sentire, se divinitus in hoc officio collocatos esse, ut alienae utilitati consulant, sicut Aristoteles monet Alexandrum, ut cogitet imperium

1) sit *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) in *A. B.* ex *C. W.* 3) debent — collocatos — consulant *A.* debet — collocatum — consulat *B. C. W.*

sibi contigisse ad benefaciendum toti generi humano, non ut in alios petulans et contumeliosus sit (πρὸς εὐεργεσίαν οὐ πρὸς ὕβριν). Et Daniel inquit ad regem: Libera te a peccato per iusticiam et benefacta erga miseros. Et laudatur illud Xenophontis: Bonus princeps nihil a bono patre differt. Ita sentiet magistratus sibi contigisse imperium et opes, non ut eis abutatur ad explendas cupiditates suas, sed ut possit communi utilitati consulere ac tueri recte facta, id est veros cultus Dei disciplinam iudicia pacem.

Sed in hac definitione quaeritur, unde scimus quae sint recte facta? Respondeo: Paulus hic omittit longiorem disputationem [1]) et ideo generaliter loquitur, ut leges omnium gentium adprobet de civilibus negociis, si tamen consentiant cum lege naturae. Nam hinc iudicari vult recte facta in civilibus negociis. Tradit ergo hic tertiam regulam, videlicet: Quod Christianus non sit adligatus ad politiam Mosaicam, sed liceat ei uti legibus omnium gentium, quae consentiunt cum ratione. Imo sicut debet Christianus obedientiam praesenti magistratui, ut supra dictum est in particula: Magistratui qui praeest: ita debet obedientiam praesentibus legibus cum ratione congruentibus. Quare licet fures suspendere, licet haereditates dividere nostris legibus, quia Evangelium non constituit novam politiam mundanam, sed concionatur de vita aeterna et spirituali. Et interea sinit nos uti diversis politiis, sicut diversis spaciis dierum*). Quia enim praecipitur obedientia erga praesentes magistratus [3]), praecipitur etiam ut praesentibus legibus utamur. Et Lucae tertio adprobatur Romana militia. Et Act. 15 Apostoli prohibent gentes onerari politia Moisi. Et Paulus dicit: In Christo neque est Iudaeus neque Graecus.

Ideo oportet obedire non solum propter iram etc. [4])
[Διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργήν, v. 5.]

Addit praecepto de obedientia necessariam declarationem, ut sciat Ecclesia qualis necessitas sit obedire et quale peccatum sit non obtemperare, quia saepe disputatur, utrum sit peccatum mortale non obedire magistratui. Et ratio agitatur, cum Magistratus non possit intelligere poenam aeternam, videntur nec edicta magistratuum obligare sub poena aeterna.

*) Quicquid est contra verbum Dei peccatum est: suspendere furem est contra verbum Dei: ergo est peccatum. Respondeo ad maiorem: Quicquid est contra verbum Dei scilicet nos obligans. Minorem nego, quia est contra legem Mosaicam iudicialem, quae nos non obligat [2]).

1) disputationem *B. C. W.* descriptionem *A.* 2) Quicquid — obligat *A.* — *B. C. W.* omitt. 3) magistratus *A. B.* — *C. W.* omitt. 4) Ideo oportet — iram *B. C. W.* — *A.* omitt.

Sed in hac ratione non vident illi, qui eam sequuntur, se falli in hoc quod poena aeterna irrogatur propter violationem divini mandati, quod praecipit obedientiam. Deus enim subiecit nos magistratui et addidit[1]) mandatum ut obediamus illorum legibus, et adiecit de poena se puniturum esse eos, qui non obediunt. Constituendum est igitur, quod non obedire magistratui politico seu gerenti gladium, de quo hic loquitur, sit peccatum mortale; quia diserte inquit Paulus: Necesse est obedire, et addit: Propter conscientiam. Ergo sentit conscientias fieri reas in his, qui detrectant imperium. Haec autem sunt peccata mortalia, quae conscientiam ream faciunt et excutiunt fidem. Sic igitur declarat necessitatem, ut intelligatur de obligatione conscientiae et de aeternis poenis. Quis autem non videt quale frenum hic iniiciatur omnibus hominibus ad conservandam obedientiam erga potestatem?

Alibi dicitur: Credentes esse liberos a lege. Hic vero subiiciuntur legibus magistratuum et ita subiiciuntur, ut dicat Paulus eos condemnari, si non obtemperant*). Sed sciendum est quod libertas spiritualis non excludit hanc obligationem, quae manet propter vitam corporalem. Liberi sumus a lege, quod adtinet ad iustificationem in spiritu, id est sentiendum est nobis ignosci et nos reputari iustos non propter legem, sed propter Christum. Et tamen interea obedientia in vita corporali necessaria est. Est enim corporalis vita subiecta ordinationibus, quae ad corpus pertinent, videlicet ut[3]) legibus medicis, coniugalibus, ita etiam legibus civilibus.

Deinde amplificanda est haec obligatio. Etenim si rea fit conscientia, sequitur maledictio et ira Dei, quae adfert praesentes poenas et aeternas, sicut manifeste videmus sontes elapsos tamen divinitus ad poenas retrahi. Item contumaces, etiamsi non possunt in praesentia coërceri, tamen postea incidere in aliquos laqueos, ut dent poenas: sicut Clodio Catilinae Antonio et aliis adcidit, qui subinde novos tumultus excitaverant. Et Deus talium consiliis et negociis maledicit, ut tandem[4]) ruant in civiles et aeternas poenas. Haec omnia complectitur Paulus cum inquit: Propter conscientiam.

---

*) Christiani sunt liberi a lege: ergo ab illa obligatione quae debetur magistratibus politicis. Respondeo ad antecedens: quod ad iustificationem adtinet in spiritu, alia res est proposita propter quam sumus iusti. Hoc non tollit obedientiam in vita corporali[2]).

---

1) addidit *A.* addit *B. C. W.* 2) Christiani — corporali *A.* — *B. C. W.* omitt. 3) ut *B. C. W.* — *A.* omitt. 4) tandem *A.* — tamen *B. C. W.*

Neque vero haec tantum pertinent ad subditos sed etiam ad magistratum, qui cum fiunt tyranni non minus dissipant ordinationem Dei, quam seditiosi. Ideo et ipsorum conscientia fit rea, quia non obediunt ordinationi Dei, id est legibus, quibus debent parere. Ideo comminationes hic positae etiam ad ipsos pertinent. Sicut alibi inquit scriptura: Non hominis exercetis iudicium, sed Domini: Quicquid iudicaveritis, in vos redundabit. Semper enim illa sententia intuenda est, quod politia sit ordinatio Dei. Ergo quisquis violat, sive inferior sive superior, peccat et dabit Deo poenas, ut si in templo conculcaret sacramenta.

Itaque huius mandati severitas moveat omnes, ne violationem politici status putent esse leve peccatum. Et econtra discamus opera vitae politicae et oeconomicae in his qui credunt in Christum esse bona opera et cultus Dei nec tantum esse res profanas, quia ideo conservanda est societas, ut Deus in ea innotescat. Hic finis non est res profana, quare cum omnes actiones vitae politicae sint distinctae ad hunc finem, Deus voluit eas esse exercitia confessionis et propter hunc finem nobis proposuit ea. Ideo Prophetae requirunt haec opera, et quidem prae ceremoniis, ut Esaiae primo: Iudicate pupillo etc.

Sed hic quaeritur: Si violatio legum civilium est mortale peccatum, quid sentiendum est de violatione ecclesiasticarum traditionum, quae sunt conditae ab Episcopis? Respondeo: Primum traditionibus, quae pugnant cum mandato Dei, non est obediendum, sive sint ortae a magistratibus gerentibus gladium sive ab Episcopis, quia Deo magis est obediendum quam hominibus. Tales autem sunt traditiones de coelibatu, de abusu Missarum, de invocatione sanctorum. Et quanquam esus carnium et alia quaedam similia per se sunt adiaphora, tamen quia praecipiuntur cum impia opinione et ad stabiliendos impios cultus: ideo recte faciunt qui non obediunt, sicut recte faciebant fratres in historia Maccabaeorum, qui nolebant carnes suillas edere. Debent enim extare exempla confessionis, ubi tradita est doctrina, sicut et Paulus noluit Titum[1]) circumcidi.

Secundo, si sunt traditiones de mediis rebus et factae propter politicum finem, ut observatio certi diei aut[2]) certae historiae lectio discendi causa: harum traditionum violatio extra casum scandali non est peccatum mortale, quia Paulus dicit: Nemo vos arguat in parte diei festi etc.

Sed hic proponitur exemplum civilium legum, cur hae magis obligant quam ecclesiasticae? Respondeo simplicissime: Scriptura tradit hanc diversitatem: clare dicit pollui conscientias, si quis non obediat magistratui gerenti gladium. Et rursus clare dicit: Non

1) Titum *B. C. W.* Titium *A.* 2) aut *A. B.* et *C. W.*

pollui conscientias violatione traditionum, quas condunt Episcopi, ut testantur dicta ad Gal. et Coloss. Haec ratio sufficiat piis.

Sed opponat aliquis: An maior reverentia debetur potestati civili? Imo maxima Ecclesiae et ministris Evangelii debetur, et sine ulla dubitatione peccant mortaliter omnes, qui non obediunt verbo, quod est commendatum potestati ecclesiasticae. Secundo peccant mortaliter etiam qui in casu scandali violant pastorum traditiones. Ut si quis exemplo suo in Ecclesia recte instituta invitet alios ad contemtum doctrinae aut[1]) ministrorum; sed violans sine contumacia et sine malo exemplo non peccat mortaliter. Hanc libertatem Christus in Ecclesia existere et intelligi vult.

Possunt etiam rationes colligi ex differentia potestatum. Deus commisit magistratibus ut ipsi iustas leges condant, ergo vult etiam nos illis legibus subiectos esse. Sed Pastoribus tradidit certum verbum nec vult nos insuper esse legislatores aut alias leges addere, Ergo requirit, ut illi verbo tradito simus subiecti, non novis legibus quas ipsi insuper addituri sunt. Ita differentia potestatum aliquid lucis addit huic quaestioni. Sed tamen tutius est niti altera ratione, videlicet quod doctrina apostolica postulet ut sentiamus violationem legum civilium esse mortale peccatum. Econtra vero violationem ecclesiasticarum traditionum extra casum scandali et contumaciae non esse peccatum mortale.

Antea dixit in genere de obedientia, nunc nominat in specie quaedam officia, ac primum tributa, quo nomine complectitur omnia, quae debentur magistratibus ad defensionem disciplinae et pacis, scilicet operas, militiam, stipendia. Estque iterum repetita laus officii, quia vocat ministros Dei. Testatur igitur functionem magistratus esse bonum opus, quia diabolus est hostis Dei, non est minister, et peccata non sunt functio, qua Deo ministratur, sed offendunt Deum et dissipant functiones, quibus Deo ministratur. Fitque hoc argumentum illustrius, cum additur circumstantia supra posita, videlicet quod sit ministerium divinitus ordinatum. Manifestum est enim peccatum non esse rem ordinatam divinitus, sed potius dissipationem ordinationis Dei.

Addita est etiam hic particula insignis de diligentia, quae requiritur in magistratibus. Ait enim Paulus: Ad hoc sunt adsidui, id est ad ministerium Dei, hoc est ad propagationem veri cultus et ad defensionem disciplinae et pacis, quae sunt beneficia divina. Et adsiduitas est magna intentio animi non remittentis curam, vigilantiam et laborem, sicut verissimum est imperia esse onus, cui nulla humana sapientia par esse potest. Et tamen requiritur magistratuum diligentia, quam hic vocat adsiduitatem, quae Deo iuvante est fortunata.

---

1) aut *A.* et *B. C. W.*

Deinde addit generale praeceptum de omnibus civilibus officiis: Reddite omnibus debita. Hac voce complectitur omnia officia in societate necessaria, videlicet iubet reddi debitam obedientiam superioribus, iubet reddi debitam pecuniam in contractibus cuicunque, iubet reddi debita officia familiae, civibus, parentibus, coniugi, liberis, servis. Quae autem sint officia singulis debita Decalogus indicat, quem hic repetit ut teneamus certam doctrinam, quae opera sint necessaria. Necesse est enim conscientias habere verbum certum etiam de operibus, quo regantur, ne fingant cultus sine mandato Dei, de quibus inquit Christus: Frustra colunt me mandatis hominum.

Hanc sententiam detorquent nonnulli contra doctrinam de fide, quia hic Paulus inquit, Dilectione legem impleri. Unde sic argumentantur: Impletio legis iustificat: Dilectio est impletio legis, Ergo dilectio iustificat. Respondeo brevissime ad minorem: Minor est vera de perfecta dilectione, sed non de tali qualem ulli homines praestant. Paulus recte et proprie loquitur de idea seu de specie, quod dilectio impleat legem, id est sit hoc ipsum quod lex requirit. Sed hinc non sequitur nostra dilectione legem impleri, quia nostra dilectio est immunda et procul abest a perfectione.

Cum igitur nemo possit praestare perfectam dilectionem aut impletionem, opus est nobis alia iusticia, videlicet fide adprehendente misericordiam promissam propter Christum. Haec fides est impletio legis, scilicet imputative, hoc est: Credentes reputantur iusti perinde ac si legem implessent. Deinde addatur etiam hoc, quod fides incoët impletionem legis in nobis, et haec incoatio placet propterea, quia sumus in Christo.

Hora est iam nos de somno surgere[1]).

[Ὥρα ἡμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι, v. 11.]

Addit exhortationem a circumstantia temporis sumtam, videlicet ab occasione, nunc exhibita est salus, Evangelium revelatum est. Quare non aspernemur tantum munus, sed avide amplectamur atque obediamus. Ita saepe alias a tempore argumentatur 2 Cor. 6[2]). Hebr. 3. Tale tempus est, quandocunque Deus donat veram lucem Evangelii, quae postquam exhibitus est Christus, late sparsa est inter gentes, cum antea ignorassent promissiones et Evangelium.

Somnum intelligit ignorantiam verae doctrinae. Vigiliae vero debent esse nova noticia Evangelii et novae actiones. Et quia iubet nos expergisci, significat vocari nos ad ingentia certamina, pericula, vigilantiam. At econtra mundus audito Evangelio fit segnior et novo somno sopitur. Securitas enim parit negligentiam, qua paula-

1) Hora — surgere *B. C. W.* Quod tempestivum sit nos iam a somno etc. *A.* 2) 2 Cor. 6. *A. B.* 2 Cor. 11. *C. W.*

tim obrepunt varia vicia. Hanc negligentiam taxat, cum iubet nos expergisci. Ideo postea iubet indui arma lucis, significat enim opus esse magno certamine, ne excidamus. Sunt autem arma lucis ipsa noticia verbi Dei, agnitio Dei, fides et ceterae virtutes, quae utentes verbo Dei pugnant adversus diabolum. Econtra opera tenebrarum sunt ignorantia Dei et vicia quae parit illa [1]) ignorantia, ibi enim dominatur diabolus.

Nunc enim propior est salus [2]) *etc.*

[*Νῦν γὰρ ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία*, v. 12.]

Salus de ipso Christo intelligatur et de ministerio Evangelii, non de effectu, id est ipse Christus nunc exhibitus est et palam promulgata et donata remissio peccatorum et institutum ministerium Evangelii. Patres vero expectabant et credebant venturum esse Christum. Ita propior est nobis salus, quia Christus est exhibitus et promulgata remissio peccatorum et institutum ministerium Evangelii. Patres enim sciebant venturum esse Christum et remissionem peccatorum agnoscebant involutam in promissionibus, sed nondum habebant ministerium institutum, quo expresse mandatum esset remitti peccata. Ceterum de effectu sciendum est, patres fide in Christum promissum salvatos esse, sicut Ecclesia salvatur post exhibitum Christum. Nec est alia salvatio patrum et Ecclesiae post exhibitum Christum, sed tantum haec est dissimilitudo, quod illi credebant in venturum Christum, nos in exhibitum.

Sed induite [3]) *Dominum Iesum etc.*

[*Ἀλλὰ ἐνδύσασθε τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χρ.*, v. 14.]

Induere Christum non significat tantum imitationem, quasi dicat induere ornatum Christi, id est virtutes imitari, sed plus significat, scilicet adprehendere Christum fide et credere [4]) quod propter ipsum sit nobis pater propicius. Item, quod sit efficax in eis, qui eum invocant. Nam Christus non tantum est exemplum ut reliqui sancti, sed est causa et autor nostrae salutis, victima et salvator. Quare induere referatur ad utrunque, videlicet quod fide adprehendamus eum tamquam salvatorem et agnoscamus eum esse umbraculum, quo tegimur adversus iram Dei. Deinde adcedat imitatio exempli *) [5]).

*) *Τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε* [v. 14.], id est: curate corpora iuxta ordinationem Dei. Prohibet immoderatam abstinen-

1) illa *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) Nunc enim — salus *B. C. W.* Propius adest nobis salus quam tum *A.* 3) induite *B. C. W.* induamini *A.* 4) fide et credere *B. C. W.* — *A.* omitt. 5) exempli *B. C. W.* — *A.* omitt.

Caput XIV.

Dictum est antea tria esse genera operum, privata, politica, ceremonias: cumque de ceteris supra utilissima praecepta tradita sint, nunc doctrina de ceremoniis additur. Quia enim haec vita non potest carere ceremoniis, hoc est ordinationibus aliquibus [2]) temporum aut certorum exercitiorum [3]), necesse est [4]) Ecclesiam admoneri de usu earum. Nam error de ceremoniis parit multa ingentia incommoda.

Primum, obscuratur doctrina Evangelii de fide et beneficio Christi, cum obrepit opinio, quod tales observationes mereantur remissionem peccatorum aut quod propter eas simus iusti, sicut imaginabantur Iudaei de suis ritibus. Haec opinio naturaliter occupat animos, nisi ex Evangelio recte doceantur.

Secundum, extinguitur doctrina de differentia operum, cum [5]) ceremoniae anteferuntur vitae politicae: imo anteferuntur etiam interioribus exercitiis spiritualibus, pacientiae et invocationi. Sicut Monachi suas observationes vocarunt perfectiones.

Tertium, obrepit opinio necessitatis, quae est periculosa carnificina conscientiarum.

Quartum, opinio necessitatis gignit discordias insanabiles, sicut olim de Paschate fuerunt dissensiones [6]).

Quintum, falso tribuitur Episcopis autoritas condendi novos cultus, cum ignoratur verus usus ceremoniarum. Ita obscuratur novi Testamenti doctrina et confirmatur impietas et augetur tyrannis Episcoporum.

Proinde cum error de ceremoniis pariat tanta et tam multa incommoda, necesse est recte tradi usum. Ideo Paulus hic in summa docet hoc [7]), nec Mosaicas ceremonias nec similes ab hominibus institutas necessario observandas esse, quia iusticia, de qua concionatur Evangelium, non est observatio rituum Mosaicorum aut similium, sed est agnitio Christi, nova et spiritualis vita in corde. Interea vero in vita exteriore, sicut alias aliis spaciis dierum, ita aliis ritibus alias uti licet. Ideo non vult adfingi ritibus opinionem iusticiae ac necessitatis, nec vult seri discordias de ritibus seu Mosaicis seu humanis. Haec est summa huius capitis, quod non

---

tiam, quae illis temporibus erat usitata. — εἰς ἐπιθυμίας, id est non ad luxus aut illicitas voluptates ad alendam concupiscentiam [1]).

---

1) Τῆς σαρκὸς — concupiscentiam *A.* — *B. C. W.* omitt. 2) aliquibus *A. B. W.* aliquis *C.* 3) certorum exercitiorum *B. C. W.* certarum executionum *A.* 4) necesse est *A.* necesse fuit *B. C. W.* 5) cum *B. C. W.* quia *A.* 6) dissensiones *B. C. W.* discordiae *A.* 7) hoc *A. B.* — *C. W.* omitt.

loquitur de sacramentis, quae habent praeceptum, quia sunt signa addita promissionibus. Item sunt testimonia confessionis, sed hic etiam prodest discerni traditiones humanas.

Sunt igitur tria genera. Primum genus est traditionum, quae praecipiunt aliquid quod non potest sine peccato praestari. Talis est traditio de coelibatu, cum eis imponitur qui non sunt idonei. Item profanatio[1]) Missarum, cultus sanctorum. De hoc genere tenenda est regula: Oportet *Deo* magis obedire, quam hominibus. Quare tales traditiones autoritate divina violantur.

Alterum genus est traditionum, quae constituunt de talibus, quae sua natura sunt adiaphora, ut de feriis vestitu cibis. In his considerandi sunt fines. Si finis est politicus, sunt licitae traditiones. Ut cum feriae servantur, non quod opus illud sit cultus, sed ordinis causa, ut populus sciat quo tempore conveniendum est ad audiendum Evangelium et ad coenam Domini. Quia enim homo naturaliter intelligit ordinem et ordine debet actiones suas distribuere, ideo etiam actiones ecclesiasticae suum ordinem habere debent, nec potest vita talibus ritibus carere et ordinationibus, quae conducunt ad *εὐταξίαν*. Ideo et Paulus praecipit ut omnia fiant in Ecclesia decenter et bono ordine.

Tertium genus est traditionum, cum ad adiaphora adcedit opinio cultus meriti aut necessitatis. Tales traditiones obscurant doctrinam Evangelii et opinio adcedens facit ex adiaphoris impias traditiones. Ideo recte violantur et abolentur, ut illa opinio falsa corrigatur, quia necesse est errores de cultu meritis et necessitate abiici.

Est autem cultus tale opus, cuius finis immediatus est non corporalis utilitas, sed ut per id opus Deus honore adficiatur. Sicut de discrimine ciborum sentit populus hoc opus ideo fieri, quia sit honos, quem requirat aut adprobet Deus. De his inquit Christus: Frustra colunt me mandatis hominum.

Et plerunque adcedit opinio meriti, quae habet manifestiorem impietatem, videlicet quod tale opus mereatur remissionem peccatorum aut vitam aeternam, quod sit iusticia, sit perfectio, sit satisfactio. Hi errores necessario reprehendendi sunt.

Opinio necessitatis est[2]), cum violatio putatur esse peccatum mortale. Hanc opinionem etiam damnat Evangelium, iuxta illud: Nemo vos arguat in cibo, potu etc. Sentiendum est igitur quod Evangelium ordinaverit hanc libertatem in eis quae sunt concessa a[3]) verbo Dei, nec velit in talibus iusticiam aut peccatum constitui. Haec genera traditionum meminisse prodest, ut sciatur quomodo reiiciantur traditiones, aut quarum usus retineri possit.

---

1) profanatio *B. C. W.* propagatio *A.* 2) est *A. B.* — *C. W.* omitt. 3) a verbo *A. B.* verbo *C. W.*

De libertate Christiana[1]).

Hic necesse est etiam dici de libertate Christiana. Facio autem docendi causa quatuor gradus libertatis Christianae.

Primus est, quod non propter legem aut nostras virtutes, sed gratis propter Christum donatur remissio peccatorum et imputatio iusticiae vel[2]) vita aeterna, modo ut credamus haec nobis contingere propter Christum. De hoc gradu concionatur Christus: Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis[3]).

Secundus gradus est, quod in remissione peccatorum donatur Spiritus sanctus, qui adiuvet nos, ut obedire legi Dei incipiamus, regat et defendat nos adversus insidias diaboli. Hic gradus cum superiori coniunctus est, sed ideo in enumeratione discerno, ut magis conspici beneficia Christi possint. Huc pertinet dictum Pauli: Ubi spiritus Domini, ibi libertas est. Is enim erigit corda, ne opprimantur terroribus peccati aut aliis terroribus aut morte. Impellit etiam ut incipiant obedire Deo, sicut alibi dicitur: Spiritus sanctus adiuvat infirmitatem nostram. Haec libertas erit integra post resurrectionem. Interea tamen in hac vita incoari eam oportet in exercitiis fidei et invocationis. Et in his exercitiis intelligitur et crescit, cum sustentamus nos verbo Dei, ut vincamus terrores ac dolores. Hi duo gradus principaliter sunt Christiana libertas et pertinent ad vitam spiritualem et aeternam, quae tamen in hac vita incoanda est, et eorum cognitio magnam consolationem piis adfert.

Tertius gradus est, quod Evangelium liberat nos a ceremoniis et forensibus seu iudicialibus legibus Moisi. Hic gradus aliquo modo pertinet ad exteriorem vitam, sed habet causam in superioribus. Ideo enim Evangelium non requirit ceremonias Leviticas, quia docet nos iustos pronunciari non propter illos cultus aut alia nostra opera, sed fide per misericordiam propter Christum. Et cum Evangelium doceat de spirituali et perpetua iusticia cordis, non requirit politiam et leges forenses Moisi, sed concedit in hac vita corporali uti legibus omnium politiarum, in quibus vivimus, modo ut sint consentaneae rationi, sicut concedit omnium gentium architectonica aut medicina uti.

Sed hic quaerat aliquis: Cum Evangelium abroget legem Moisi, cur non etiam decalogum abrogat? praesertim cum illa pars legis sit difficillima. Respondeo primum crassissime: Non retinetur decalogus, quia in lege Moisi scriptus est, sed carnales coërcendi sunt lege morali, quia est lex communis omnium hominum. Renati vero incipiunt obedire illi legi, non quia est Mosaicum πολίτευμα,

1) De libertate Christiana *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) vel *A.* et *B. C. W.* 3) eritis *A.* estis *B. C. W.*

sed quia Evangelium praedicat poenitentiam et adfert Spiritum sanctum, qui[1]) spirituales cultus in nobis incoat. Retinetur ergo decalogus, hoc est lex illa communis omnium hominum, quia et arguit peccata et docet spirituales cultus.

Haec est crassissima responsio, quae etsi vera est, tamen nondum hac de re satis dictum[2]) est. Necesse est igitur adiici principalem causam et doctrinam de abrogatione legis vel de libertate: videlicet primum, quod ad iustificationem adtinet, Evangelium vere liberat nos a tota lege, id est docet nos pronunciari iustos propter aliud, scilicet propter Christum, non propter legem. Quare credentes in Christum habent remissionem peccatorum et sunt iusti, etiamsi adhuc haeret in eis[3]) infirmitas, quae facit ne satisfaciant legi. Ac principalis causa, propter quam tradenda est legis abrogatio, haec ipsa est quod oportet conscientias de iustificatione recte doceri. Ideo hanc responsionem adiici necesse est ad priorem.

Secundo, etsi sumus liberati, quod ad iustificationem adtinet, tamen lex non est sublata, quod ad obedientiam adtinet, quia Evangelium praedicat poenitentiam et subiicit nos *Deo* et incoat in nobis spiritualem obedientiam. Quare necesse est incoari illos cultus, qui continentur in lege morali. Et tamen quia non satisfacimus legi, interea docet nos iustos esse alia re, scilicet propter Christum fide. Ita liberat conscientias ab illo horribili onere, scilicet terroribus et damnatione, quam lex adferret, cum ei non satisfaciamus, nisi liberati essemus ac iusti propter aliud. Hoc docet Paulus cum inquit: Nos a maledictione legis liberatos esse. Dicit enim diserte a maledictione, ut significet liberationem a lege esse liberationem a terroribus et a damnatione, quam lex adfert nisi fide adprehendamus misericordiam propter Christum promissam. Ex his utcunque intelligi potest, quod a tota lege liberati simus[4]), quod ad iustificationem adtinet, et tamen obedientiam incoari necesse sit.

Quartus gradus Christianae libertatis est quod Evangelium, etsi concedit aliquas ordinationes temporum aut exercitiorum in Ecclesia [ab hominibus][5]) propter εὐταξίαν fieri, tamen vult nos sentire observationes illas non esse cultus, non mereri remissionem peccatorum, non esse iusticiam aut perfectionem. Item extra casum scandali posse eas omitti sine peccato. De hoc gradu docet Paulus ad Coloss. [cap. 2]: Nemo vos iudicet in cibo, potu etc. Nec loquitur tantum de Mosaicis ritibus, sed in genere de Mosaicis

---

1) qui *A. B.* quia *C. W.* 2) nondum hac de re satis dictum *B. C. W.* nondum de hac re dictum *A.* 3) eis *A.* ipsis *B. C. W.* 4) simus *A. B.* sumus *C. W.* 5) ab hominibus *B. C. W.* — *A.* omitt.

et de omnibus aliis ceremoniis, quae humana autoritate instituuntur in Ecclesia. Ideo postea expresse nominat humanas traditiones, inquiens, iuxta praecepta et doctrinas hominum.

Estque huius gradus cognitio admodum necessaria Ecclesiis, ad multos errores cavendos. Quia enim homines naturaliter proni sunt ad falsos cultus et in periculis confugiunt ad suam iusticiam aut merita, errore excogitant et cumulant cultus. Ideo necesse est Ecclesias praemoneri, ut vere intelligant doctrinam de fide et de vera invocatione et cultum fidei, et sciant Deo displicere cultus institutos sine mandato divino.

David de Leviticis dicit [Psal. 51]: Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem, utique holocaustis non delectaberis. In hoc versu significat humanas mentes in terroribus quaerere sacrificia, sed revocat eas ab operibus ad fidem et agnitionem misericordiae. Hoc cum de sacrificiis Leviticis dicatur, quanto magis detrahenda est humanis traditionibus opinio cultus aut meriti. Si quis nunc restitueret circumcisionem aut Levitica holocausta, omnes eum merito abominaremur. Sic abominari debemus monasticam et ceremonias impiorum, quae fiunt cum opinione cultus aut meriti. Haec similitudo piis proponenda est, ut firmius statuant illos cultus improbandos et fugiendos esse.

Sed recensui supra plures causas, propter quas opus est Ecclesiae cognitione libertatis de hoc quarto gradu. Nam et opinio necessitatis fit periculosa carnificina conscientiarum. Quare prodest extare hanc regulam, quod extra casum scandali traditiones in Ecclesia factae humana autoritate sine peccato omitti possint, etiamsi non praecipiunt aliquod impium opus. Et tamen interim pii docendi sunt in Ecclesiis recte institutis, ut libero animo propter exemplum et bonum ordinem servent utiles ritus, quia haec vita corporalis[1]) non potest carere certis ordinationibus, ut constat.

De scandalo.

Scandalum significat offensionem, quae deterret animos vel invitat ad imitationem. Est autem duplex. Alterum genus vocatur pharisaicum scandalum, id est offensio, quam concipiunt hypocritae propter veram doctrinam aut factum, quod Deus requirit vel adprobat, qua offensione incitantur hypocritae ad odium verae doctrinae et piorum. Id scandalum non potest vitari nec peccant pii propter talem furorem impiorum. Imo necesse est obedire mandato Dei contra impiorum iudicia et odia, quia Paulus inquit: Si quis aliud Evangelium praedicaverit, anathema sit. Ac diligenter erudiendi sunt pii et muniendi, ne hypocritae deterreant eos a pro-

1) corporalis *A.* humana *B. C. W.*

fessione, cum obiiciunt pericula motus dissipationes, quae sequuntur persecutionem. Adversus hos terrores oportet animos bene munitos esse, ne languefacti abiiciant veritatem.

Alterum genus scandali est impia doctrina aut factum malum aut indifferens, petulanter susceptum apud infirmos, quo deterrentur ab Evangelio vel quocunque modo sauciantur eorum animi. Haec scandala sunt cavenda. Sed nocentissimum omnium est impia doctrina, quia laedit gloriam Dei et perdit auditorum animos innumerabiles[1]).

Deinde quodlibet factum malum manifestum est scandalum, quia mala exempla invitant alios ad imitationem et minuunt reverentiam Dei et saepe faciunt, ut ipsa Ecclesia et doctrina male audiat et deterreantur moderati homines a vera doctrina. Sicut male audisset doctrina, si Ioseph commisisset adulterium. Econtra vero eius continentia multis modis fuit gloriosa piae doctrinae et adtulit ingentia commoda toti regno. Hoc exemplum cum sit illustre, ostendit quantum referat huius generis scandala caveri[2]). Ac meminerimus omnia facta nostra pertinere non tantum ad nos, sed etiam ad gloriam Dei. Sicut scriptum est: Propter vos male audit nomen Dei inter gentes.

Postremo in usu indifferentium petulantia cavenda est, ne mores indifferentes mutentur apud eos, qui aut nondum audierunt doctrinam de libertate, aut adhuc sunt infirmiores, ut periculum sit ne moti mutatione talium morum deterreantur ab Evangelio. Et tamen non persequuntur piam doctrinam, sed sunt dociles. Verum postquam tradita est doctrina et hypocritae se opponunt, rectum est ostendi illis exempla libertatis, et haec exempla sunt pars confessionis, Gal. primo. Sic Apostoli violabant traditiones pharisaicas.

Infirmum in fide adsumite[3]).

[*Τὸν δὲ ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβάνεσθε*, v. 1.]

Dicturus de usu ceremoniarum et de libertate initio praeponit[4]) admonitionem de tolerandis infirmis. Tradit autem praeceptum, quo utendum est non adversus persecutores impios, hostes Evangelii, sed erga membra nostra, hoc est erga eos qui doceri se sinunt et audiunt Evangelium, hos vetat deterreri exemplis inusitatis, quo minus amplectantur Evangelium.

Vocat autem infirmum in fide nondum satis eruditum in doctrina libertatis. Porro cum inquit sublevandum esse ne in-

---

1) innumerabiles *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) caveri *B. C. W.* cavere *A.* 3) Infirmum in fide adsumite *B. C. W.* Porro eum qui infirmatur *A.* 4) praeponit *A. B.* proponit *C. W.*

cidat in dubitationes, utrunque monet, ne cogatur aliquid facere contra conscientiam seu improbante conscientia. Item ut paulatim provehatur et eripiatur[1]) et liberetur a dubitatione. Nam dubitatio in quocunque articulo, si non emendetur sed augescat, est horribilis pestis et excutit fidem et adcersit desperationem, odium totius Evangelii et manifestam impietatem. Sicut adcidit Iuliano et multis similibus.

Deus enim illum adsumsit.

[Ὁ θεὸς γὰρ αὐτὸν προσελάβετο, v. 3.]

Primum autem observabis praeceptum de cavenda dubitatione. Deinde observabis hic egregiam consolationem propositam esse. Testatur enim Paulus infirmos a Deo receptos esse, sed intelligit non hostes aut persecutores, sed eos qui audiunt Evangelium, qui sunt dociles et habent initia timoris Dei et fidei in Christum, sicut Apostoli ante resurrectionem erant iusti, etiamsi habebant suas infirmitates, ut adparet in historia evangelica.

Hoc exemplum transferamus ad nos et meminerimus nos quoque habere multas infirmitates neque tamen propterea fidem abiiciamus, quia hic scriptura testatur infirmos recipi, sed monet simul etiam paulatim provehendos esse infirmos.

Tertio traditur praeceptum contra dubitationem, id est ne quid faciamus improbante conscientia. Unusquisque in sua mente certus sit. Haec sententia vetat facere contra conscientiam. Nam qui contra conscientiam facit, palam contemnit mandatum Dei. Facile autem intelligi potest, hunc contemtum vere esse peccatum: ergo omnis actio contra conscientiam vere est[2]) peccatum.

Tu quis es, qui iudicas alium?

[Σὺ τίς εἶ ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην; v. 4.]

Tradidit[3]) regulam necessariam in Ecclesia, ne quid faciamus contra conscientiam. Postea prohibet mutuas condemnationes in usu indifferentium, ut rituum in[4]) cibis diebus et aliis huius generis. Et addit argumentum de iudicio. Iudicium est Christi: ergo nos non debemus nobis adrogare iudicium, videlicet de conscientia alterius, non de externo facto palam illicito. Haec regula late patet, sicut et illa: Nolite iudicare. Non enim prohibentur ministeria, scilicet doctrina aut admonitio fraterna aut officium magistratus.

---

1) eripiatur *B. C. W.* erudiatur *A.* 2) vere est *A.* est vere *B. C. W.* 3) tradidit *A. B. W.* tradit *C.* 4) in *A.* de *B. C. W.*

Haec enim habent mandata Dei et sunt iudicia divinitus instituta. Sed prohibentur privata iudicia[1]), hoc est condemnationes extra illa tria officia quae recensui, videlicet ortae ex morbo animi, malevolentia aut vanitate. Deinde iudicium, quod fit per hominem, fieri debet de externo facto illicito. Sed est usitatissimum in mundo calumniose interpretari aliorum dicta et facta non illicita. Haec iudicia in usu indifferentium improbat Paulus et vetat condemnationes propter dissimiles ritus indifferentium fieri, sicut olim fuerunt certamina de die Paschatos[2]), de fermentato et huiusmodi alia.

Verum illud iudicate magis.

[*Ἀλλὰ τοῦτο κρίνατε μᾶλλον*, v. 13.]

Addit praeceptum de vitandis scandalis. Dictum est supra de diversis generibus scandali. Nunc tantum loquitur de hoc genere, videlicet cum aut liberiores abutuntur libertate, aut econtra duriores, qui tamen non sunt hostes Evangelii, reprehendunt usum libertatis. Utrique obiurgandi sunt, et quanquam abusus libertatis est vituperandus, tamen in altera parte plus est vicii, quae etiam propter gravitatis[3]) speciem plus nocet, quando morosiores sauciant conscientias piorum, qui libertate utuntur, et deterrent multos simplices ab Evangelio et in[4]) multis contristant Spiritum sanctum. Cum igitur in utramque partem plurimum sit periculi, opus est Christianis magna diligentia, ne peccent aut morosis reprehensionibus aut abusu libertatis, sed teneant caput, id est doctrinam quod hic usus sit indifferens, ut Paulus inquit 1 Corinth. 8: Esca non commendat nos Deo.

Praecepto de vitandis scandalis adiecit quatuor rationes plenas Christianae eruditionis. Prima sumta est ex genere operum, quod videlicet usus rerum divinitus ordinatus et concessus, per sese non sit immundus seu prohibitus. Scio, inquit, nihil esse commune per sese. Adpellat enim commune profanum illicitum prohibitum non sanctum, more Iudaico[5]). Iudaei enim cum vocentur populus Dei et sanctus, id est separatus a gentibus ad cultum Dei, vocabant sancta omnia, quorum usus ipsis concessus erat. Et quidem erant sancta, quia erant ordinata verbo Dei. Econtra profana et prohibita nominant communia, id est non sancta, non separata ad usum populi sancti, sed quibus Gentes utebantur. Haec de adpellatione tantum dixi: nunc ipsa etiam regula consideretur, quae breviter hic tradita est, alibi vero copiosius explicatur, sci-

1) iudicia *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) Paschatos *A. B.* Paschae *C. W.* 3) gravitatis *A.* gratuitatis *B. C. W.* 4) in *B. C. W.* — *A.* omitt. 5) Iudaico *B. C. W.* Mosaico *A.*

licet quod Evangelium non requirat certas observationes ciborum dierum vestium, et similes causae[1]) supra tractatae sunt, quia Evangelium docet gratis propter Christum, non propter nostra opera aut observationes remitti peccata. Item, Evangelium adfert iusticiam et vitam spiritualem et perpetuam. Ad hanc nihil faciunt observationes externae ciborum et similium.

Nisi ei qui existimat[2]) *etc.*

[*Εἰ μὴ τῷ λογιζομένῳ τι κοινὸν εἶναι*, v. 14.]

Adiecit regulae adpendicem. Munda, hoc est licita fieri illicita eis, quorum conscientia iudicat esse illicita. Ideo hic locus diligenter considerandus est, ut discamus vere peccatum esse facere contra conscientiam. Est enim sententia huius dicti: Cibi genus per se quidem est licitum, sed qui improbante conscientia vescitur, is peccat: Quia facere aliquid dubitante vel improbante conscientia, est agere ex contemtu Dei et sine fide.

Verum si propter cibum frater tuus etc.

[*Εἰ γὰρ διὰ βρῶμα ὁ ἀδελφός σου λυπεῖται*, v. 15.]

Secunda ratio sumta ex officio fraternae dilectionis, et est magnifice exaggerata. Contra fraternam dilectionem est nocere aliis: ergo cave ne tua exempla noceant aliis. Argumentum adcommodetur ad utrosque, ad institutos qui petulanter abutuntur libertate, et ad morosos qui acerbe iudicant de utentibus libertate. Saepe enim illa acerbitas iudiciorum deterret infirmos ab Evangelio et sauciat mentes etiam mediocriter confirmatas: imo contristat Spiritum sanctum, videlicet ita, ut aliqui desperabundi deficiant ab Evangelio et amittant Spiritum sanctum. Haec scandala magno studio cavenda sunt, iuxta illud: Vae homini, per quem adcidit scandalum.

Vituperetur bonum vestrum[3]).

[*Μὴ βλασφημεῖσθω οὖν ὑμῶν τὸ ἀγαθόν*, v. 16.]

Tertia ratio a dignitate Evangelii sumta est. Cavendum est ne male audiat Evangelium, laeditur enim gloria Dei, cum eius verbum vituperatur, et impeditur profectus hominum. Non enim amplectuntur homines doctrinam, quam contemnunt, ac rixae non necessariae alienant animos imperitorum et simplicium ab Evan-

1) causae — ciborum et similium *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) existimat *B. C. W.* existat *A.* 3) Vituperetur bonum vestrum *B. C. W.* Ne vestrum igitur bonum hominum maledicentiae sit obnoxium *A.*

gelio, qui incipiunt odisse genus doctrinae tanquam seminarium odiorum. Adcedunt et illa scandala, quae alienant animos. Abutentes libertate augent licentiam vulgi. Econtra morosi deterrent imbecilles virulentia iudiciorum suorum etc. Has offensiones animorum iubet diligenter caveri propter gloriam Evangelii[1]), ut doctrinam plures ament et amplectantur.

Non enim est regnum Dei[2]) *etc.*

[*Οὐ γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ βρῶσις καὶ πόσις*, v. 17.]

Quarta ratio sumta est ex collatione necessariorum et non necessariorum, et est utile dictum de discrimine verorum et falsorum cultuum. Necessaria non sunt corrumpenda non necessariis. Ritus *ἀδιάφοροι* non sunt necessarii, ergo propter eos non corrumpantur necessaria, scilicet fides et pax Ecclesiae, aedificatio proximi.

Porro saepe alias[3]) docet scriptura, veros cultus Dei esse poenitentiam fidem dilectionem castitatem et similes motus spirituales, sicut hanc ipsam summam[4]) complectitur alibi Paulus: In Christo Iesu neque circumcisio valet nec praeputium, sed fides quae est per dilectionem efficax. Item: Adorabunt patrem in spiritu etc. Econtra vero de traditionibus humanis dicit: Frustra colunt me mandatis hominum.

Haec doctrina magnopere necessaria est in Ecclesiis, [ut sciamus][5]) opera sine mandato Dei excogitata non esse cultus Dei. Sed revocentur animi ad opera divinitus mandata. Estque magna consolatio piis intelligere hos veros cultus, scire quod Deus[6]) vere requirat invocationem et fidem, quod velit exaudire, quod placeant ei haec communia officia oeconomica et politica, si fiant in fide, quae quidem propter communes adflictiones sunt exercitia fidei. Ideoque in Prophetis et Psalmis toties repetitur haec doctrina, ut Psalm. 50: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Et Esaiae 1 et 58. Micheae 6. Zachar. 7.

In hanc sententiam et hic ait Paulus: Regnum Dei esse iusticiam pacem et gaudium in Spiritu sancto. Significat enim[7]) iusticia esse iustum, id est adceptum Deo et iam subiicientem se Deo, et incoare obedientiam. Pax et gaudium in Spiritu sancto[8]) significant idem, scilicet pacem conscientiae[9]) erga Deum, quae fit fide, cum vere agnovimus remissionem peccatorum. Et hanc[10]) agnitionem misericordiae sequuntur invocatio

1) Evangelii *B. C. W.* Christi *A.* 2) Dei *B. C. W.* — *A.* omitt. 3) alias *B. C. W.* alios *A.* 4) summam *A. B.* sententiam *C. W.* 5) ut sciamus *B. C. W.* — *A.* omitt. 6) Deus *B. C. W.* — *A.* omitt. 7) enim *A. B.* — *C. W.* omitt. 8) in Spiritu sancto *B. C. W.* — *A.* omitt. 9) conscientiae *B. C. W.* — *A.* omitt. 10) hanc *B. C. W.* — *A.* omitt.

obedientia pacientia diligentia in retinenda concordia, vitandis scandalis, iuvanda Ecclesia. Sic complectitur Paulus omnes spirituales cultus, sicut alibi saepe.

Qui in his servit Christo[1]).

[*Ὁ γὰρ ἐν τούτῳ δουλεύων τῷ Χριστῷ*, v. 18.]

Est autem insignis particula adiecta: Qui in his servit Christo placet Deo et est probatus hominibus. Hic locus continet perspicuum testimonium de bonis operibus, quod placeant Deo. Sed diserte inquit Paulus: Qui servit Christo, ut testetur se loqui de operibus illorum, qui fide in Christum sunt iusti et agnoscunt illum cultum placere propter mediatorem et pontificem Christum.

Deinde addita est utilis doctrina, ut servientes Christo postea etiam iudicia hominum et maxime piorum seu[2]) Ecclesiae vereamur[3]). Sed loquitur de his qui serviunt Christo, ut sciamus non anteponenda esse iudicia hominum doctrinae et mandato Dei. Sed cum mandatum Dei et doctrinam retinemus[4]), postea danda est opera, ut mores nostri ornent Evangelium et invitent alios ad credendum et glorificandum Deum, iuxta illud: Luceat lux vestra coram hominibus.

Porro quicquid non est[5]) *ex fide etc.*

[*Πᾶν δὲ ὃ οὐκ ἐκ πίστεως ἁμαρτία ἐστίν*, v. 23.]

Saepe in hoc capite inculcavit regulam, ne quid faciamus contra conscientiam. Nunc in fine addit, ut etiam hoc opus fiat ex fide. Haec additio diligenter est consideranda: nam ignorantibus veram doctrinam Evangelii non satis perspicua est haec additio: vulgo autem sic interpretantur dictum Pauli: Quicquid non est ex fide peccatum est, id est quicquid fit contra conscientiam peccatum est. Sed hoc non satis explicant, tantum enim adcommodant ad legem, ut furtum fit contra legem, ideo peccatum est et contra conscientiam in eo, qui sciens furatur. Haec interpretatio vera[6]) et necessaria est. Necesse est enim in operando primum consulere legem, ut sciamus quae opera Deus prohibeat aut praecipiat, et opera contra legem Dei esse peccata non dubium est.

Sed cum Paulus nominat fidem, non tantum requirit legem aut noticiam historicam, sed veram fidem, ac docet opera mandata aut concessa a Deo facienda esse in fide, id est cum hac fiducia, quod Deus propter mediatorem Christum nobis sit propicius et

1) Qui in his servit Christo *B. C. W.* — *A.* omitt. 2) piorum seu *B. C. W.* — *A.* omitt. 3) vereamur *B. C. W.* vereantur *A.* 4) retinemus *B. C. W.* retineamus *A.* 5) non est *B. C. W.* — *A.* omitt. 6) vera *B. C. W.* vere *A.*

quod propter illum pontificem nostra opera placeant. Quare dictum Pauli non tantum ad legem, sed etiam ad Evangelium adcommodari necesse est.

Sed quaerat aliquis: Quomodo statuamus Deo placere nos aut opera nostra, praesertim cum contaminentur contagio concupiscentiae?[1]) Respondeo: Securi qui sine poenitentia sunt, non intelligunt hanc doctrinam de fide, sed in veris adflictionibus illucescit eis[2]), cum cogitant se non exaudiri a Deo, se abiectos esse et nullum fore finem calamitatum etc. In talibus doloribus erigendi sunt animi fide, ut statuamus Deum nobis vere ignoscere propter Christum, vere nos exaudire et curare.

In tali consolatione potest intelligi, quid[3]) sit fides, ac tunc fides repugnat naturali dubitationi et vincit diffidentiam. Hac fide primum persona placet Deo propter Christum, deinde statuit etiam placere bona opera propter pontificem Christum, tametsi sunt imperfecta et immunda. Et necesse est doceri homines, quod requirat Deus ut in fide serviamus, non in dubitatione perpetua. Non sic cogitent: etsi servio Deo et invoco eum, tamen dubitare debeo, an haec ei placeant. Haec dubitatio continet multa peccata, negat Evangelium, negat Deum remittere peccata, nihil expectat a Deo et tacite indignatur et fremit adversus Deum. Haec sunt peccata, quae proprie per legem existunt, ut vocat Paulus.

Quare necesse est hanc dubitationem in Ecclesia reprehendi et opponi doctrinam de fide. Reprehendendus est etiam vulgatissimus error, qui in Ecclesiam sparsus est, scilicet quod Christianus debeat dubitare an sit in[4]) gratia. Item, quod haec dubitatio non sit peccatum, et ad hoc adlegant dictum ex Ecclesiaste: Nescit homo an amore vel odio dignus sit. Deinde quaeruntur coniecturae ab operibus, utrum simus in gratia, et tamen adserunt adversarii quod sit dubitandum et quod dubitatio non sit peccatum. Haec tota imaginatio pugnat cum doctrina de fide.

Porro non negamus haerere in animis naturalem dubitationem et diffidentiam, quam omnes experiuntur. Sed illud sciendum est, hanc ipsam dubitationem et diffidentiam esse peccatum et oriri ex naturali caecitate, quae repudiat promissionem Evangelii. Etsi igitur haeret in animis illa dubitatio, tamen opponi debent haec duo, scilicet promissio evangelica[5]) et mandatum, quod praecipit ut credamus illi promissioni. Repugnandum est igitur dubitationi et vincenda diffidentia, ac statuendum, quod Deus vere ignoscat credentibus eosque vere recipiat curet et exaudiat. Et hanc fidem verbo effici et ali sciamus.

---

1) concupiscentiae *B. C. W.* conscientiae *A.* 2) eis *A.* animis *B.* animus *C. W.* 3) quid *A. B. W.* qui *C.* 4) in *A. B. W.* — *C.* omitt. 5) promissio evangelica *B. C. W.* promissio Evangelii *A.*

Nec solum promissio requirit ut credamus, sed etiam praeceptum additum est immutabile, quod severissime mandat ut credamus vere nobis contingere propter filium Dei ea quae promissa sunt. Sicut dicitur 1 Ioan. 3[1]): Hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine filii eius. Item: Qui non credit Deo, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo. Et Hebr. 4: Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae. His mandatis et promissionibus repugnat doctrina, quae iubet dubitare.

Quare luctandum est cum dubitatione et erigenda fides in omni invocatione. Sicut et Iacob praecipit: Postulet in fide nihil haesitans. Nec placent Deo cultus in illis, qui non repugnant dubitationi, sed taciti apud se retinent diffidentiam quod non respiciantur, quod sint abiecti. Haec peccata agnoscere discamus, ut eis repugnemus et vera exercitia fidei excitemus.

Sic ergo intelligatur dictum Pauli: Omne quod non est ex fide peccatum est. Meminerimus facienda esse opera praecepta vel concessa[2]) a Deo, et facienda in hac fide, quod Deus sit nobis propicius propter mediatorem Christum et propter eum exaudiat et curet nos et condonet infirmitatem et bona opera adprobet.

Iam ad hanc sententiam conferantur cultus hypocritici. Cum faciant opera non mandata a Deo, non possunt credere talem cultum ei placere, quia nullum habent[3]) verbum de voluntate Dei. Secundo, quia doctrinam de fide improbant et iubent dubitare, accedit alia impietas, invocant sicut gentes, tacite cogitantes apud se se non respici non curari non exaudiri a Deo, fortassis etiam abiectos esse. Haec perpetua dubitatio est impietas, etiamsi mundus eam non iudicat peccatum.

Quomodo igitur dictum Salomonis intelligendum est: Nescit homo, an amore vel odio dignus sit? Respondeo simplicissime: Salomon[4]) non loquitur de iudicio conscientiae erga Deum, de gratia vel abiectione, sed de eventibus in hac vita, hos dicit esse incertos et bonis et malis similia adcidere in hac vita. Haec incertitudo[5]) offendit Epicureos ac movet ut negent providentiam. Abel est pius, et tamen trucidatur a fratre. Ioannes Baptista interficitur, interim tyrannus fruitur omnibus voluptatibus et multi impii non habuerunt tragicos exitus. Haec argumenta collegit Salomon, ut admoneat nos ne propter hoc scandalum deficiamus a Deo neve ex eventibus iudicemus de voluntate Dei, sed ex verbo. Item, ne pii fiant securi et exuant timorem Dei, ne fiducia propriae iusticiae aliquid moveant sine vocatione etc.

---

1) 1 Ioan. 3 *B. C. W.* in Ioan. 3 *A.* 2) vel concessa *A.* — *B. C. W.* omitt. 3) habent *A. B. C.* habeant *W.* 4) Salomon *A. B. C.* Solomon *W.* 5) incertitudo *B. C. W.* certitudo *A.*

De[1]) Ecclesia et de[2]) autoritate verbi Dei.

Saepe disputari solet, quantum tribuendum sit Ecclesiae sententiis, decretis Synodorum et scriptorum dictis. Etsi enim regulam tenemus, ut verbum Dei amplectamur, tamen cum videantur in apostolicis scriptis occurrere loci ambigui, disputant aliqui potius esse sententias Ecclesiae sequendas, quam scripta Apostolorum.

Deinde adfingunt autoritatem Ecclesiae anteferendam esse verbo Dei ac posse Ecclesiam mutare tradita in verbo Dei. Citant ad has opiniones dictum Augustini: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae catholicae commoveret autoritas. Itaque falso praetextu nominis Ecclesiae pontifices decernunt et praecipiunt multa pro libidine contra verbum Dei, confirmant et stabiliunt impiam doctrinam et impios cultus, ac plurimos etiam nunc deterret a vera doctrina Evangelii, quam profitemur, solum nomen Ecclesiae. Ideo necesse est de autoritate Ecclesiae recte admoneri homines.

Rursus etiam quaedam petulantiora ingenia, cum fingunt ex dictis scripturae male detortis novas opiniones, et prorsus[3]) aspernantur consensum verae Ecclesiae et omnes synodos sine discrimine, ut cum Servetus rixatur cum Ecclesia omnium temporum et depravat dicta de verbo Ioannis primo et quaerit concinniorem, ut ipse putat, interpretationem. Ut igitur talis petulantia coërceatur, aliquo modo septis, ut ita dicam, opus est Ecclesiae, sicut veteres synodi et scriptores adlegant prima testimonia ab Apostolis et certis autoribus adcepta.

Tertullianus contra Praxeam inquit, hanc regulam tenendam esse adversus omnes haereses[4]): Rectum esse[5]) quodcunque primum est, adulterinum vero quodcunque posterius. Et quidem vocat primum, quod Apostoli certo tradiderunt, sic enim ipse sese interpretatur.

Irenaeus contra Florinum adlegat autoritatem superiorum ac nominatim Polycarpi, qui fuerat auditor Ioannis Apostoli. Inquit enim, execraturum fuisse dogmata Florini, si ea audisset et vitaturum locum, in quo illa dicta essent, tanquam pollutum.

Basilius adlegat nutricem suam, cuius pietatem ait tunc in primis fuisse laudatam, et addit eam adcepisse doctrinam a Gregorio Neocaesariensi, qui illo tempore eruditione et miraculis claruit et refutavit Samosatenum ac reliquit brevem confessionem fidei, quae continet illustre testimonium de Trinitate; extat autem in libro 7 Ecclesiasticae historiae.

Origenes adlegat Apostolos de baptismo infantum. Ait enim in cap. 6 ad Rom. Ecclesias adcepisse traditionem ab Apostolis, ut

---

1) Hanc Melanthonis de Ecclesia et de autoritate verbi Dei disputationem, quam praebent *A. C. W.*, *B.* omittit. 2) de *A.* — *C. W.* omitt. 3) et prorsus *C. W.* ut prorsus *A.* 4) adversus omnes haereses *C. W.* adversus haereses *A.* 5) esse *A.* est *C. W.*

baptizentur infantes. Hi recte adlegant autoritatem Ecclesiae. Quare ordine dicam, quid sit Ecclesia et quod audienda sit ac probatis testimoniis utendum, et tamen doctrina iudicanda sit ex verbo Dei, ut maneat summa autoritas verbi Dei[1]) iuxta illud: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit.

Primum autem cum nomino Ecclesiam, non intelligo Pontifices Episcopos et ceteros, qui probant ipsorum opiniones. Nam hi sunt hostes verae Ecclesiae, partim Epicurei, partim idolatrae manifesti. Sed voco Ecclesiam coetum vere credentium, qui habent Evangelium et sacramenta et sanctificantur Spiritu sancto, sicut Ephes. 5 describitur Ecclesia, et Ioannis 10: Oves meae vocem meam audiunt.

Etsi autem necesse est, hanc veram Ecclesiam semper durare, quia regnum Christi est perpetuum et scriptum est: Manebo vobiscum usque ad consummationem saeculi, tamen sciendum est hanc veram Ecclesiam non semper pariter florere, sed saepe admodum exiguam esse, ac subinde restitui divinitus missis veris doctoribus, ut Noae tempore fuit angusta Ecclesia et paucorum coetus.

Ita post diluvium retinuit veram doctrinam Melchisedech, qui fuit Sem, filius Noae; et cum idolatria apud Chaldaeos crevisset ac pene ubique extincta esset vera doctrina, Deus renovat Ecclesiam vocato Abraham. Postea familia Abrahae et pauci eius auditores sunt Ecclesia, cum interim Chaldaei et Aegyptii gloriarentur se esse posteros patrum, se retinere patrum exempla et cultum, et praedicarent se esse populum Dei, cum verbum Dei non retinuissent, etiamsi ceremonias retinuerant, quibus tamen adfinxerant perversas opiniones et addiderant idolatriam.

Tempore Achaz fuit in Israël pene extincta Ecclesia, postea per Eliam et Elisaeum rursus aucta est, deinde iterum collapsa est.

Cum nasceretur Christus, fuit in Iuda admodum exigua Ecclesia, Maria, Ioseph, familia Zachariae, Simeon, Anna, pastores et pauci alii. Interea regimen ecclesiasticum fuit penes Pharisaeos et Saducaeos, qui erant plane impii. Saducaei etiam erant Epicurei, et tamen adrogabant sibi praecipue titulum populi Dei.

Sic et tempore Prophetarum exigua fuit vera Ecclesia. Esaiae primo: Nisi Dominus reliquisset semen, sicut Sodoma et Gomorra facti essemus. Haec verba gravissime monent nos ne de Ecclesia cogitemus tanquam de mundana politia, ne eam successione Episcoporum aut gradu et loco pontificum metiamur, sed apud eos statuamus Ecclesiam, qui retinent veram doctrinam Evangelii. In hoc coetu esse aliquos vere credentes necesse est. Nam ad hunc coetum pertinent promissiones. Ideo Esaias detrahit illum

1) Dei *A.* — *C. W.* omitt.

augustum titulum suis principibus et pontificibus et inquit exiguum semen reliquum esse in illo ipso populo, qui vocabatur populus Dei.

Et Ieremiae tempore, cum ei[1]) reges et sacerdotes adversarentur, non erat Ecclesia coetus sacerdotum, sed illi qui credebant concionibus Ieremiae. Amos 3: Sic liberabitur Israël, ut si pastor duo crura leoni ex faucibus eripiat. Denique fuit exigua Ecclesia prae multitudine impiorum, cum omnes gentes praeter populum Iuda prorsus amisissent noticiam Dei.

Praedicit et scriptura futuras post Apostolos Ecclesiae clades, Matth. 24[2]): Multi pseudoprophetae surgent et decipient multos. Item: Cum videbitis abominationem desolationis stantem in loco sancto. Hic significat in Ecclesia, quae sic dicitur, orituram esse idololatriam, qua obruentur vera doctrina et veri cultus et fiet Ecclesiae vastitas, id est solitudo seu extinctio: atque ita adcidit. Postquam abusus Missarum et cultus traditionum orti sunt, secutae sunt tenebrae de veris cultibus, de fide, de invocatione in fide, de officiis vocationis. Quia conscientia intuens in propria merita, non potest remissionem peccatorum intelligere nec veram invocationem et expectationem auxilii divini etc.

Item, facient signa et prodigia, ut si fieri posset seducantur etiam[3]) electi. 2 Thess. 2: Veniet defectio etc. Luc. 18: Putas quod veniens filius hominis inveniet fidem? Psalm. 88: Nunquid vane constituisti omnes filios hominum? etc. Est enim querela de ventura Ecclesiae ruina. Haec dicta testantur, etiamsi Ecclesiam conservari necesse est, tamen praesertim postremo tempore admodum exiguam et paucorum coetum esse, qui sunt spreti et abiecti in hac vita, sicut inquit Paulus: Non multi sapientes, non multi potentes etc.

Haec testimonia eo citavi, ut primum cogitetur quid sit Ecclesia, et abducatur animus a carnalibus opinionibus, quae fingunt Ecclesiam esse politiam pontificum et adligant[4]) eam ad ordinariam[5]) successionem Episcoporum, sicut imperia consistunt in ordinaria successione principum; sed Ecclesia aliter se habet: est enim coetus non adligatus ad ordinariam successionem, sed ad verbum Dei. Ibi renascitur Ecclesia, ubi Deus restituit doctrinam et dat Spiritum sanctum. Et hoc modo regi et conservari Ecclesias, non ordinaria successione, testatur Paulus Ephes. 4: Dedit dona hominibus, Apostolos Prophetas etc. Docet enim eam esse proprie Ecclesiam, in qua Christus est efficax et cui dat veros doctores.

Ideo cum obiicitur nobis nomen et autoritas Ecclesiae, primum consideremus an fiat mentio verae Ecclesiae, an vero coetus

---

1) ei *A.* et *C. W.* 2) 24 *C. W.* 23 *A.* 3) etiam *A. W.* enim *C.* 4) adligant *C. W.* adle ant *A.* 5) ordinariam *A. W.* ordinarium *C.*

pontificum et successionis illius et politiae, nec nos sinamus a verbo Dei deterreri falso praetextu nominis Ecclesiae.

Secundo: Postquam dictum est quae sit vera Ecclesia, iam addendum est hanc veram Ecclesiam, quae est exigua ac tantum sanctorum, retinere veram doctrinam Evangelii seu articulos fidei, sicut Paulus eam vocat sedem veritatis. Sed haec ipsa vera Ecclesia habet doctrinam alias magis, alias minus puram et perspicuam. Habet et multa infirma membra, ut Apostoli erant Ecclesia, nec tamen intelligebant ante Christi resurrectionem quale esset futurum regnum Christi. Petrus etiam post datum Spiritum sanctum adhuc imaginabatur cultus legis necessarios esse, sed de coelo admonitus didicit regnum Christi non esse politiam Iudaicam, sed cultus spirituales ac perpetuos, Act. 9.

Postea incoata praedicatione Apostolorum lucebat in ipsis doctrina pura et perspicua, et tamen interea erant multi infirmi, qui tametsi essent vera membra Ecclesiae et tenerent articulos fidei, tamen aliquid addebant erroris, ut qui observabant cultus legis nec satis intelligebant abrogationem legis et veros cultus. Hic error non erat levis et aliquam caliginem offundebat articulis fidei. Ita Christus praedicit de Ecclesia postremi temporis futuras magnas tenebras, quae etiam electos impedient, quo minus puram doctrinam habituri sint[1]).

Manet igitur aliqua vera Ecclesia, quae retinet articulos fidei, sed interdum minus puros et obscuratos aliquibus incommodis opinionibus et habentibus aliquid erroris. Ac loquor adhuc de veris Ecclesiae membris et sanctis, non de aliis, qui amissa luce verbi amittunt Spiritum sanctum et sequuntur rationis iudicium, et cum putent se admodum pia tradere, dicunt aliena et impia. Sicut nunc quoque multi sunt praestantes doctrina bonis moribus specie pietatis, qui videntur sibi sanctissima dicere, cum procul absint a vera luce, hoc est a vero intellectu verbi Dei. De talibus nondum loquor, verum adhuc tantum fit mentio de veris membris Ecclesiae, quae magna ex parte sunt infirma.

Sic igitur inquit Paulus: Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est. Sed alius superaedificat aurum, alius lignum, stipulas etc. Fundamentum intelligit articulos fidei, hoc est summam doctrinae Christianae et doctrinam de beneficiis Christi, sed ad hanc inquit addent alii utilem doctrinam et explicationem et veros cultus spirituales: haec vocat aurum. Alii addent stipulas, id est opiniones incommodas et aliquid erroris habentes, sicut initio statim conditae sunt ceremoniae, quae secum traxerunt falsas opiniones.

Ut Ambrosium existimo esse verum membrum Ecclesiae, is

1) habituri sint *C. W.* habituri sunt *A.*

tamen inquit de ieiunio quadragesimae: Cetera ieiunia sunt voluntatis, hoc necessitatis est. Haec opinio est stipula addita doctrinae fidei.

Sic[1]) Basilius addidit Monasticen tanquam stipulas et laudat hoc genus vitae immodicis et falsis praeconiis, cum quidem ab Episcopo suo reprehenderetur. Quod autem non sit leve erratum instituere novos cultus, saepe monet scriptura et satis significat haec una sententia: Frustra colunt me mandatis hominum. Grave peccatum est contra primum praeceptum, cultus non mandatos a Deo instituere aut adprobare. Nam primum praeceptum, cum prohibet alienos Deos, etiam prohibet[2]) alienos cultus.

Cyprianus urget poenas canonicas, quarum tunc erat usus, et confirmat opiniones, quasi sint necessariae et propter eas remittantur peccata; interdum inquit absolutionem sine illis inutilem esse. Fortasse sentiebat commodius, quam locutus est, tamen illi errores non sunt leves, sed admodum densae stipulae, obscurantes puram doctrinam de beneficiis Christi et de fide.

Porro saepe scriptores commodius senserunt quam loquuntur, quia plerique fuerunt admodum in dicendo negligentes et improprii et multas sententias ac formulas a vulgo mutuantur, in quibus aliquid inest errorum, ut nomen satisfactionum sumit Augustinus a vulgo, etiamsi errores de satisfactionibus palam reprehendit. Torquet se in hac sententia interpretanda: Omne peccatum est voluntarium, ubi disputat de peccato originis, cum tamen sententia sit civile dictum, de externis delictis traditum.

Sic vocant coenam domini oblationem populi more, cum non sit instituta oblatio, sed Christus ipse fuerit sacerdos, suum[3]) offerens sacrificium. Ac ne fiebat quidem olim in ceremonia coenae oblatio corporis et sanguinis, sed ante consecrationem offerebantur panes et aliae res, et sacerdos dicebat se offerre preces, gratiarum actionem et totum cultum, qui ibi fieri solet. Etsi igitur oblatio non uno modo intellecta fuit, tamen postea nomen detortum est ad oblationem corporis, unde secuti sunt ingentes abusus.

Dionysius in eo libro, qui continet ceremonias Ecclesiae, cum ritum syntaxis diligenter describat, tamen prorsus nullam facit mentionem de oblatatione corporis dominici. Nec canon Basilii continet hanc oblationem. Sed postea dicam plura de coena Domini. Haec tantum addidi, ut ostenderem veteres interdum mutuatos esse sermones incommodos a populo, ut fieri solet omnibus aetatibus.

Interdum vincuntur iudiciis et exemplis multitudinis, quae non est pia, ut trahantur in supersticiones aliqua humana imaginatione, ut in Synodo Nicena, nisi unus Paphnutius obstitisset,

---

1) sic *A.* sed *C. W.* 2) alienos Deos, etiam prohibet *A. W.* — *C.* omitt. 3) suum *A. W.* — *C.* omitt.

fuisset adprobata sententia illorum, qui volebant decretum fieri ut sacerdotes abstinerent a suis uxoribus. Sic Cyprianum et multos alios vicit consuetudo, ut probarent prohibitionem coniugii.

Item tota synodus Nicena consensu multitudinis aut temporis victa adprobavit Canones poenitentiae, qui postea pepererunt non tolerandos errores. Magna exempla etiam pios saepe fallunt, sicut Antonii exemplum multis offudit caliginem. Hactenus dixi de piis, qui etiamsi sunt sancti, tamen plurimi sunt infirmi. Addam nunc de lapsis.

Interdum pii prorsus labuntur et amittunt Spiritum sanctum, sicut Origenem iudico[1]) prorsus fuisse lapsum, praesertim si adfirmavit illos prodigiosos errores, quod fuerint innumerabiles mundi, quod diaboli postremo sint[2]) salvandi. Tertullianus etiam impie damnat secundas nuptias: fortassis autem resipuerunt. Multi enim vere lapsi in vita et doctrina tamen resipiscunt. Et saepissime fit ut sancti vere labantur nec iudicent iuxta verbum et spiritualem lucem, sed decipiantur imaginatione rationis, qui tamen deinde resipiscunt. Sicut Gedeon prorsus lapsus est, humano consilio instituens cultum.

Ex his omnibus sequitur conclusio: Etsi vera Ecclesia, quae est exigua, retinet articulos fidei, tamen illa ipsa vera Ecclesia potest habere errata obscurantia articulos fidei. Praeterea multi ita labuntur, ut adprobent prorsus impios errores contra articulos fidei, etiamsi fortassis aliqui resipiscunt.

Primum igitur, cum autoritas Ecclesiae adlegatur, quaerendum est an fuerit verae Ecclesiae consensus congruens cum verbo Dei.

Deinde dicendum est, scriptores qui extant saepe lapsos esse et fortassis aliquos ne quidem membra Ecclesiae esse.

Tertio addendum est aliud discrimen. In illo coetu, qui vocatur Ecclesia, est ingens multitudo impiorum, quorum plerique antecedunt ceteros autoritate, specie religionis, opinione doctrinae, quales fuerunt in populo Iuda tempore Hieremiae pontifices et sacerdotes impii, qui et ipsi contra Hieremiam adlegabant autoritatem sedis ac legis et promissiones: Non peribit lex a sacerdotibus, negabant suum coetum errare posse, cum tamen prorsus errarent et dissentirent a Hieremia. Item tempore Christi erant paucissimi pii, videlicet Zacharias et Simeon.

Porro cum impia multitudo dominatur in Ecclesia, constituit nomine Ecclesiae multa falsa et impia. Talis multitudo amplexa est adplicationem Missarum pro vivis et mortuis, cultus votorum et sanctorum, postea exemplum nocuit piis. Talis multitudo etiam in synodo constituit, divellenda esse coniugia sacerdotum. Saepe autem adcidit in Ecclesia, ut impii excellentes ingeniis sumant impetus constituendi religionem humana sapientia, qui cum non mo-

1) iudico *C. W.* iudicio *A.* 2) sint *C. W.* sunt *A.*

veantur verbo Dei sed ducantur rationis imagine[1]) et quaerant concinnas opiniones, gignunt impia dogmata, sicut Samosatenus Arius Pelagius. Alii quaerunt merita aut quaerunt speciosum regimen, εὐταξίαν populi, et his causis moventur ad instituendos et cumulandos cultus, ut monachi et[2]) Gregorius et hoc tempore pontifices principes et multi viri docti cupientes constituere Ecclesiam moventur humana sapientia et omisso verbo Dei volunt Ecclesiam iuxta suas imaginationes constituere: nec vident esse horribilem impietatem discedere a verbo Dei, quaerere Deum sine verbo, cultus instituere humano arbitrio sine mandato Dei, vera dogmata mutare et opprimere puritatem verbi Dei.

Cum igitur obiicitur autoritas Ecclesiae, ut de Missarum adplicatione: Ecclesia non errat, Ecclesia tot saeculis adplicavit Missas: igitur mos est servandus.

Respondendum est ad maiorem: Ecclesia universa, quae est multitudo dominantium in Ecclesia, potest errare, sicut errabant pontifices et sacerdotes Ieremiae aut Christi tempore. Et quanquam praeter illam multitudinem sunt aliqui pii, qui retinent articulos fidei, tamen hi quoque moti exemplis adsentiuntur quibusdam erroribus. Ita fit ut articulos fidei minus puros retineant, sicut videtur Bernardus commodius sensisse quam ceteri, etsi multis erroribus adsensit, ut abusui Missarum, potestati pontificiae, votis, cultui sanctorum.

Non igitur multitudinis autoritas adleganda est contra verbum Dei, sed redeundum ad regulam: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Prima sit autoritas verbi divinitus traditi. Deinde illa est Ecclesia existimanda, quae cum verbo illo consentit, ut inquit Christus: Oves meae vocem meam audiunt, et Augustinus: Quaestio est, ubi sit Ecclesia, quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quaesituri sumus, an in verbis capitis sui Domini nosti Iesu Christi? Puto quod in illius[3]) verbis quaerere debemus, qui veritas est et optime novit corpus suum.

Sed hic obiicitur, si repudiatur autoritas Ecclesiae, conceditur deinde nimis magna licentia petulantiae ingeniorum, nam reiectis Ecclesiae sententiis, multi excogitabunt novas et impias interpretationes scripturae. Hoc periculum cum non sit contemnendum et prosit illam licentiam coërcere, rursus videndum est, quatenus requirenda sit autoritas Ecclesiae. Servetus enim, cum renovat[4]) impium errorem Samosateni et negat Verbum intelligi personam in hoc dicto: In principio erat verbum, magnifice praedicat autoritatem scripturae, iubet hanc anteferri Ecclesiae decretis, deinde callide

1) imagine *A.* imaginatione *C. W.* 2) et *A.* — *C. W.* omitt. 3) illius *A. W.* illis *C.* 4) renovat *A. W.* revovat *C.*

disputat sermonem simpliciter intelligendum esse. Cum autem[1]) verbum in communi hominum sermone non significet personam, negat apud Ioannem intelligendam esse personam, ut si Demosthenes hoc dictum legeret: In principio erat verbum, certe non cogitaret intelligi personam aliquam.

Quaero igitur, an adversus tales non prosit opponere autoritatem Ecclesiae? Hic respondeo: Sicut Evangelium praecipit audiri Ecclesiam, ita semper dico eum coetum, penes quem fuit verbum Dei et qui dicitur Ecclesia, audiendum esse, sicut iubemus quoque audiri nostros pastores. Audiamus igitur docentem et admonentem Ecclesiam, sed non propter Ecclesiae autoritatem credendum est. Nam Ecclesia non condit articulos fidei, tantum docet ac admonet. Verum propter verbum Dei credendum est, cum videlicet admoniti ab Ecclesia intelligimus hanc sententiam vere et sine sophistica in verbo Dei traditam esse.

Fortassis Demosthenes non cogitaret de persona, si legeret: In principio erat verbum. Sed auditor admonitus ab Ecclesia, quod Verbum significet personam scilicet filium Dei, adiuvatur iam ab Ecclesia docente et admonente et articulum credit non propter Ecclesiae autoritatem, sed quia videt hanc sententiam habere firma testimonia in ipsa scriptura, videt de quadam persona dici, quae adsumta humana natura in mundo conversata est cum hominibus. Hanc personam videt adpellari λόγον. Colligit testimonia apta et firma de duabus naturis in Christo, scit enim de natura Dei credendum esse voci coelesti, ac summam impietatem esse comminisci opiniones de natura Dei sine ipsius testimonio. 2 Petri 1. Et Matth. 17[2]): Hunc audite.

Item valet prima Ecclesia ut testis Apostolorum. Loquor autem de dogmatibus, non de humanis traditionibus. Nam dogmata volebant esse firma et perpetua. Ritus humanos non volebant esse perpetuos aut immutabiles. Nec errabant Apostoli in doctrina. Ideo prodest tenere, ubi adlegent[3]) vetustissimi scriptores autoritatem Apostolorum.

Ut de Trinitate citant eos Origenes Tertullianus Irenaeus Gregorius Neocaesariensis Alexander Episcopus Alexandrinus et alii multi, qui cum testentur doctrinam de Trinitate ab Apostolis adceptam esse, valde confirmant pios. Itaque talia testimonia non sunt aspernanda.

Dixi autem audiendos esse scriptores, sicut nunc quoque dicimus audiendos esse concionatores, quia aliqui manent in Ecclesia, qui retinent veritatem alias purius, alias impurius. Sed addendum est, ut auditi iudicentur ex verbo Dei, quod semper manet regula doctrinae.

---

1) autem *A. W.* enim *C.* 2) 17 *A.* 16 *C. W.* 3) adlegent *A.* adlegant *C. W.*

Exempla.

Augustinus de peccato originali acrius contendit quam reliqui. Docet igitur et monet, cumque videamus eum vere et sine sophistica recitare sententiam scripturae, credimus articulum non propter Augustinum, sed propter verbum Dei, et videmus idem sentire superiores, etiamsi hunc articulum non tam copiose aut tam perspicue tractarunt.

Aliud.

Petrus Alexandrinus Episcopus contra Meletium contendit lapsos recipiendos esse et adlegat veterem autoritatem. Nam haec verba recitat Epiphanius: ut doctrina, quae ad nos usque pervenit, tradit. Docet igitur et monet Episcopus ille Alexandrinus recipiendos esse lapsos. Id credimus non propter hunc Episcopum, sed quia videmus hanc sententiam traditam esse in verbo Deo, et adcedunt testimonia veteris Ecclesiae.

Idem de synodis dico, audiendas esse Ecclesiae synodos, quae cum de verbo Dei disputant docent et monent nos, sed iudicium adcedat, et cum vera tradunt[1]), credamus propter verbum Dei: ut Nicena synodus pie et utiliter docuit et admonuit omnem posteritatem de filio Dei, sed articulum credimus non propter synodum, sed quia videmus sic traditum esse in verbo Dei.

Cetera quae sunt extra scripturas, non sic amplectenda sunt, ut synodus Nicena condidit Canones poenitentiae, qui sunt traditiones humanae extra scripturam et fuerunt semina multarum superstitiosarum opinionum.

Samsonis convivae non poterant interpretari aenigma in convivio propositum, nisi interrogata eius coniuge. Quare Samson inquit: Nisi arassetis vitula mea, non invenissetis meam quaestionem. Sic circumspiciendum est ubi sit coetus, qui habet verbum Dei, et videndum qui coetus patrum ac synodorum sit purior, hoc est minus habens opinionum extra verbum Dei. Haec Ecclesia docet monet testatur. Sed videndum est an ea quae proponit habeant firma testimonia verbi Dei.

Ac profecto pios fateri decet, Patres bene meritos esse de posteritate, qui acerrimis contentionibus propugnaverunt et retinuerunt pia dogmata, id beneficium non est leve ducendum. Huc pertinet Augustini dictum: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae moveret autoritas. Non sentit Augustinus maiorem esse[2]) Ecclesiae autoritatem, quam verbi divini, aut Ecclesiam posse abolere articulos in verbo Dei[3]) traditos, sed sentit Ecclesiam esse doctricem

---

1) tradunt *A. W.* trahunt *C.* 2) esse *C. W.* — *A.* omitt. 3) Dei *A. W.* — *C.* omitt.

et testem: Non crederemus Evangelio, nisi Ecclesia doceret nos et testaretur hanc doctrinam ab Apostolis traditam esse.

Valet etiam hoc dictum ad refutanda nova dogmata, quae nunquam in Ecclesia extiterunt, sicut Manichaei nova deliramenta excogitaverunt. Nam dogmata necessaria pietati necesse est initio extitisse in praedicatione Apostolorum: ergo nova et prorsus ignota Ecclesiae apostolicae sunt reiicienda. Sed de dicto Augustini alias disputatum est copiosius, certe non concedit Ecclesiae autoritatem statuendi contra verbum Dei aut abolendi articulos in verbo Dei traditos aut condendi novos articulos fidei.

Catalogus.

Aliquot synodorum et patrum exempla colligam, ut adpareat in illis contineri dissimiles materias, ne sine discrimine omnia omnium dicta aut omnes veterum ritus pro necessariis recipiantur. Sicut inepti quidam ita admirantur antiquitatem, ut omnes veteres ritus humanos velint restitui, perinde ac si nunc velint Spartani omnes veteres ritus suae Reipublicae restituere [1]), cum ritus ab hominibus excogitati partim sint viciosi, partim etiamsi sunt [2]) probabiles, tamen non omnibus temporibus congruant [3]).

Synodus Neocaesariensis vetat ne sacerdotes adcedant ad convivia secundarum nuptiarum, ne eas videantur adprobare. Tales ridiculae constitutiones multae bonis admixtae sunt. Quare delectus habendus est nec temere omnibus dictis veterum adplaudendum.

Anno Domini 324 Nicena synodus a Constantino convocata est, in qua praefuit Antiochenus Episcopus Eustathius. In hac synodo gravissimae controversiae dogmatum diiudicatae sunt et recte damnati sunt errores Samosateni et Arii. Item Catharorum *), qui lapsos negabant recipiendos esse ac negabant eos consequi remissionem peccatorum.

Postea politicâ quaedam ordinata sunt de gubernatione Ecclesiarum, ut Alexandrinus Episcopus praeesset Ecclesiae Orientis, et Romanus Ecclesiis nationum vicinarum: item, ut Episcopi ordinentur a vicinis Episcopis. Haec politica etsi sunt utilia, tamen non volebant haberi pro articulis fidei.

Tertio addiderunt quaedam ceremonialia, videlicet Canones poenitentiae, ut vocabant, qui initio minus duri erant et fortasse minus habuerunt supersticionum. Sed postea crevit onus ipsum et crevit supersticio et est obscurata gratuita condonatio: Quare in

*) *Καθαροὶ* postea Novatiani dicti [4]).

1) restituere *A.* instituere *C. W.* 2) sunt *A. C.* sint *W.* 3) congruant *A.* congruunt *C. W.* 4) *Καθαροὶ* — dicti *A. W.* — *C.* omitt.

hac re patres non satis cauti fuerunt. Cumque eventus postea ostendit talibus exemplis[1]) supersticiones crescere, non ita miremur in hac re synodum, ut velimus illos Canones aut adprobare aut restituere. Nec propterea dissentimus a veteri Ecclesia, retinemus articulos synodi de dogmatibus, quae proprie ad Ecclesiam pertinent. Ceterae quae sunt extra vel contra verbum Dei non pertinent ad Ecclesiam.

Anno Domini 383 Constantinopolitana synodus a Theodosio convocata est, in qua praefuit Episcopus Constantinopolitanus; controversia gravis diiudicata est de Spiritu sancto, quod sit persona procedens a patre et filio et sit Deus, et recte damnati sunt Eunomius et alii, qui contrarium senserant. Sunt et politica quaedam ordinata, ne Episcopi in alienis dioecesibus aliquid administrent.

Anno 433 Ephesina synodus convocata est a iuniore Theodosio, in qua praefuit Cyrillus Alexandrinus. Haec synodus recte damnavit Nestorium, qui negabat in Christo unitum esse verbum humanae naturae substantiali unione, sed tantum adesse verbum et inhabitare in humana natura velut hospitem in domicilio, ut ibi esset efficax.

Haec fuit magni momenti controversia: nam in Christo vere et substantialiter unitae sunt duae naturae. Nec verum est humanam naturam solam esse Christum ac domicilium esse verbi adsistentis. Inde urserunt pii has formas loquendi de unitate personae, Deum esse natum, passum etc. Etsi autem Nestorius negabat se cum Samosateno sentire, tamen suspicor eum re ipsa idem sensisse, sed in speciem aliter proposuisse vetus delirium involucris tectum.

Anno 452 Chalcedonensis synodus convocata est a Martiano Imperatore, in qua recte damnatus est Eutyches, qui negavit etiam duas naturas in Christo ac contendit ipsam verbi naturam divinitus missam editam esse per virginem, nec duas esse naturas unitas. Videtur et hic renovasse delirium Samosateni, sed alio involucro propositum. Hoc iudicium synodi laudandum est.

Ceterum creverant iam in Ecclesia humanae traditiones. Ideo aliquas addidit haec synodus viciosas constitutiones, non de dogmatibus, sed de ceremoniis et cultibus extra scripturam, et tamen adhuc sunt verecundiores hae constitutiones, quam aliae postea natae. In hac synodo primum facta est constitutio, quae prohibet nuptias monachis et virginibus, quae vota fecerunt, et excommunicat tales contrahentes connubia, quanquam addit mitigationem, posse et hoc concedi iudicio Episcopi.

Verum multa politica utiliter tunc constituta sunt, ne Episcopi

1) exemplis *A. W.* exempli *C.*

ipsi tenerent administrationem facultatum ecclesiasticarum, sed ut Ecclesiae haberent Oeconomos: ne quis plura ministeria teneret: item, ne quis sine ministerio ordinaretur. Item ut in singulis provinciis Episcopi quotannis conveniant et synodos habeant de praesentibus Ecclesiae controversiis.

Haec utilia decreta synodorum adversarii dissimulant ac interim alia leviora proferunt, ut videantur[1]) nobis opponere veteris Ecclesiae autoritatem.

Fuerunt interim et aliae synodi, seu provinciales seu frequentiores, in quibus convenerunt vicinarum provinciarum Episcopi. Talis fuit synodus Antiochena ante Nicenam, convocata adversus Samosatenum, quae pie et recte damnavit Samosateni impietatem. Talis item fuit synodus Gangrensis in Galatia vetus et pura, habet optima decreta contra superstitiones de coniugio, de cibis, de monachatu. Et adparet hanc synodum convenisse propter Montanum Marcionem et similes, qui illas superstitiones valde auxerunt.

Secutae sunt aliae posteriores, ut Ancyrana, quae habet hanc constitutionem memorabilem: Si Diaconi in ordinatione non promiserint se victuros coelibes, retinendi sunt in ministeriis, etiamsi postea ducunt uxores: sed si promiserint et postea tamen duxerint uxores, removendi sunt a ministerio. Habet et alios Canones de annis poenitentiae periculosos et superstitiosos.

Laodicena recte damnat Novatianos, sed errat taxans digamos etiam laicos, iubet eos prius puniri quam admittantur ad communionem, prohibet etiam baptismum post duas septimanas quadragesimae. Cetera politica sunt honesta, ut cum prohibet nuptias cum haereticis. Haec synodus non longo intervallo secuta est Nicenam.

Sub Honorio Imperatore fuit Toletana prima synodus, quae continet multa capita utilia de doctrina. Nam pie recenset articulos de divinitate et naturis Christi et alios quosdam. Postea quaedam adtexit politica et ceremonias de chrismate et de votis. Haec synodus prohibet diaconos evehi ad munus presbyteri, si non abstineant a legitimis uxoribus. Item excommunicat parentes, qui filias votis obligatas, si nubant, parentum adfectu complectantur. Item ipsas nuptas non admittit ad communionem, nisi discedentes a maritis.

Carthaginensis quinta, anno 438 habita, prohibet Episcopis presbyteris et diaconis consuetudinem legitimarum coniugum, ita paulatim cumulata est prohibitio. Antea diaconis concessa erat consuetudo cum uxoribus, ut testatur Ancyrana synodus, postea secuta est prohibitio. Et hae constitutiones de coelibatu subinde in omnibus synodis repetuntur et adduntur acerbiores poenae, sicut

1) videantur *C. W.* videatur *A.*

quaedam Toletana synodus constituit, ut facultates mulierum vendantur, si redeant ad viros.

Porro haec Carthaginensis synodus continet et aliam memorabilem constitutionem de sacellis et aris sanctorum, ubi non sunt eorum corpora condita. Has aras et sacella iubet Episcopos demoliri, aut si metuant tumultus iubet eos in concionibus populum dehortari, ne ad illa loca adcedant. Adparet aliquos crescentem superstitionem in cultu sanctorum voluisse prohibere.

Synodus Carthaginensis anni 457 egit de provocatione Episcoporum. Romanus pontifex postulavit ut concederetur provocatio, ubicunque aliquis ad Romanum provocasset, idque ut obtineret commisit falsum, citavit commenticium decretum, quod adfirmabat in eam sententiam editum esse in Nicena synodo. Postea ex Constantinopoli petitis exemplis deprehensa est vanitas et repudiata petitio Romani pontificis. Huic synodo interfuit Augustinus. Talibus artificiis Romani pontifices viam sibi ad primatum struxerunt. Hoc exemplum monet ne ita miremur antiquitatem, ut eam omnibus viciis liberemus.

Carthaginensis quarta decretum continet de precatione et oblatione pro mortuis, his verbis: Poenitentes, qui diligenter servarunt Canones poenitentiae, si casu moriantur ante communionem, commendetur eorum memoria precationibus et oblationibus. Illa aetas nondum habebat privatas Missas, sed tamen paulatim superstitio creverat. Hic Canon non recipit mortuos, nisi diligenter servatis ritibus poenitentiae. Item, addit morem de oblationibus.

Tractavit causam gravissimam synodus Milevitana, cui interfuit Augustinus, et recte defendit piam doctrinam de peccato originali, de gratia et de iustificatione. Habet et politica quaedam, in quibus haec sunt memorabilia, vetat provocationem ad transmarinos Episcopos. Hoc decretum nunc ne Romanus quidem pontifex reciperet. Vetat item ab Imperatore peti iudices, non Episcopos. Id illis temporibus congruebat, nunc esset durum: de divortio etiam sanxit, ne persona innocens rursus contrahat matrimonium, et addit petendum esse ut Imperator legem in eam sententiam ferat. Id quoque durius est. Nam Romae Fabiola contraxit aliud connubium, ut adparet ex Hieronymo.

Ea synodus confirmat et superstitionem de votis, concedit velari virgines ante vigesimum quintum annum contra veteres Canones. Quanquam igitur de doctrina tolerabiliter pronunciavit, tamen postea adcedunt aliquae stipulae et superstitiosae constitutiones. Quare non omnia synodorum decreta sine delectu probanda sunt, et tamen fatendum est pias synodos bene meritas esse, quia aliquos doctrinae Christianae articulos conservaverunt, et de his prodest tenere synodorum et antiquitatis testimonium.

De ecclesiasticis scriptoribus vetustis.

Hi quoque bene[1]) meriti sunt, praesertim quatenus sunt testes veteris et primae Ecclesiae Apostolorum. Confirmant enim nos suo testimonio de Trinitate, de naturis in Christo, de baptismo infantum, de usu coenae Domini, de ordinatione ministrorum, de coniugio ministrorum[2]), de usu indifferentium, de poentientia lapsorum. De his articulis omnibus citantur memorabilia exempla Apostolorum, quae nobis patrocinantur.

Ceterum scriptores alii in aliis materiis fuerunt diligentiores et, ut est humanum, saepe inconsiderate effundunt absurdas et falsas sententias, quas admoniti haud dubie fuerant correcturi. Saepe cum non male sentirent, tamen non satis perspicue dicere potuerunt quod volebant. Saepe propter temporum consuetudinem praesentes traditiones durius defenderunt, aliquas etiam falsas opiniones interdum habuerunt. Quare non sunt sine delectu omnia patrum scripta probanda, et saepe ipsi inter sese pugnant, nec rarum est dissentire aliquem a seipso. Quare iudicium esse debet penes apostolicam scripturam. Sed subiicio exempla.

De Origene.

Origenes citans Apostolorum et veterum Ecclesiarum exempla et sententias, est testis utilis posteritati de aliquot articulis, de Trinitate, de duabus naturis in Christo, de baptismo infantum, de peccato originali, de usu coenae Domini et de aliis quibusdam.

Ceterum miscuit suis scriptis[3]) multas falsas et absurdas sententias, quarum aliquas etiam ipsius aetas improbavit. Fingit ante hunc mundum fuisse plures mundos. Fingit diabolorum et damnatorum poenas cessaturas esse. Haec ipsius aetas etiam reprehendit.

In Rom. tractans hanc propositionem: Fide iustificamur, non ex operibus, intelligit eam κατὰ συνεκδοχήν, fide sumus iusti, id est perfecta fide complectente omnes virtutes. Idque declarat, dicit idem posse dici de ceteris virtutibus: misericordia sumus iusti, scilicet perfecta, complectente ceteras virtutes. Hoc nihil aliud est dicere, quam homines propter opera et propter virtutes suas habere remissionem peccatorum et iustos esse. Cumque non adtendat quid agat Paulus, quid vocet fidem, quid sibi velit illa exclusiva: Non ex operibus, addit enarrationes confusas et perplexas, nec sibi constat.

Interdum enim effundit aliquod tolerabile dictum, sed id postea mox corrumpit, quale illud est Rom. 4: Initium iustificationis a Deo est fides, quae credit in iustificantem, et haec fides cum iusti-

1) bene *C. W.* — *A.* omitt. 2) de coniugio ministrorum *C. W.* — *A.* omitt. 3) scriptis *A.* scripturis *C. W.*

ficata fuerit, tanquam radix imbre suscepto haeret in animae solo, ut cum per legem Dei excoli coeperit, surgant in eo rami, qui fructus operum ferant. Non ergo ex operibus radix iusticiae, sed ex radice iusticiae fructus operum crescit, illa scilicet radice iusticiae, qua Deus adceptam fert iusticiam sine operibus.

In tertio capite: Ubi est gloriatio tua? Videtur iam propior esse Paulinae sententiae, admittit exclusivam, homines sola fide iustificari, et adlegat latronem in cruce et mulierem apud Lucam: Fides tua salvam te fecit. Sed postea declarans illa videtur hoc velle, hominem initio consequi remissionem peccatorum sola fide, postea iustum esse ceteris virtutibus, sicut ipse postea inquit: Fides reputatur ad iusticiam ei qui convertitur, sed postea iusticia reputatur ad iusticiam. Porro mira varietas et perplexitas est enarrationis, etiamsi largitur hominem initio sola fide consequi remissionem; tamen si postea imaginatur conversos sine peccato esse satisfacere legi et iustos esse propter ceteras virtutes, dissentit a Paulo et a reliquis scripturis divinis, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item: Si dixerimus quod peccatum non habeamus[1]) etc.

In capite septimo clare dicit sanctos repraesentare alienam personam, cum sibi tribuunt peccatum, ut apud Danielem: Non in iustificationibus nostris, sed in misericordia tua exaudies nos. Tales sententias corrumpit et docet fiduciam propriae iusticiae vel desperationem. Capite tertio inquit: Sine lege manifestata est iusticia Dei, id est sine lege naturali sunt traditae novae leges evangelicae, ut illa: Nesciat dextra quid faciat sinistra, haec inquit lex erat ante ignota. Item: Lex est spiritualis, intelligit tantum de allegoria, id est ceremoniae habent allegoriam, et saepe incommode spiritum intelligit non de Spiritus sancti motibus, sed tantum de interpretatione vel cogitatione allegorica.

Capite 8: Quod erat impossibile legi, quia infirmabatur per carnem, transfert carnem ad legem. Caro legis erat infirma, id est ceremoniae erant impossibiles inutiles[2]) etc. At Paulus carnem intelligit naturam hominis[3]): Lex infirmabatur per carnem, id est non poterat fieri ab[4]) humana natura. Hi loci ostendunt Origenem currere extra viam nec adtendere quid agat Paulus.

Possem multa levia colligere, ut cum Petrum ait excellere ceteris, quia ei dicitur numero plurali, erit solutum in coelis. Ad totum coetum Apostolorum dicitur numero singulari, erit solutum in coelo. Sed haec futilia omitto. Ceterum eruditis et iudicium adhibentibus prodest vetera scripta legere, primum propter historica testimonia, deinde quia illorum collatio acuit et exercet stu-

---

1) habeamus *A.* habemus *C. W.* 2) inutiles *C. W.* — *A.* omitt. 3) hominis *C. W.* hominum *A.* 4) ab *C. W.* — *A.* omitt.

diosos. Ita proderit et Origenis lectio eis, qui antea recte instituti sunt et summam Christianae doctrinae tenent.

De Dionysio.

Unus est libellus Dionysii de ecclesiastica Hierarchia, qui propter historiam est utilis, ceteri continent ociosas speculationes. Illic autem traduntur ceremoniae sacramentorum et ritus Ecclesiae et adparet mediocres adhuc fuisse ceremonias illo tempore. Praecipue autem ritus Missae ibi considerandi sunt, ut adpareat recentiores in Ecclesia Papae procul recessisse a veteri forma. Psalmi quidam et lectiones ex Evangelio recitabantur, dicebantur preces pro Ecclesia et Republica, postea presbyter stans ad aram recitabat verba Christi de coena Domini, deinde distribuebat populo sacramentum, sequebatur gratiarum actio. Hic fuit ritus Missae, unde manifestum est Missam tantum fuisse communionem, nec fuisse ullas privatas Missas. Quin et illud mirandum est, quod nec mentio fit oblationis, ne ritum quidem recenset offerentis. Haec apud Dionysium praecipue prodest observare, ut antiquitatem opponamus eis, qui defendunt abusus Missarum.

Recenset baptismum chrisma communionem, ut dixi, ordinationem presbyterorum et eorum, qui vota faciebant, et unctionem mortuorum, ubi narrat quales fuerint ceremoniae funerum; cum cadaver in templo collocatum esset, praesente populo recitabantur aliquae lectiones ex sacris literis de resurrectione. Deinde iubebatur populus gratias agere in[1]) precibus, quod hic pie decessisset in agnitione Evangelii. Addebatur adhortatio, ut sibi quisque precaretur pium exitum ex hac vita. Hic mos fuit plenus pietatis et laude dignus. Quae enim possunt maiora beneficia cogitari, quam in illo ingenti agone retinere Christi agnitionem, adiuvari a Christo et salvari? Hanc ceremoniam meliorem recentior aetas prorsus abolevit, retentis et cumulatis deterioribus.

Addit autem Dionysius post hanc adhortationem abiisse presbyterum et perfudisse oleo cadaver et precatum esse, ut Deus ei condonaret infirmitatem, quae in eo reliqua fuisset post conversionem. Postea cadaver condebatur in terram. Hae tantum fuerunt funerum ceremoniae tunc quidem, nondum in Missa fiebat defunctorum mentio, multo minus offerebatur corpus Domini pro mortuis. Hanc profanationem sacramenti posterior aetas addidit.

Hactenus de Dionysio: in quo etsi ceremoniae aliquanto[2]) minus viciosae sunt, tamen sunt initia monachatus, et hoc gravi reprehensione dignum est, quod non discernit inter sacramenta divinitus instituta et humanas traditiones. De chrismate perinde loquitur ut

1) agere in *A. W.* agerem *C.* 2) aliquanto *A. W.* aliquando *C.*

de baptismo et aequat παίρεργα ἔργοις, ut ita dicam. Monachorum ordinationem etiam antefert ordinationi ministrorum, quod est valde vituperandum, cum ordinatio ministrorum pertineat ad praedicationem Evangelii, illa vero monachorum ordinatio sit superstitiosa et tantum fiat propter cultum prohibitum, iuxta illud: Frustra me colunt mandatis hominum; et tamen ibi monachatus vocatur perfectio. Ergo valeant eius testimonia, quod ad historiam adtinet, ut sciamus qui ritus tunc fuerint usitati, non fiant dogmata aut leges ex eius descriptionibus.

De Tertulliano.

Tertullianus recte confutavit Marcionem et reliquos eius factionis haereticos. Continet utilia testimonia de Trinitate, recitans non suam sententiam, sed veterem adceptam ab Apostolis. Adversus Praxeam extat luculentum testimonium de verbo, hoc est de filio Dei, quod sit persona, etiam antequam adsumsit humanam naturam.

Ceterum et veteres reprehendunt quaedam eius errata, videlicet quod secundas nuptias damnat et ridicule argumentatur: Non licet fratris mortui uxorem ducere. Ducens viduam relictam a Christiano ducit[1]) fratris mortui uxorem: ergo non recte facit.

Ludit etiam de regno sanctorum, quod fingebant duraturum esse mille annos in hac corporali vita ante mundi conflagrationem et ante novissimum iudicium, paulatim aliis citius, aliis tardius resurgentibus. Hoc Iudaicum deliramentum prorsus explodendum est ex Ecclesia.

In libello de corona militis multa dicit de ritibus humanis et durissime declamitat de consuetudine, habendam eam esse pro lege. His dictis in Ecclesia male detortis, ut fit, confirmarentur ingentes errores omnibus aetatibus, quia nunquam tanta est vigilantia hominum, ut non obrepant aliquae viciosae consuetudines.

Recenset autem Tertullianus admodum pueriles mores, ne post baptismum primis septem diebus eatur in balneum. Item, ut baptizatis praebeatur gustandum[2]) lac et mel. Ibi, inquit, etiam oblationes pro defunctis, pro natalicis annua die facimus. Id nunc impie detorquent adversarii nostri ad Missas pro mortuis. Cur natales omittunt, si tantum tribuunt autoritati Tertulliani? Sed ille non loquitur de coena Domini. Verum in diebus natalibus et funerum adferebantur in templa cibi et alia munera pauperibus. Haec vocabant oblationes et ἀγάπας, et mos erat ab Ethnicis adceptus, sed nonnihil correctus. Nam Ethnici dabant epulas etiam in templis in natalibus et funeribus, ac postea Nicena synodus et aliae prohibuerunt hanc pompam natalium.

1) ducit *A.* duxit *C. W.* 2) gustandum *A. W.* gustantum *C.*

Ergo ut de ceteris dictum est, testimonia historica in Tertulliano prosunt, ubi commemorat quid senserit prior Ecclesia. Sed eius enarrationes et disputationes non recipiantur tanquam dogmata, nisi quatenus consentiunt cum apostolica scriptura.

De Cypriano.

Cyprianus vixit circiter annum Domini 260, continet utilia testimonia de Trinitate, de baptismo parvulorum, de usu coenae Domini et de forma electionis Episcoporum, quos scribit electos esse a coetu Ecclesiae et eam electionem comprobatam esse adhibitis aliquibus vicinis Episcopis.

Sed veteres etiam taxarunt Cyprianum, quod sentit baptizatos ab haereticis rursus baptizandos esse. Effundit inter declamandum interdum absurdas sententias, cum exaggerat immoderatis hyperbolis causam quam instituit. Ut de poenis canonicis admodum duriter scribit, ait non valere absolutionem, nisi illae poenae fuerint persolutae[1]). Hoc dictum quantum habeat incommodi non est obscurum.

Vehementer etiam declamitat de coelibatu, etsi eum quidem locum mitigat, iubet contrahere coniugia illos ipsos, qui vota fecerant, si non servent promissum. In libello de eleemosyna inquit, peccata ante baptismum commissa remitti propter Christi passionem, sed post baptismum quaerendam esse remissionem per eleemosynas. Idem repetit de lapsis, consumtum esse beneficium Christi in baptismo, postea per eleemosynas quaerendam esse remissionem. Haec sunt plena absurditatis, quae admonitus haud dubie correxisset. Non igitur dicta ipsius omnia pro dogmatibus habenda sunt.

De coena Domini solet uti verbis oblationis et sacrificii, sicut ceteri qui dicunt promiscue offerimus orationes, offerimus panem, vinum, offerimus corpus et sanguinem Christi: nam id quoque reperitur apud Cyprianum. Hinc adversarii nostri sumunt testimonia ad defendendam profanationem coenae Domini in Missa privata etc.

Magna vis est consuetudinis et hanc sequentes saepe improprie loquuntur homines: ut nunc Missam dicimus, cum nulli nota sit nominis etymologia. Ita veteres retinuerunt vocabula oblationis et sacrificii, non admodum curantes etymologiam aut propriam significationem. Et quia vidit Augustinus aliquid in his adpellationibus esse incommodi, ipse leniit, sacrificium inquit dici pro memoria sacrificii et oblationem pro memoria oblationis. Hae sunt metonymiae, ut dicimus Pascha pro memoria seu signo transitus, sed nolo argute vel interpretari vel excusare locutionem usitatam illius temporis. Sic enim populus loquebatur, qui interdum recipit impropriam vocem.

1) persolutae *A.* absolutae *C. W.*

Irenaeus clare dicit hanc oblationem esse gratiarum actionem. Idem sentiebant ceteri, ut testatur nomen Eucharistiae. Quare senserunt esse ceremoniam, qua aguntur gratiae. Id nihil habet incommodi. Adcipimus enim ut admoneamur beneficii nobis donati a Christo et fidem exuscitemus, deinde agamus gratias pro eo beneficio, nec inde sequitur id opus pro allis faciendum esse, aliis adplicandum esse etc. Haec monstra ne quidem cogitarunt patres. Ergo cum legimus nomen sacrificii et oblationis, intelligamus aut signum sacrificii et oblationis aut gratiarum actionem, non adfingamus adplicationes pro aliis.

Interdum uno nomine vocant oblationem totum illud negocium quod ibi agitur, videlicet orationes et coenam Domini. Hoc cum fit, orationes intelligantur[1]) esse oblationes.

Leguntur etiam apud Cyprianum de mortuis quaedam verba, quae recentiores male detorquent: Sacrificia pro eis offerimus, sed haec dicit de martyribus. Horum enim fiebat mentio in precationibus, cum agerentur gratiae Deo quod illos adiuvisset. Sicut Graecus Canon dicit: Offerimus pro Patriarchis Prophetis Apostolis id est agimus gratias, quod Ecclesiam inde usque ab initio tibi elegisti redemisti sanctificasti etc. Haec fuit initio sententia horum verborum, non petebatur ut mortuis Deus relaxaret poenas. Postea adcesserunt tempore malae opiniones et partim verba priora mutata sunt, partim retenta forma veterum verborum; aliud intellexit posteritas, quam priores intellexerant.

Ergo testimonia antiquitatis non patrocinantur recentioribus abusibus, quae partim aliena sunt a praesentibus moribus, partim si quid habent vicii, non debent opponi firmis testimoniis scripturae, quia etiam reliquae aetates habuerunt sua incommoda. Haec simplicissime sine sophistica respondeo ad verba oblationis et sacrificii.

De Basilio.

In Basilio extant utilia testimonia de Trinitate et de[2]) poenitentia contra Novatum. In concione de humilitate tradit egregiam sententiam de iusticia fidei, quae nobis aperte patrocinatur. Sine ulla sophistica detrahit iustificationem bonis operibus nec loquitur de ceremonialibus, sed de omnibus virtutibus, nec tantum loquitur de operibus ante renovationem, sed de virtutibus in renovatis, ac iubet sentire quod sola fiducia misericordiae propter Christum promissae iusti simus. Verba eius haec sunt: Dicit autem Apostolus: Qui gloriatur in Domino glorietur, dicens quod Christus nobis factus sit sapientia a Deo, iusticia, sanctificatio et redemtio, ut sicut scriptum est gloriaturus in Domino glorietur. Haec est enim per-

1) intelligantur *C. W.* intellegantur *A.* 2) de *C. W.* — *A.* omitt.

fecta et integra gloriatio in Deo, quando ne quidem propter iusticiam suam aliquis effertur, sed agnoscit sibi deesse veram iusticiam, fide autem sola in Christum iustificari, et gloriatur Paulus se despicere suam iusticiam, quaerere autem fide per Christum iusticiam, quae ex Deo est.

Haec verba satis ostendunt Basilium sic intellexisse iusticiam fidei [1]), quod sentiendum sit nos fide propter Christum per misericordiam iustos, id est adceptos esse, non propter proprias virtutes.

Ceterum quod Basilius primum instituit coetus monachorum, id exemplum nocuit et aliquid habet [2]) vicii, etiamsi ipse primum non habuit crassas supersticiones et illi coetus adhuc quaedam imago erant scholarum. Circumferuntur et libri quidam eius nomine, qui continent regulas monachorum, quorum aliqui haud dubie sunt suppositicii et longo tempore post Basilium nati, sunt enim pleni falsarum opinionum de coelibatu et aliis cultibus excogitatis sine mandato Dei et continent ridiculas nugas, ut magnum acervum poenarum seu satisfactionum, quos vocat ἐπιτίμια: si riserit puella in choro, sedeat biduo in vestibulo, et similes naenias, quas si quis vellet renovare admiratione antiquitatis, vere insaniret.

De Gregorio Nazianzeno.

Nazianzenus tractavit articulum de Trinitate, alia dogmata leviter adtingit. Scripsit vitam Cypriani, in qua narrat quandam puellam amatam esse a Cypriano ante conversionem, quae invocans Mariam virginem vicerit [3]) magicas incantationes Cypriani.

Hoc exemplum citatur de invocatione sanctorum. Etsi autem videtur esse victa fabella et postea sparsa titulo Nazianzeni, tamen etiamsi vera esset historia, non est citanda ad confirmandam invocationem sanctorum. Nam errores piorum non sunt opponendi verbo Dei, et omnibus aetatibus etiam pii in Ecclesia habent suas infirmitates.

Adlegant etiam ex Basilio et Nazianzeno, quod in fine concionum de sanctis solent eos compellare: O Athanasi ora pro nobis. Etsi autem hae apostrophae ex rhetoricis figuris excusari possunt, tamen fieri potest ut more sui temporis tunc invocaverint sanctos. Nam invocatio sanctorum paulatim tunc in Ecclesiam irrepsit, et errores temporum trahunt homines, ut usitata minus improbent et boni consulant: sicut impetus fluminum secum rapit navigantes. Nec tamen ideo adprobanda est invocatio sanctorum. Ac postquam mos crevit et iam retecta est impietas, prorsus ex Ecclesia tolli debet. Nec Basilius de invocatione quicquam dicit, tantum ait celebrari memoriam sanctorum, ut eorum virtutes imitemur, et vocat

1) fidei *A. W.* fide *C.* 2) habet *A.* habuit *C. W.* 3) vicerit *A. W.* viceret *C.*

sanctos adiutores precum nostrarum, non quod sint invocandi, sed quia omnes beati in coelo orant pro Ecclesia et eam Deo commendant.

Epiphanius scribit mulieres quasdam invocantes virginem Mariam solitas circumferre eius statuam. Hoc totum negocium damnat et vocat idololatricum[1]) opus. Continet enim Epiphanius refutationes veterum haeresium, praecipue de Trinitate et paucis aliis materiis, quam quidem historiam praecipue legendam esse censeo.

De Chrysostomo.

Chrysostomi aetas multos iam viciosos mores receperat, quos ipse recensens non reprehendit, sicut laudat adeuntes monimenta sanctorum, facit et[2]) mentionem orationis pro mortuis. Monasticam immodicis et falsis laudibus ornat. In tractatu de poenitentia cum colligit multos modos consequendae remissionis peccatorum, scilicet eleemosynas lacrymas et alia opera, tamen non facit mentionem fidei, de qua oportuit dici, ac scriptum illud pleraque falsa continet et confusum ac perplexum est.

Graeci maxime laudaverunt commentarios in Paulum, ubi in locis de iustificatione et de fide series Paulinae disputationis deducit eum eo, ut saepe repetat hanc sententiam: Quod fide consequamur remissionem peccatorum propter Christum, non propter opera. Et diserte dicit: Fide non solum diligi Deum, sed vicissim credentes sentire quod a Deo diligantur, quanquam multis modis rei sint.

In hac sententia satis significavit[3]), se intelligere fidem non tantum de noticia historiae, sed de fiducia, qua credimus nobis remitti peccata, et quidem hanc fidem discernit ab operibus, a non furando, non occidendo etc. Et dicit hunc cultum superiorem esse. Quanquam autem eius enarratio simplicior est et minus impura, quam Origenica, tamen ipsa quoque est obscura nec ubique secum ipsa consentit.

In septimo cap. longius currit extra septa: Ait concupiscentiam et adfectus, nisi pariant externum opus, non esse peccata. Sed tamen si quis adtente et cum iudicio leget commentarios illos, multa inveniet testimonia multorum articulorum. Et quanquam tunc in Ecclesia caligo fuit, tamen adparet retinuisse plerosque hanc communem sententiam: Quod fide propter Christum, non propter opera donetur remissio peccatorum. Ideo etsi interdum minus commode loquuntur veteres, tamen in aliis locis, quid reipsa voluerint animadverti potest.

De coena Domini ex Chrysostomo satis adparet, nullas fuisse

---

1) idololatricum *A.* idolatricum *C. W.* 2) et *A. W.* — *C.* omitt. 3) significavit *A.* significat *C. W.*

privatas Missas. Describit enim presbyterum stantem ad aram et vocantem populum, ut adcedat ad[1]) communionem.

In libello de dignitate sacerdotii erudite discernit civilem et ecclesiasticam potestatem, negat ecclesiasticam habere ius coërcendi vi corporali.

De Ambrosio.

Multas causas adtingit Ambrosius, videlicet de Trinitate, contra Novatianos, de iustificatione. Et quanquam in commentariis interdum dissimiles sententiae reperiuntur, qui[2]) non tam ab ipso scripti quam ab aliis excepti esse videntur, tamen perspicuum est ex eius longioribus disputationibus, sensisse eum de gratia et de iustificatione quod nos docemus.

Id testatur Epistola ad Irenaeum de Paulino dicto: Lex iram efficit, Epistola 71[3]) ubi sic inquit: Ex operibus legis nemo iustificatur, id est per legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur. Veniens igitur Dominus Iesus peccatum omnibus, quod nemo poterat evitare, donavit et chirographum nostrum sui sanguinis effusione delevit, hoc est quod inquit: Superabundavit peccatum per legem, superabundavit gratia per Iesum, sicut Ioannes inquit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata etc. Ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factis suis iustificatur, sed qui iustus est donatum habet, quia per Christum iustificatus est. Fides ergo est, quae liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille, cui peccatum remittitur et venia donatur.

Et similes sententiae aliquot reperiuntur in aliis locis apud hunc scriptorem: ut de vocatione gentium. Item ad Demetriadem virginem, ubi inquit: Nec ob aliud datur praeceptum, nisi ut quaeratur praecipientis auxilium. Ceterum eius titulo extant quaedam praeparationes ad Missam et alia[4]) quaedam inania, quae videntur esse suppositicia.

De Hieronymo.

Hieronymus in versionibus utilem operam Ecclesiae navavit, et quanquam enarrationes Prophetarum sunt tenues, tamen historiarum explicatio sumta a veteribus est utilis. De dogmatibus pauca scripsit. Adversus Iovinianum[5]) valde confirmat falsas et superstitiosas opiniones de traditionibus humanis. Vituperat coniugium et contumeliosa oratione insectatur, quae nequaquam digna est Christiano. Colligit male detortas sententias scripturae, quasi vituperent coniugium[6]), ut: Si secundum carnem vixeritis moriemini, et similes, et expresse dicit non differre a meretrice nubentem post se-

1) ad *A.* — *C. W.* omitt. 2) qui *A.* — *C. W.* omitt. 3) 71 *C. W.* 17 *A.* 4) alia *A.* — *C. W.* omitt. 5) Iovinianum *C. W.* Iovianum *A.* 6) coniugium *A. W.* coniugum *C.*

cundas nuptias. Item spectandum esse non quid concedat Deus, sed quid velit, quasi Deus non velit coniugium. Postremo ethnico more colligit vulgaria convicia sexus muliebris et coniugii, de quibus Christianus longe aliter sentire debet, qui scit causam infirmitatis in utroque sexu esse naturae corruptionem, et tamen propter Deum sexui tribuendum esse honorem, et cum Deus non frustra condiderit hunc sexum, agnoscendum esse opus Dei et ordinationem divinam magnifaciendam. Nec est minor infirmitas animorum in viris, in negociis quae viris commissa sunt. Christianus autem propter Deum fert et mitigat imbecillitatem in sociis huius vitae divinitus adiunctis et cohaeredibus aeternae gloriae, et scit Deum velle ut illas curemus, tanquam partem generis humani, non despiciamus diabolica superbia. Haec atque alia in hanc sententiam in Christiana disputatione potius dicenda erant, quam illa scurrilia convicia sexus et divinae ordinationis.

De discrimine ciborum laudat ritus sine verbo Dei institutos tanquam cultus Dei, imo tanquam perfectionem. Ridicula vox est quam ponit: Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere et carnem non manducare, ubi male detorsit dictum Pauli, qui cum inquit: Bonum est carnem non edere, addit, si fratri noceat exemplum. Cum autem necesse sit tales supersticiones in Ecclesia reprehendi, pariunt enim alios multos errores, prudenter de illis inconsiderate dictis iudicandum est.

In dialogo contra Pelagium recte disputat renovationem non fieri tantum viribus liberi arbitrii, sed opus esse auxilio Spiritus sancti. Recte etiam negat sanctos esse sine peccato et ponit memorabile dictum: Tunc iusti sumus, quando nos peccatores esse fatemur, et iusticia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia contingit. Sed postea non satis dicit: peccata sanctorum intelligit de actualibus peccatis, ut flammis libidinum aut iracundiae et similibus: non intelligit de interiore et perpetua dubitatione securitate concupiscentia. Constat igitur multos esse in scriptis Hieronymi non exiguos lapsus.

De Augustino.

Augustinus multas necessarias controversias tractavit, refutavit Arianos Manichaeos Donatistas et Pelagianos. Nam irrepserant iam in Ecclesiam philosophicae opiniones, quas Pelagius confirmavit, Evangelium transformans in philosophiam, contendebat enim nihil esse peccatum originis, homines legi Dei satisfacere posse et illa externa obedientia mereri remissionem peccatorum, iustos esse et mereri vitam aeternam. Nihil de fide in Christum, nihil de auxilio Spiritus sancti dicebat[1]). Haec Pelagii doctrina non evange-

1) dicebat *A.* docebat *C. W.*

lica, sed philosophica erat, sicut propemodum scholasticorum doctorum sententia idem vult, nisi quod hi aliquid adsuunt supersticionum monasticarum. Et nunc rursus multi delabuntur in opiniones Pelagianas, quia[1]) sunt plausibiles rationi.

Augustinus igitur sua aetate doctrinam Evangelii de gratia et fide in Christum pene extinctam restituit et rursus adcendit. Propter hoc beneficium Ecclesia ei plurimum debet. De peccato originis multo loquitur maiori perspicuitate, quam ceteri omnes. Distinctius etiam et rectius loquitur de libero arbitrio, quod viribus liberi arbitrii homines facere possint externa legis opera et honesta opera civilia, sed sine Spiritu sancto non possint habere motus spirituales, verum timorem Dei, veram fiduciam, veram pacientiam, hoc est novitatem, quam oportet in eis existere, qui sunt salvandi.

Tradit utile discrimen literae et spiritus, docet de gratuita remissione, monet quomodo Paulus intelligendus sit, cum inquit: Ex operibus legis nemo iustificatur, quod videlicet non tantum detrahat iustificationem ceremoniis, sed etiam moralibus operibus. Hac admonitione valde opus fuit Ecclesiae. Nam Origenes et multi eum secuti sparserant falsam interpretationem in Ecclesia, tantum ceremoniis detrahi iustificationem, et finxerant homines legi satisfacere et iustos esse propter opera. Ideo Augustinus diserte hanc quaestionem tractat in libro de spiritu et litera et adfirmat Paulum universaliter loqui etiam de moralibus, cum negat nos lege iustos esse. Item negat homines legi satisfacere. Rom. capite 8.

Hanc admonitionem Augustini et hunc locum ipsius plurimum refert meminisse, quia cum ratio non satis perspiciat magnitudinem peccati originis et naturalis corruptionis, facile delabitur ad illas opiniones, ut putes[2]) legi satisfieri et homines propter opera iustos esse. Ita e regione obscuratur et amittitur iusticia fidei et vera exercitia spiritualia excutiuntur, scilicet vera invocatio, quam oportet niti sola misericordia. Sicut nunc deridemur ab adversariis, qui volunt videri prudentiores ac vociferantur nos inepte exaggerare infirmitatem et ridicule detrahere operibus iustificationem, cum tamen ratio non aliud intelligat esse iusticiam, nisi obedientiam iuxta legem.

Sed doctrina Evangelii de peccato, item de iusticia fidei, est arcarna et peculiaris sapientia verae Ecclesiae, quam etiam pauci ex scriptoribus agnoverunt ac saniores alii obscurius, alii clarius agnoverunt, Scotistae et similes prorsus obruerunt. Ideo postquam Deus haec rursus patefecit, diligenter tueamur illustratam doctrinam.

Porro cur[3]) adversarii vicissim non considerant, quam sit absurdum dicere, quod Christus liberaverit nos tantum a ceremonialibus? Item si liberatio tantum ad ceremonialia pertinet, non pro-

1) quia *C. W.* qui *A.* 2) putes *A.* putet *C. W.* 3) cur *C. W.* cum *A.*

fuit patribus ante Moisen. Necesse est autem statuere quod liberatio a lege pertineat ad universam Ecclesiam a principio mundi usque ad finem. Haec copiosius disputantur ut dixi in libello de spiritu et litera.

Denique quid sit liberatio a lege prorsus ignorant illi, qui intelligunt eam tantum de ceremoniis. Ut omnes homines post lapsum Adae sunt oppressi peccato, ira Dei, morte, ingentibus vitae aerumnis, aeternis poenis: ita sunt omnes onerati lege, quae peccatum arguit, nos adcusat et aeternis terroribus occidit, ut Paulus inquit: Ergo liberari a lege est ab illa adcusatione liberari, ne simus rei irae Dei et aeternae mortis, est non tantum a ritibus aut externis spectaculis liberari, sed multo potius a lege perterrefaciente maledicente damnante et interficiente nos eripi. Cum videlicet alia res proponitur, propter quam iusti pronunciamur, scilicet filius Dei, factus pro nobis victima. Sic Adam Noë Abraham et omnes electi ante Moisen a lege liberati fuerunt. Adcusabantur a lege, exercebantur horribilibus terroribus et sensu irae Dei et maledictionis. Sed inter hos terrores erigebantur agnitione misericordiae propter venturum Dominum promissae, et statuebant se iustos pronunciari propter venturam victimam, non propter legem. Norant peccata esse non tantum externa delicta, sed interiorem immundiciem, horribilem dubitationem de Deo, fremitum et indignationem adversus[1]) Deum in rebus adversis et ceteros pravos impetus, et sciebant non aliqua lege tolli vel ipsum peccatum et naturae infirmitatem vel iram Dei; sed norant se agnitione et fiducia promissi salvatoris ex tantis aerumnis eripi. Sic et illi sunt liberi[2]) a lege morali, videlicet iudicante et occidente eos, et ab aeterna ira quam lex denunciat. Norant in illa naturali noticia non proponi gratuitam remissionem peccatorum, ideo aliunde petebant remissionem. Quodsi sensissent ita se iustos fore, cum sine vicio essent, succubuissent in agone conscientiae; sed norant ideo promissum esse salvatorem, ut statuerent se placere Deo, etiamsi essent indigni et immundi. Sic sentiebant se iustos esse, non propter legem, sed propter venturum salvatorem.

Has tantas res complectitur liberatio a lege, quas non intelligunt homines securi, qui nesciunt quid sit vera poenitentia invocatio: denique qui non exercentur adflictionibus et aut habent animos occupatos voluptatibus aut delectantur suis opinionibus et aspernantur verbum Dei, aut ad suas imaginationes inflectunt ac[3]) corrumpunt. Nonnulli adversarii astutiores, etsi vident Augustini et nostram interpretationem vere esse Pauli ac propheticae et apostolicae scripturae sententiam, tamen obstrepunt nobis et Origenis Hieronymi Chrysostomi et nescio quorum autoritatem citant,

1) adversus *A. W.* adsersus *C.* 2) liberi *A.* liberati *C. W.* 3) ac *C. W.* aut *A.*

non quod illos vere et ex animo probent, sed tantum ut fucum faciant imperitis, ne videantur victi. Non enim adferunt adversarii ad haec certamina bonam conscientiam et studium quaerendae veritatis, sed odium nostri, contemtum Evangelii, curam tuendae suae autoritatis. Quid populus de Christo sentiat, quomodo erudiantur Ecclesiae nihil ad se pertinere iudicant, ac partim aperte exercent sycophanticam, ut Cochlaeus Wicelius et similes, partim sunt tyranni et tyrannorum satellites, qui propter sapientiae aut virtutis opinionem gubernant pontificum, regum et principum consilia, cum sint homines ἄθεοι, qui in universum arbitrantur religiones commenticias esse, ac sibi ipsi mirum in modum hoc nomine placent, quod ausint ἀντιπέρδειν πρὸς τὰς βροντάς, ut ille apud comicum inquit. Et tales dicturi sunt sententias in synodis de Christi gloria, cuius nomen esse fabulosum cogitant.

Proinde pios lectores adhortor, primum ut considerent genera doctrinae, utri simpliciter et sine sophistica sententiam scripturae propheticae et apostolicae proponant. Deinde cum patres citantur, quae dicta patrum sint consentanea divinae voci. Est enim magna dissimilitudo patrum. Postremo ut Paulus iubet probare spiritus, voluntas utriusque partis[1]) spectanda est et summa consilii. Illud agunt adversarii, non ut aliquid emendent, sed ut qualicunque praetextu defendant suam tyrannidem, confirment et muniant opes. Ideo reges et pontifices adversantur coniugio sacerdotum, quia vident coelibatum ad retinendam potentiam et opes expeditiorem esse. Hoc modo cum extent notae impiae voluntatis in quibusdam manifestis articulis, satis adparet eos non agitari bono spiritu, sed esse hostes Christi et nec in ceteris articulis quaerere veritatem. Quare eorum iudicia constanter repudiemus.

Psalmo 42 (?) adfirmat renatum non esse iustum propter opera, sed fide, sic enim inquit: Plane time, si iustum te dicis, si non habes illam vocem; ex alio Psalmo: Ne intres in iudicium cum servo tuo: nam si iudicium exhibueris sine misericordia, quo ibo? Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ergo si non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, quia quicunque hic vivit, quamlibet iuste vivit[2]), vae illi, si cum eo in[3]) iudicium Deus intraverit. Nam et apud alium Prophetam adrogantes et superbos sic obiurgat: Quare mecum iudicio contenditis? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus. Noli ergo iudicio contendere, da operam esse iustus, et quantumcunque fueris, confitere te peccatorem esse et semper spera misericordiam, et in ista humili confessione securus adloquere turbantem te et tu-

1) partis *A.* patris *C. W.* 2) quamlibet iuste vivit *A. W.* — *C.* omitt. 3) in *C. W.* — *A.* omitt.

multuantem adversus te animam tuam. Quare tristis es anima mea, quare conturbas me? forte in te volebas sperare, spera in Domino, non in te, quid enim es in te, quid es de te? Ille sit sanitas in te, qui adcepit vulnera propter te et inquit: Spera in Dominum.

Psalm. 32[1]). Qui sunt beati? Non illi, in quibus non inveniet peccatum; nam in omnibus invenit: Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inveniuntur, remanet ut non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendavit: Credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad iusticiam. Hic recte adcommodat dictum de fide et testatur se fidem intelligere non tantum historiae noticiam, sed fiduciam qua[2]) confidimus nobis remitti peccata propter Christum. Nec vero quisquam potest adsequi Pauli sententiam, nisi sic intelligat nomen fidei. Hoc vere[3]) est ut dicitur in foribus errare, fidem tantum intelligere noticiam historiae, non fiduciam promissae misericordiae propter Christum. Nec mirum est monachos tota via deerrasse in enarrando Paulo, quia in hoc ipso loco turpiter hallucinati sunt. Et nunc adversariis haec caligo praecipue impedimento est, quo minus recipiant doctrinam de fide, quia nomen fidei non recte intelligunt. Cur non expendunt talia Augustini dicta, quale hoc est quod modo recitavi? Hic testatur Paulum hoc velle, Abraham pronunciari iustum, quia crediderit non tantum de posteritate sua sed remissione peccatorum.

Tales sententiae passim obviae apud Augustinum satis ostendunt eum de gratia et de fide idem sentire, quod nos docemus. Sicut etiam de spiritu et litera inquit: Ex lege timemus Deum, per fidem autem cnnfugimus ad misericordiam. Hic erudite discernit legem et Evangelium.

Etsi autem interdum in eius scriptis figurae orationis occurrunt non satis explicatae aut incommodae, hae temporibus condonandae sunt, quia vulgi consuetudo quasdam figuras receperat, ut adpellationem meriti et alias quasdam, et has explodere docti non poterant. Deinde nec ipsi scriptores satis adsuefacti fuerunt ad adcuratas disputationes, et quanta tunc fuerit caligo in Ecclesia inde aestimari potest, quod Pelagii impia opinio tanto cum plausu excepta fuit, ut Augustinus et pauci quidam alii non sine magnis certaminibus eam rursus ex Ecclesiis explodere potuerint.

Ceterum de ceremoniis si quis aetatem Augustini nobis opponit, sciat ne ipsi quidem Augustino placuisse omnes ritus et persuasiones sui temporis. Queritur[4]) enim multas superstitiosas opiniones haerere in Ecclesia, anteferri humanas traditiones praeceptis Dei et sic cumulatas esse ceremonias, ut Iudaeorum servitus tolera-

---

1) 31 *A. C. W.* 2) qua *A.* — *C. W.* omitt. 3) vere *A. W.* vero *C.* 4) queritur *A. W.* quaeritur *C.*

bilior fuerit, quam Ecclesiae. Verba eius haec sunt ad Ianuarium, Epistola 119: Ipsam tamen religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior fuerit condicio Iudaeorum, qui tamen divinis legibus, non humanis subditi erant. Et primum de ritibus humanis inquit: Totum hoc genus rerum liberas habet observationes. Deinde diserte iubet inutiles ritus humanos praecidi. Ergo non ita probat Augustinus ceremonias sui temporis, ut Ecclesiam ad eam normam constitui velit. Multa enim recepta erant, quae ne ipse quidem probat, imo reprehendi et corrigi vult, quaedam more illius temporis observat, ut omnes praesentibus moribus multa condonamus.

Huius aetate percrebescere sermones de purgatorio coeperunt[1]), quos ipse nec refutat nec confirmat, tantum narrat, inquiens quosdam sic existimare, purgari animas piorum, postquam discesserunt a corporibus. Sed libro confessionum 9. petit his verbis precationem pro mortua matre: Inspira Domine servis tuis, ut ad altare meminerint matris meae et patris, nec petit amplius. Quanquam autem hoc verecunde dicitur apud illum, tamen nunc sceleste detorquetur ad oblationem sacramenti pro mortuis, qualis nondum fuit Augustini tempore.

Fuerunt et vota usitata eo tempore, et quaestio incidit, an coniugia post votum contracta dissolvi debeant. Hac de re extat sententia Augustini in decretis 27. q. 1. C. nuptiarum. Hic etsi Augustinus plus tribuit votis quam conveniebat, tamen pronunciat coniugia post votum contracta non esse dissolvenda et adfirmat vere esse coniugia, quia altera persona non debet cum iniuria alterius redire ad votum. Nec fit obligatio irrita inter duas personas, etiamsi altera adtulit mutationem prioris propositi. Haec in summa dicit in eo textu. Sed plus valuit error de votis, quam haec mitigatio Augustini. Ideo constitutiones postea secutae distraxerunt coniugia. Vidit Augustinus illam distractionem viciosam esse, sed non satis consideravit, quid in ipsis etiam votis vicii fuerit, quod erat obscurius. Vincebatur[2]) enim vulgaribus opinionibus sui saeculi. Iam mos receptus erat faciendi vota, magna erat admiratio multorum in eo vitae genere degentium: Admiratio autem iudicio officit. Non igitur disputabat an valerent vota, cum quidem multi essent errores impliciti illis, habebantur pro cultibus, pro singulari merito iusticiae, pro[3]) perfectione, item plerisque erant impossibilia. Haec si prius refutasset, melius prohibere distractionem coniugiorum potuisset.

Constat igitur multos abusus illa aetate iam haesisse in Eccle-

1) coeperunt *C. W.* ceperunt *A.* 2) vincebatur *C. W.* vincebantur *A.* 3) pro *A.* — *C. W.* omitt.

sia, quorum etsi aliquibus adversatus est Augustinus, tamen aliquos boni consuluit, qui postquam retecti sunt non debent defendi. Deinde etiamsi veterum exempla suo tempore dissimulata sunt, tamen nunc ad confirmandos maiores abusus nequaquam adcommodari debent, ut nequaquam valet consequentia: Augustinus iubet ad altare precationem fieri pro matre, Ergo adprobandae sunt Missae pro mortuis. Aut: Augustini tempore quidam arbitrabantur esse purgatorium, Ergo adprobandae sunt Missae indulgentiae et aliae fundationes pro mortuis excogitatae. Nam Augustini tempore nondum erant hae prodigiosae impietates, etsi paulatim semina sparsa sunt.

De Gregorio.

Anno 590 iniit pontificatum Gregorius, cum essent exacti anni post Augustini mortem 157. Interea influxerant in Italiam multae barbarae gentes, Gothi, Longobardi et horum socii. Et non solum studia literarum conticuerant et Ecclesiae neglectae erant, sed etiam illae ipsae barbarae gentes, quae tenebant Italiam, secum invexerunt aut facile receperunt multas supersticiosas opiniones. Ideo brevi tempore valde cumulati sunt abusus.

In illa dilaceratione Italiae videbatur esse peculiaris felicitas, abesse a Republica, procul in aliqua solitudine degere, sine familia, sine liberis, non spectare urbium excidia et vastationem patriae. Miserum est enim dicere illud, quod Aeneas inquit: Et quorum pars magna fui. Itaque modesti homines, qui[1]) habebant familias, gratulabantur monachis suam tranquillitatem. Sic crevit admiratio monachorum et plures coeperunt quaerere et amare secessus.

Deinde homines barbari natura mirantur novos ritus, qui speciem habent eximiae pietatis et tanquam commercii cum Deo. Nihil mirum est igitur tunc et monachorum coetus crevisse et plausibiles opiniones de illo genere operum latius vagatas esse et extinctam Evangelii lucem de vera fide et veris cultibus.

Grata etiam barbaris fuit veneratio sanctorum. Postquam semel receptum erat hos[2]) ethnico more ornare statuis et peculiaribus[3]) templis, crevit mos imitatione potentum. Et paulatim tantum adcessit impietatis, ut nihil differret veneratio sanctorum his posterioribus saeculis a manifesta Ethnicorum idolatria. Invocabantur Anna Georgius non aliter quam Iuno Mars aut Hercules. Currebatur ad statuas et magna autoritate talem *εἰδωλομανίαν* confirmabant Episcopi, laudabant doctores. Et in talibus cultibus erat religionis summa. Interim de Christi invocatione, de fide erat ingens silentium.

1) homines qui *C. W.* homine quis *A.* 2) hos *A.* — *C. W.* omitt. 3) peculiaribus *A. W.* periculiaribus *C.*

Principia igitur cavenda fuerunt tantae impietatis[1]), quae quidem Gregorius valde confirmavit, qui publicum ritum invocationis Divorum instituit, qui ossibus et pulveribus eorum templa dedicari iussit.

Tunc etiam irrepsit opinio de oblatione corporis et sanguinis Christi facienda pro mortuis. Haec opinio peperit horribilem profanationem sacramenti.

Etsi igitur post Gregorii aetatem maiores tenebrae secutae sunt, tamen hi errores tunc haeserunt in Ecclesia, falsa persuasio de monachatu, de operibus sine mandato Dei excogitatis, invocatio sanctorum et oblatio corporis Christi pro mortuis: hi errores magnam deinde ruinam traxerunt. Itaque Gregorii aetas non potest esse norma emendandae Ecclesiae, quod quo magis perspici possit manifestiora errata Gregorii prius recitabo, deinde pauca de coena Domini disputabo. Gregorius lib. 3 Epistolarum, in Epistola ad Catanensem Episcopum in Sicilia praecipit: Ne subdiaconi aut diaconi consuetudine coniugum utantur, quas ante ordinationem duxerant, cum quidem antea Siculi servassent Graecum morem nec maritis interdixissent coniugum consuetudinem. Hic lapsus satis manifestus est. Nemo enim pius distractionem legitimi coniugii adprobare potest.

Narrat fuisse quendam speciosum, qui maluerit relinquere functionem subdiaconi, quam carere coniugis consuetudine. Hic quisquis fuit, saniore iudicio praeditus fuit quam illi, qui talia coniugia distrahebant.

Auget peccatum Gregorii, quod hunc morem in Siculis Ecclesiis recipi voluit, quae ad id tempus iuxta synodorum veterum decreta retinuerant coniugia in omnibus gradibus ecclesiasticis, nec onerabant votis diaconos aut alios. Cur sumit sibi imperium Gregorius in alienas Ecclesias, cum quidem tam tragice declamitet se abhorrere ab universalis Episcopi adpellatione? Deinde cur ibi distrahit coniugia, ubi diaconi non fuerunt[2]) onerati votis, cur hic non veretur superiorum synodorum autoritatem? Hic lapsus cum manifestam impietatem et tyrannidem contineat, satis adparet aetatem Gregorii non fuisse sine magnis erroribus.

Idem[3]) quam iniustus est adversus eos, qui infantes in monasteriis educati fuerant iussu parentum, et postea facti puberes aliud vitae genus expetebant. De his respondet, nefas esse tales deserere vitam monasticam. Haec duricies non eo tantum reprehendenda est, quia aetati facta est iniuria, sed etiam quia valde confirmavit supersticiosas opiniones de monasticis cultibus.

Addam tertium erratum non obscurum. Movetur spectris, ut

---

1) impietatis *A. W.* impietatatis *C.* 2) fuerunt *A.* fuerant *C. W.* 3) idem *A.* item *C. W.*

comprobet oblationem Sacramenti pro mortuis. Narrat duos, qui post mortem in balneis servierunt, quorum alter petivit ut pro se fieret oblatio sacramenti, ut ab illis poenis liberaretur. Ab his spectris sumit dogmata in Ecclesia contra manifestum mandatum Dei. Deut. 18: Non quaeras a mortuis veritatem. Et Esaiae 8: Utrum populus a Deo quaerit veritatem pro vivis, an a mortuis? Ergo qualiscunque est animarum status post hanc vitam, tamen a spectris non sunt sumenda dogmata. Deinde quis non videt poëticum esse, quod dicit pios post mortem factos esse balneatores. Similis fabula est commento de filiabus Danai, quae hauriunt aquam cribris.

Non instituimus hunc Catalogum, ut errorum confutationes adderemus, quae extant alibi satis multae, tantum recensere errata volui, ut adpareat falli eos, qui sic admirantur patres, tanquam fuerint ἀναμάρτητοι et nusquam dissentiant a scripturis[1]) divinis manifestis. Etsi igitur aliquid monent interdum eruditiores patres, tamen de eis iudicandum est ex verbo Dei.

Omissis igitur aliis confutationibus, breviter quaedam de illa oblatione pro mortuis adiiciam: Non opus est quaeri[2]) an sit purgatorium, nihil haec quaestio ad oblationem pertinet. Etiamsi esset purgatorium, tamen impium est offerre Sacramentum pro mortuis. Rationes multae sunt firmissimae. Prima: Impietas est, instituere cultum in Ecclesia sine mandato Dei: Adplicatio coenae Domini pro aliis fit sine ullo mandato et testimonio divino, Ergo sine ulla dubitatione haec adplicatio est impia.

Maiorem confirmant plurimae sententiae: Non habebis Deos alienos. In hoc mandato etiam cultus alieni prohibentur. Et huc pertinet dictum: Frustra colunt me mandatis hominum. Item: Quidquid non est ex fide, peccatum est. Porro: cultus sine mandato Dei non possunt ex fide fieri; sed mundus non intelligit quantum peccatum sit fingere cultus sine mandato Dei, discedere a verbo Dei. De hoc scelere maxime concionantur Prophetae et deplorant hominum coecitatem, qui cultus et dogmata de voluntate Dei fingunt horribili audacia nec retinent verbum et cultus, in quibus Deus suam voluntatem nobis proposuit. Ipsi coeci quaerunt Deum aliis modis. Constat autem Christum non tradidisse Sacramentum, ut pro mortuis adplicetur. Quae ibi fit mentio mortuorum? Iubet celebrari coenam, ut recordemur mortis et beneficiorum suorum. An mortui adsunt, ut una recordentur? Sed breviter adiiciam et alias rationes.

Secunda. Sententia certa est, quae labefactari nequaquam potest: Iustus fide sua vivet. Quare necesse est nos adcipere remissionem peccatorum vivos, ac impossibile est contingere ullis remissionem propter opus aut sacrificium cuiusquam sacrificuli. Causae obscurae ambiguae longas disputationes requirunt. Hic er-

1) scripturis *A.* scriptis *C. W.* 2) quaeri *C. W.* queri *A.*

ror de oblatione refutatur adeo perspicuis et firmis argumentis, ut nihil desiderent longam explicationem. Doctrina de remissione peccatorum certa et perspicua est. Nemini contingit remissio, nisi fide propria eam adcipiat[1]). Hanc sententiam si quis tollit, contumelia adficit Christum. Ergo contumelia adficiunt Christum, qui fingunt oblationem illam mortuis mereri remissionem.

Tertia. Tantum eis prodest sacramenti usus, qui utentes eo recordantur mortem et beneficia Christi: ergo impossibile est id opus mortuis prodesse, qui nec utuntur ipsi nec addunt ibi recordationem. Antecedens manifestum est ex Christi institutione, quia iubet celebrari[2]) hoc ministerium ad recordationem. Nec aliud institutioni adfingendum est. Si quis plus adfingit, si quis transfert ad mortuos, impie contaminat institutionem Christi.

Quarta. Aperte dicit scriptura: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Rom. 8. Corpus mortuum est propter peccatum, Spiritus vero vivit propter iustificationem, id est iustificati spiritu, donec hoc corpus circumferunt, in quo haerent reliquiae peccati, varie adfliguntur, ut in invocatione crescant fides agnitio Dei et novitas spiritualis. Sed mortuo corpore peccati reliquiae abolentur. Et diserte addit Paulus, vivere spiritum propter iustificationem. Illa vita iustificati spiritus non est pavor aut sensus irae Dei, sed est gaudium in Spiritu sancto, sicut Paulus inquit. Non sunt igitur poenae purgatorii.

Christus inquit ad conversum latronem: Hodie mecum eris in Paradiso, hoc est in vita tranquilla et beata, non in poenis et paoribus. Non igitur discedunt iustorum animae ad cruciatus, sed ad gaudium spirituale et ad pacem. In hac vita exercentur pii horribilibus adflictionibus, quia Deus mirabili consilio vult Ecclesiam suam subiectam esse cruci et degustare adflictiones Christi. Sic Adam Isaac Iacob Ioseph David Esaias Ieremias Ioannes Baptista et cetera lumina Ecclesiae fuerunt in aerumnis, quarum magnitudinem enarrare nemo potest. Ideo Petrus inquit: Humiliamini sub potenti manu Dei. Etsi igitur tales sunt poenae piorum, dum in corpore vivunt, tamen post mortem esse tales adflictiones cur dicetur? cum hae adflictiones sint destinatae ad agnoscendas peccati reliquias in carne et ad poenitentiam. At post mortem non est locus poenitentiae, sicut Paulus clare adfirmat, 2 Corinth. 3. Reportabit unusquisque ea, quae gessit in corpore. Et Psalmi hoc docent: Non mortui laudabunt te Domine. Item: Quoniam non est in morte, qui memor sit tui. Non igitur adfirmari potest, aliquos post mortem adhuc exerceri illis[3]) cruciatibus, ut agant poenitentiam.

Si dicunt adversarii cruciatus illos non eo infligi, ut crescat

---

1) adcipiat *A.* adcipit *C. W.* 2) celebrari *C. W.* celebrare *A.* 3) illis *A.* illius *C. W.*

poenitentia, sed ut sint satisfactiones, multo magis explodenda est haec opinio. Nam doctrina satisfactionum, quam sententiarii confinxerunt, falsa et impia est. Et quidem in eas disputationes tanquam in sentinam plurima mendacia confluunt, de purgatorio, de votis, de oblatione pro mortuis, denique alia multa. Cum igitur purgatorium quod vocant adfirmari non possit, impietas est instituere oblationem ad liberandos mortuos. Quanquam, etiamsi esset purgatorium, non transferri ad mortuos coena Domini posset.

Sed quid disputo? Orta est mentio purgatorii a spectris, deinde confirmata propter quaestum et nunc defenditur a Pontificibus Cardinalibus Episcopis Canonicis, qui palam sunt Epicurei ac securissime contemnunt iudicium Dei et quae de poenis post mortem legunt sic adcipiunt, ut fabulas poëtarum de Ixione Sisypho Tantalo aut similes, ac rident stulticiam aliorum, qui adfirmant Deum proposuisse aeternas poenas impiis.

Omitto igitur disputationem in praesentia. Basileae in synodo exhibuerunt Graeci orationem de purgatorio, quae hodie extat in Phorcensi bibliotheca, in qua de loco Pauli 1 Corinth. 3 disserunt, quem ad purgatorium detorsit aetas recentior, cum constet eum locum de poenitentia loqui. Salvabitur, sic tamen quasi per ignem. Ergo vult lapsum poenitentia corrigi. Quare de praesenti vita loquitur, in qua locus est poenitentiae. Profecto verum est quod dicitur: Simplex est veritatis oratio. Cum Paulus de poenitentia loquatur, non potest hic locus detorqueri ad cruciatus post mortem.

De loco in Maccabaeis est etiam planissima responsio: Veritas rerum erroribus gestorum non viciatur, inquit Iurisconsultus. Et Demosthenes contra Aristocraten reprehendens viciosa exempla, inquit: *μὴ δὴ τοῦτο ἡμῖν*[1] *ἐᾶτε λέγειν, ὡς γέγονεν, ἀλλ' ἐστὶ δίκαιον γενέσθαι.* Sacrificia Levitica non delebant peccata coram Deo, deinde nulla pro mortuis instituta fuerunt. Ergo fuit error sacrificare pro mortuorum peccatis, ut Iudaei alios viciosos cultus saepe receperunt. Natura enim hominum ad superstitionem propensa est omnibus aetatibus. Ideo cum exemplum illud pugnet cum scripturis, non est citandum ad confirmandas supersticiones in Ecclesia. Haec fere sunt praecipua, quae de purgatorio citantur. Ideo autem hanc disputationem inserui, ut magis adpareat lapsum Gregorii, qui confirmavit oblationem pro mortuis, aperte cum apostolicis scripturis pugnare.

Quod cum ita sit, etiam Canon Missae ut vocatur reprehendendus est, in quo dicitur fieri oblatio ad redimendos vivos et mortuos. Quae fuit audacia Sacramentum transferre ad mortuos? cum institutio tam clare de vivis, de recordatione loquatur. Gregorius scribit hunc canonem a quodam scholastico, ut ipse eum nominat,

1) *τοῦτο ἡμῖν A. ἡμῖν τοῦτο C. W.*

compositum esse. Sed quisquis fuit autor, qui hanc rhapsodiam congessit; illud negari non potest, dissentire Latinum canonem ab utroque Graeco, quanquam nec Graeci canones inter se consentiunt et differunt in locis insignibus.

Hactenus de Gregorio dixi, nec volo sequentium saeculorum scriptores adiicere. Nam doctrina magis degeneravit postea. Accessit et pontificum tyrannis, cum Gregorius adhuc adpellationem universalis Episcopi repudiet[1]) ac valde vituperet, ut testantur aliquot Epistolae in libro 4.

Possem adiicere querelas scriptorum veterum de Episcoporum cupiditatibus et inscitia, quae si nihil aliud tamen hoc monent, Ecclesiam nequaquam ad exemplum et ideam eius temporis constituendam esse. Sed in Apocalypsi Ioannis proponuntur terribiles imagines, quae significant haud dubie Ecclesiae tempora et ostendunt grassaturos statim in Ecclesia impios doctores ac tyrannica dominatione oppressuros veritatem.

Monstrant et synodorum historiae quanta in Episcopis plurimis rabies fuerit, qui ad tuendam impietatem miris artibus incenderunt Principes et vulgus, prorsus ut nunc Pontifices et Episcopi omnibus artificiis regum animos ad movendum civile bellum incitare conantur.

Basilius in fine libri de Spiritu sancto quam tragica querela deplorat Episcoporum sui temporis furorem et impietatem, narrat seditionibus et caedibus quaeri[2]) defensionem malorum dogmatum. Et ad Italicos ac Gallicos Episcopos ita scribit: *ἀνατέτραπται μὲν γὰρ τὰ τῆς εὐσεβείας δόγματα, συγκέχυνται δὲ εὐσεβείας θεσμοί, φιλαρχίαι δὲ τῶν μὴ φοβουμένων τὸν κύριον ταῖς προστασίαις ἐπιπηδῶσι, καὶ ἐκ τοῦ προφανοῦς λοιπὸν ἀθλὸν δυσσεβείας, ἡ προεδρία πρόκειται, ὥστε ὁ τὰ χαλεπώτερα βλασφημήσας, εἰς ἐπίσκοπον λαοῦ προτιμώτερος, οἴχεται σεμνότης ἱερατική, ἐπιλελοίπασιν οἱ ποιμαίνοντες μετὰ ἐπιστήμης τὸ ποίμνιον τοῦ κυρίου.*

Id est: Eversa sunt veritatis dogmata, confusae leges pietatis, ambitio non timentium Deum rapit gubernationem Ecclesiarum, nec aditus est ad honores nisi per impietatem, ut quisque est rabiosissimus et audacissimus in lacerandis piis et veris dogmatibus, ita maxime dignus Episcopi honore iudicatur. Periit gravitas sacerdotibus conveniens, desunt pastores, qui eruditione gregem Domini pascant.

Sic ille sui temporis Episcopos depingit, quorum viciis recentior aetas addidit[3]) imperia et tyrannides.

Cum igitur constet illam aetatem non sine viciis esse, concedendum est Ecclesiae, ut de doctrina consulat verbum Dei, sicut

1) repudiet *C. W.* repudiat *A.* 2) caedibus quaeri *C. W.* cedibus queri *A.* 3) addidit *C. W.* addit *A.*

Pater coelestis praecipit ut filium audiamus, et David inquit: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Haec de veterum scriptorum erratis, etsi multa praetermisi absurde dicta, non eo collegi, ut de veris eorum laudibus aliquid detrahatur. Credo plerosque in his fuisse pios et praestantes viros, quidam etiam optime meriti sunt, sed ne ipsi quidem voluerunt anteferri sua dicta doctrinae Christi. Deinde hi, qui nunc nobis veterum autoritatem opponunt, valde illorum testimoniis abutuntur. Etsi illis temporibus semina errorum sparsa sunt, tamen nondum in Ecclesiam pervaserant tam tetri abusus. Erat initio qualiscunque mentio sanctorum. Quantum adcessit impietatis postea? Non igitur citanda est Nazianzeni declamatio, cum illius aetas adhuc ignoraverit hanc recentem idolatriam.

Sed quid citant Ecclesiae autoritatem adversarii, cum non de doctrina, non de religione dimicent, sed de suis libidinibus atque opibus? Tranquillitatem suam turbari nolunt. Haec una et sola causa est, cur nos delere cupiant. Nam dogmata quaedam luce meridiana clariora sunt. Et tamen ut haec opprimant, manifesta crudelitas exercetur, interficiunt pios doctos et bonos viros sacerdotes propter coniugium. Hoc ubi lectum est de ulla barbarie, interfici homines propter honestum coniugium? Si veterem Ecclesiam probant, cur hic non imitantur prima tempora? An Ambrosium vel Augustinum arbitrantur hanc crudelitatem suppliciorum probaturum fuisse? Illi vero execrati essent hanc immanitatem et palam testati, hos pontifices autores crudelitatis non Ecclesiae membra, sed diaboli organa esse, ac sine ulla dubitatione defensionem piorum sacerdotum mulierum puerorum deinde tot gentium, quae sunt coniunctae huic causae, suscepissent.

Postquam autem dixi, quae sit vera Ecclesia, et constat nos doctrinam catholicae Ecclesiae Christi traditam in scripturis propheticis et apostolicis et in symbolis fideliter retinere ac tueri, manifestum est nos vere cum Ecclesia catholica Christi sentire. Addo illud etiam, praecipuos scriptores, Ambrosium Augustinum et paucos alios idem sentire, si commode intelligantur, et pauca quaedam eis condonentur, quae tunc non venerunt in controversiam.

De Liturgia nihil dubium est, nec privatas nec venales nec funebres Missas fuisse ante Gregorium; nec invocatio sanctorum multo ante Gregorium celebrari coepit.

Est et Lex de coelibatu perpetuo admodum recens, quae non aliam ob causam defenditur, nisi quia coelibatus est commodior ad tuendas opes. Et manifestam iniuriam verbo Dei faciunt, qui adfirmant coniugium sacerdotum cum iure divino pugnare.

De poenitentia, de remissione peccatorum ac iustificatione, quam dicimus homines fide propter Christum consequi non propter opera, de satisfactionibus, de clavibus, de traditionibus humanis, de

rebus politicis pleraque nostri disputaverunt planius quam veteres, quae tamen adparet consentanea esse perpetuis sententiis illorum, qui fuerunt eruditiores ac peritiores rerum spiritualium, qui quidem hanc explicationem ac methodum si legissent, pro sua pietate candide probaturi fuissent, ut audio narrasse virum praestantem, Theologum Parisiensem, se ex nostrorum explicatione de iustificatione primum rectius Augustini sententiam intellexisse.

Scio ex veteribus excerpi posse multa pugnantia cum nostris sententiis. Et excerpit pro suo adfectu quisque quod videtur commodum, ut ex eisdem floribus apes mella legunt, aranei venena. Sed absint a iudiciis ecclesiasticis sycophantiae. Non provoco ad omnes scriptores, sed ad meliores, Ambrosium Augustinum et quatenus alii cum his consentiunt, qui cum ipsi interdum pugnantia dixerint, veniam nobis dabunt si quaedam reprehendemus [1]), modo ut manifestam et certam scripturae divinae sententiam sequamur nec discedamus a symbolis et teneamus quod ipsi spectarunt ac voluerunt, interdum autem explicare non potuerunt. Nihil enim dubium est hoc doctrinae genus quod profitemur vere esse ipsum consensum catholicae Ecclesiae Christi, ut ostendunt symbola saniores synodi et eruditiores patres. Haec respondi moderatioribus, qui autoritatem Ecclesiae aut patrum nobis opponunt.

Exoritur autem quoddam novum genus sapientium, qui cum sint ἄθεοι, nulla prorsus volunt moveri de religione certamina, laudant pacem et concordiam, execrantur omnes, qui quocunque modo serunt discordias, hos tanquam καθάρματα et pestes generis humani tollendos esse censent. Haec est una philosophia Pontificum Cardinalium Regum Canonicorum et plurimorum, qui perhiberi volunt viri politici, qui scilicet ocium suum interturbari nolunt, nolunt dignitatem suam labefactari, oderunt doctrinam, quae videtur offectura commodis ipsorum, denique alius aliam habet causam. Horum omnium una vox est in regum consiliis: Nullam mutationem concedendam esse, retinendam esse concordiam Ecclesiae, autoritatem ordinariae potestatis.

Deinde habent suos rhetores, qui vehementissimas conciones in eam sententiam edunt, quos nominari omnes nihil opus est. Extant enim multorum scripta: sed ex omnibus illis centones nuper consuit Omphalius. Initio tanquam Solon aut Areopagita aliquis concionatur de legum dignitate, vituperat seditiones et legum contemtum, commemorat quam dulcis harmonia sit ordinis et εὐταξίας in Republica quam leges efficiunt. Deinde etsi non nominat certam professionem, tamen quos praecipue petat satis ostendit, declamitat adversus nos, qui quasdam tyrannicas et impias leges pontificum excussimus. Etsi autem non opinor eum haec gratis dicere, tamen

1) reprehendemus *A. W.* reprehendimus *C.*

cum eadem dicantur a multis summis et eloquentibus viris, non disputabo quid iste captet.

Totum hoc genus concionum spectat ad confirmandos potentum animos, ne ulla moderata et pia consilia audiantur, deinde ut inflammati iniustam saeviciam exerceant. Ut autem David petebat ne valerent consilia Achitophel, sic nos precabimur Deum ne horum rhetorum eloquentia veritatem et gloriam Christi opprimat. Et cum scriptum sit: Ex ore infantium et lactantium[1]) perfecisti laudem, sperabimus Deum non defuturum nobis esse in refutandis illis calumniis et in gloria Christi illustranda.

Scio plausibiliter dici de legum dignitate, de pace, de tranquillitate communi: non adeo rudis sum literarum nec adeo alienus a civili consuetudine vitae. Sentio etiam in Republica communi tranquillitati ea onera condonanda esse, quae sine impietate tolerari possunt. Valeant in eo genere hae sententiae: τὸ κακὸν εὖ κείμενον μὴ κινητέον. Et quod Plato dixit: ut deliri patris ita patriae desipientis mores tolerandos esse. Recte ista in loco dicuntur de civilibus oneribus, quae sine impietate tolerantur, sed haec philosophia non transferatur ad obruendam gloriam Dei. Doctrinae errores et idolatria nequaquam dissimulari debent, sicut Christus inquit: Si quis negaverit me, confundam eum. Primum praeceptum: Non habebis Deos alienos, longe anteferendum est omnibus rebus humanis, legibus hominum, imperiis, ordinariae potestati, paci, patriae, concordiae. His nominibus nihil est augustius, sed tamen anteferendum est nomen Dei.

Prophetae, Apostoli haud dubie patriam et patriae tranquillitatem, si qui alii, amarunt maxime. Et tamen reprehendere impios cultus et pravas opiniones coacti sunt. Et quidem Christus profitetur se doctrinae genus adferre tanquam ignem, qui sit adcensurus ingentes discordias. Necesse est enim existere certamina de cultu Dei, quia diabolus ardet horribili odio Dei et quantum potest delere verbum Dei[2]) conatur et adversus Deum homines impios incitat ac secum trahit florentissima imperia: cum his hostibus belligeratur Christus.

Quare cum necesse sit piis reprehendere et abolere impios cultus, non possunt non esse mutationum autores, sic erant maximarum mutationum autores[3]) Prophetae et Apostoli. Quanquam igitur politica sapientia abhorret ab ipso mutationis nomine, et pii, qui certe non omnes stolidi aut fatui sunt, intelligunt quantum difficultatum et periculorum adferant mutationes, tamen Christianum pectus antefert mandatum Dei et excelso animo excipit omnes

---

1) lactantium *A.* lactentium *C. W.* 2) delere verbum Dei *A.* verbum Dei delere *C. W.* 3) sic erant maximarum mutationum autores *A. W.* — *C.* omitt.

difficultates, easque intelligit regi a Christo, cui omnia subiecta sunt, ut inquit Propheta.

Haec breviter respondeo non tam Omphalii orationi quam illorum sapientum argumentis, qui in omnibus consiliis concionantur de vitandis mutationibus, de concordia. Etsi autem homines ἄθεοι hanc responsionem derident, tamen piis utile est considerare haec argumenta, ne illa sapientiae species deterreat animos a pietate[1]) et a professione veritatis.

Et haec scribo maxime admonendae iuventutis causa. Impii cum aliis illecebris opibus et aliis commodis animos multorum capiunt, tum vero etiam irretitos tenent his persuasionibus, quod vitandae sint mutationes, quod deceat favere ordinariae potestati, tueri praesentem formam reipublicae. Haec quatenus laudanda sint Christiani praemonendi sunt, ne obliviscantur huius praecepti: Non habebis Deos alienos.

Doleo quosdam excellentibus ingeniis praeditos conspirare cum impiis ac faces esse ad incitandos reges ad crudelitatem et ad stabiliendam impietatem. Illa est virtus digna magnis et praestantibus viris, praecipue ad Gloriam *Dei* conferre industriam atque autoritatem. Hic scopus propositus esse debet omnibus, ut suo quisque loco quantum potest conferat aliquid operae ad conservationem coelestis doctrinae. De aliis parasitastris[2]) parvulis, qui scribunt sycophanticos libellos, hoc loco non dicam, qui sunt ex illo genere κολάκων, quales alebat Dionysius Siculus, qui sputum tyranni excipiebant ac lingebant, praedicantes nectare dulcius esse.

Redeo ad sapientes illos, quorum aliqui simulantes religionem, postquam vident absurdas supersticiones superiorum temporum excusari non posse, adfingunt ritibus et decretis molliores interpretationes, ut tecte[3]) stabiliant impietatem conservatis ritibus ac viciosis decretis. Talis est liber editus Coloniae, titulo reformationis. Audio et Contarenum Cardinalem[4]) in Italia dicere solere, Lutheranos iniuriam facere Romanis proceribus, cum adscribant illis errata plebeiorum scriptorum, ut Legendarum, Dormi secure et similium; nunquam sic sensisse Romanos proceres aut ineptias illas probasse: ita nunc a se derivant errata. Ac scio ubique gentium plurimos esse, qui hoc novo artificio laudem singularis sapientiae aucupantur, qui primum eo iniusti[5]) sunt, quod cum pleraque a nobis correcta ex nostris libris mutuentur et nostris se pennis ornent ut fucum incautis faciant, tamen nobis iniqua διδακτρα reddunt. Non enim desinunt in nos exercere crudelitatem, deinde

1) pietate *A. W.* pietati *C.* 2) parasitastris *C. W.* parasistrastis *A.* 3) tecte *C. W.* recte *A.* 4) Cardinalem *A. W.* Cordinalem *C.* 5) iniusti *A.* instituti *C. W.*

non cogitant hanc novam sophisticam fore extremam perniciem verae religionis.

Si ingeniis petulantioribus licet comminisci glossas suo arbitrio, quid futurum est? Manifesta est idololatria in cultu sanctorum, in Missis pro mortuis, et tamen glossae adfinguntur ad retinendos ritus per sese viciosos. Ita paulo post fortassis Aegyptias superstitiones excusabunt. Absit ab Ecclesia haec impia et perniciosa sophistica, quae est protestatio contraria facto. Cultus non institutus expresso Dei verbo per sese viciosus est, etiamsi adfingas quamcunque voles glossam, ut invocatio sanctorum per se viciosa est, quia non est instituta divinitus, deinde et ob hanc causam per se viciosa est, quia hic ipse mos etiamsi diversum cogites tribuit[1]) sanctis honorem Deo proprium, quod omnes audiant.

Possem exempla multa recitare, sed desino ac pios hortor ut istam nefariam sophisticam execrentur. Ezechias non solum superstitiosas opiniones de aeneo serpente correxit, sed ipsam statuam delevit. Ita pietas est cum impiis opinionibus ritus ipsos abiicere, qui non sunt proprie[2]) mores politici. Sicut scriptura praecipit idola destrui, sic ipsi ritus privatarum Missarum, invocatio sanctorum, votorum observatio, monasticus vestitus, sodalicia monastica, vinculum coelibatus, discrimina ciborum et similes inepti ritus a superstitionibus orti tollantur et aboleantur.

Sed quid disputo? Illi qui hac sophistica pingunt viciosos ritus, non hoc vere agunt ut tollant errores ex Ecclesia, sed ut qualicunque praetextu defendant suam autoritatem et arte stabiliant impietatem. Facile enim repullulant pravae opiniones, si ritus ipsi maneant. Necesse est pios vigilantes esse. Nam diabolus oppugnat Evangelium, non tantum palam incitans tyrannos ad saeviciam, sed etiam callide insidias struens praetextu sapientiae et offundens bellas persuasiones, de quibus cavendis toties praecipit Spiritus sanctus, ut ad Timotheum inquit Paulus, venturos spiritus impostores, et ad Colossenses ait, traditiones humanas speciem sapientiae habituras esse. Non tantum manifesta deliramenta spargentur, qualia fuerunt pleraque vetera et recentia, ut paulo ante manifestae fuerunt imposturae indulgentiarum: sed etiam homines astuti falsa dogmata et impios ritus artificiose pingent, ut magno cum adplausu excipiantur amentur ac retineantur. An non habet sapientiae speciem impietas Samosateni? An non est plausibilis error Pelagii profanis ingeniis? Ita habent haec speciem sapientiae. Prodest ad pacem et tranquillitatem retinere usitatos mores, decerpantur igitur horridiores opiniones et adfingantur interpretationes εὐφημότεραι, ritus ipsi retineantur. Splendide hoc dici videtur, cum longe aliud agatur.

---

1) tribuit *A. W.* tribuis *C.* 2) proprie *C. W.* proprii *A.*

Hae sycophantiae significatae sunt in historia de Christo, quem cum oculos eius velassent eique colaphos impegissent lictores irridentes, iusserunt vaticinari a quo percussus esset. Sic excusatores isti impiorum rituum lubibrio habent Christum et Ecclesiam. Postquam insulsum aliquod glossema excogitarunt, putant se iam praestrinxisse Christo oculos, deinde addunt colaphos, hoc est impietatem stabiliunt, incendunt reges ad crudelitatem ac triumphos agunt, quasi iam prorsus deleverint veritatem. Ipsi plausum in suo theatro auferunt, praedicantur a malis, amantur a regibus, quorum serviunt cupiditatibus. Sed orandus est Deus, ut hoc genus sycophantarum reprimat.

Nicander ait, genus esse serpentum, quod adpellat Haemorrhoidas, sunt autem exiguae bestiolae, unius longitudine pedis, sed veneni tanta vis est ut ab illis icto sudor erumpat cruentus toto corpore, ut ex ore naribus auribus vesica large profluat sanguis, ut sanguineas lacrimas extillent oculi, ut ardeat incredibili inflammatione totum corpus. Huius generis bestia cum in Aegypto necasset Nauclerum Helenae, heroica mulier pede illam contrivit, unde et posteritas Haemorrhoidum dicitur[1]) claudicare amissa spina. Porro eventus ostendit hanc novam sophisticam interpretandarum traditionum venenum esse non dissimile Haemorrhoidum. Indocti etsi sunt nobis infesti, tamen pertinacia et odio pugnant, non pugnant autoritate: istae Haemorrhoides propter doctrinae opinionem, propter sophismata et ut vocat Paulus propter speciem sapientiae sunt in admiratione, incitant animos potentum ad opprimendam veritatem. Hoc veneno adcensi principes flammas odii concipiunt, fiunt cruenti et furenter crudeles. Sed Christus non sinet obrui lucem Evangelii, sicut scriptum est: Quod est ex Deo non abolebitur. Proinde Ecclesia, in qua lucet vera doctrina, tandem illis Haemorrhoidibus spinas exteret. Non oppriment veritatem sophisticae illae interpretationes et astuta et crudelia consilia impiorum.

Quod vero passim aliqui cupidi piae concordiae expectant pontificum synodos et sperant has Ecclesiae medicaturas esse aut vicia correcturas, longe falluntur. Nunquam enim pontifices et eorum coniurati ac satellites desinent bellum gerere adversus Christum, quod ut ita existimem moveor non tantum humanis coniecturis, quae multae et non leves sunt: Christi dictis[2]) moveor, deinde exemplis omnium aetatum. Nam Christus negat blasphemos sanari, qui contra conscientiam oppugnant veritatem, defendunt manifestam εἰδολωμανίαν et piorum cruore se resperserunt. Furor blasphemias et parricidia haud dubie comitatur, sicut historiae Cain Pharaonis Saul populi Iudaici testantur. Et Deus minatur coecita-

1) dicitur *A. W.* dicatur *C.* 2) Christi dictis *A.* sed Christi dictis *C. W.*

tem blasphemis, sicut Psalmus inquit: Obscurentur oculi eorum. Itaque augent quotidie supplicia, obligant sibi principes impiis foederibus. Nec tantum palam grassantur, sed clam struunt insidias vitae piorum principum. An existimandum est hos moderata aut pia consilia admissuros esse? Et aliquoties iam experti sumus plerosque, qui simularunt moderationem, tamen reipsa nihil egisse nisi ut nos irretitos opprimerent ac totum doctrinae genus delerent. Scio paucos quosdam esse saniores in hostium collegiis, qui deplorant potentum pertinaciam, sed horum sententiae exploduntur tanquam scholasticae. Haec cum ita sint, piae mentis est et cogitantis de sua salute, de gloria Christi, quaerere quae sit vera Ecclesia, ut huic se adiungat, ut huius coetus et gregis Christi pars sit, sicut inquit Christus: Qui non est mecum, contra me est. Deinde sciat Ecclesiam nequaquam esse tyrannos et persecutores Christi et eos, qui saeviciam vel adiuvant vel comprobant. De his teneamus regulam certissimam Pauli: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Et cum ait: Anathema sit, non existimemus usum esse levi aut vulgari maledicto. Cum nominat anathema, significat Deum ex Ecclesia eiecisse hostes verae doctrinae eosque fugiendos esse tanquam diras pestes, quas Deus execratur. Pollui se horum societate et consuetudine boni sciant, et daturos graves poenas amiciciae et coniunctionis cum illis. Psalmus inquit de hoc genere: Induit maledictionem sicut vestimentum et intravit sicut aqua in interiora eius et sicut oleum in ossa eius. Huius maledictionis contagium nocet ceteris qui sunt coniuncti cum illis, qui et veritatem oppugnant et exercent saeviciam in pios. Non igitur existimemus parum momenti habere hoc mandatum: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Non sunt Episcopi, non sunt Ecclesiae membra, sed hostes Christi, qui cum furiis agitentur, non de Ecclesiae concordia et pace cogitant, sed de tyrannide stabilienda, non student sanare Ecclesias, sed moliuntur bella civilia, vastitatem Ecclesiarum, parricidia piorum sacerdotum et piarum mulierum. Proinde non expectanda est ab illis emendatio Ecclesiarum, sed potius cogitandum ut sententia animo et voluntate quisque se ab illis seiungat, fugiat eorum εἰδωλομανίαν, non audiat convicia contra veram doctrinam, non adiuvet, non adprobet illorum consilia, non confirmet eorum potentiam. Fugite idololatriam[1]), inquit Paulus. Haec praecepta non sunt levia ducenda. Vera igitur Ecclesia quaeratur, sciamus in hac exaudiri preces, in hac sciamus esse Christi membra, ad hanc sciamus pertinere promissiones Evangelii. Non pertinent promissiones ad hostes Evangelii, sicut nec ad Iudaeos nec ad Mahometistas pertinent, ut saepe testatur[2]) Deus, et

1) idololatriam *A.* idolatriam *C. W.* 2) testatur *C. W.* tastatur *A.*

Psalmo 16 inquit pontifex Christus: Non offeram eorum libationes nec faciam eorum mentionem labiis meis. Quem haec tam tristis comminatio non moveat, ut fugiat coetum adversantem verae Ecclesiae? Denique plena est in utramque partem scriptura divina talibus concionibus, quae iubent fugere hostes verae doctrinae et verae[1]) Ecclesiae ac amplecti veram doctrinam, amare iuvare ornare veram Ecclesiam. Nec cogitemus tantum Platonicam civitatem esse Ecclesiam. Hic coetus est vera Ecclesia in qua lucet pura Evangelii doctrina, in qua recte administrantur sacramenta divinitus tradita. In tali coetu necesse est aliqua esse viva Ecclesiae membra, quae praestant Deo veros cultus, agunt poenitentiam, invocant Deum vera fide, conferunt studium et operam ad Evangelii propagationem, ostendunt suam confessionem, serviunt vocationi, denique praestant pia officia a Deo mandata, exercentur periculis omnis generis, in quibus exercent invocationem et alia bona opera. Hanc adfirmo esse veram Ecclesiam, cum qua oportet pios ubique terrarum coniunctos esse sententia voluntate et confessione. Ac tales esse sentio Dei beneficio nostras Ecclesias, quae profitentur puram Evangelii doctrinam, quae est sine ulla dubitatione consentiens sententia catholicae Ecclesiae Christi. Utinam bonae mentes considerent quantum referat non esse in castris hostium Ecclesiae, sed esse civem verae Ecclesiae Christi, propter quam Deus innotescere voluit, propter quam omnia condidit, quam filii sui sanguine sanctificavit, in qua patefecit se admirabilibus operibus per patres Noë Abraham Ioseph Moisen Davidem Eliam Elisaeum Apostolos et reliqua lumina Ecclesiae, denique quae habebit vitam et gloriam aeternam, fruetur commercio Dei et piorum angelorum. Quanta gloria et beatitudo est huius coetus socium esse, in[2]) hoc agmine conspici quod ducit Christus, quod circumvolant pii angeli, in quo incedunt principes Adam Noë Abraham Moises Elias et reliqui viri insignibus praediti donis. In hoc agmine iam certum tenes locum, si non adiuvas, non comprobas hostium Ecclesiae impietatem et crudelitatem, sed veram doctrinam amplecteris confiteris et piis moribus ornas. Psalmus inquit: Rogate pacem Hierusalem, Beati erunt qui diligent eam. O suavem et dulcem sententiam! Hortatur omnes ut adiuvent omni genere officii Ecclesiam, ut doctrinae puritatem et consensum tueantur, ut doctoribus benefaciant, ut precibus et votis Deo communem salutem commendent, ut impios doctores, ut tyrannos inde arceant. Opto autem ex animo, ut magnitudinem horum officiorum viri politici considerent, qui et debent et possunt Ecclesiam iuvare. In-

1) verae *C. W.* vere *A.* 2) in *A. W.* — *C.* omitt.

tueantur posteritatem, cui ut Rempublicam constitutam relinquere cupiunt, ita multo magis debent veram Dei agnitionem, incorruptam religionem, purum Evangelium, recte constitutas Ecclesias tradere, sicut Paulus iubet Timotheum fideliter custodire depositum, ut integrum et incontaminatum ad posteros perveniat. Hac cura prorsus nihil adfici videmus Pontifices Episcopos Canonicos, de opibus suis dimicant, non de doctrina. Ergo alii in scholis, in gubernatione civitatum suscipiant hanc curam. Hoc sacrificium praecipue Deus ab omnibus postulat, sicut Petrus inquit vocatos nos esse, ut celebremus Dei beneficium. Hic praecipuus finis omnium consiliorum atque actionum sapientibus propositus esse debet, ut ornent gloriam Christi. Pro hoc officio ingentia praemia pollicetur in hoc versiculo Deus: Beati erunt, qui diligent Ecclesiam: defensionem successus et salutem perpetuam promittit his qui veram Ecclesiam amant. Hac voce pii exuscitent animos ad curam ornandae Ecclesiae, seque non modo adversus tyrannorum minas confirment, sed etiam contra sophisticam illorum muniant, qui falso antiquitatis et Ecclesiae testimonia ad defensionem impiorum dogmatum citant, ad quos refutandos nonnihil instruere studiosos volui.

Caput XV.

Debemus autem nos firmi infirmitates imbecillium tolerare.

[*Ὀφείλομεν δὲ ἡμεῖς οἱ δυνατοὶ τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν*, v. 1.]

Apostrophe est ad fortiores, in qua alteram ex superioribus propositionibus repetit. Nam cum antea utrique parti concionatus sit, nunc docet eam partem, a qua plus prudentiae atque aequitatis requiritur, videlicet doctiores. Postulat enim, ut suum robur magis in tolerandis quam perturbandis infirmis declarent. Sicut ad Corinthios scripsit, admonens doctos, ut habeant rationem indoctorum, cum ait: Scientia inflat, dilectio aedificat.

Adparet enim tunc quoque doctiores statim in usu libertatis doctrinam suam ostentasse, sicut fit nostris temporibus. At Paulus contra fieri postulat ut docti morem gerant indoctis et sua commoditate invitent ad Evangelium imbecilles et erigant atque confirment. Nam cum vires nostras non ad nocendum sed ad iuvandos alios conferre debeamus, quo quisque dotes habet maiores, eo magis operam dare debebit, ut prosit aliis.

Addit autem particulam: Unusquisque nostrûm proximo prosit ad bonum et ad aedificationem. Hic admonet quomodo moderari usum libertatis et quae scandala vitare debeamus. Duplex enim scandalum est, quoddam vocant adceptum, nos

Pharisaicum vocabimus, cum videlicet non fratres, sed Evangelii hostes irritantur, cum aut docetur sana doctrina ac reprehenditur impia ipsorum doctrina, aut fit aliquod bonum ac necessarium opus, ubi hypocritae putant sibi nocere exemplum, sicut offenduntur Pharisaei in Evangelio, cum Christus in Sabbato medetur aegrotis.

Cum autem Paulus ait: Praestandum esse, ut placeamus aliis ad bonum et ad aedificationem, non vult impietatem hypocritarum nostra dissimulatione confirmari, sed vel invitis illis doctrina necessaria tradenda est et opera a Deo mandata facienda. Exempla sunt ubique obvia in scripturis. In mutationibus regnorum et rerum publicarum nihil scandali ac mali non inest. Et tamen Moisen oportuit mandato Dei parere. Apostolos oportuit Evangelium docere, etiamsi id prohiberent pontifices et satis adpareret universae illi [1]) Reipublicae maximam mutationem adlaturum esse.

Adversus haec scandala munit conscientias nostras sententia illa: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Ac in genere de doctrina sic sentiendum est, quod et apud hostes Evangelii et apud hos, qui fratres perhiberi volunt, doctrina necessaria [2]) dissimulari non [3]) debeat propter scandala. Fides enim dilectioni anteferenda est.

Aliud scandali genus est, quod vocant datum quo fratres offenduntur. Est autem vel mala doctrina, vel malum exemplum, quod nocet aliis, sive quia alii imitantur sive quia laeditur [4]) gloria Dei aut Ecclesiae. Etenim non solum hostes Evangelii, sed etiam infirmi fratres moventur malis exemplis ad maledicendum Ecclesiae et Evangelio et ipsi Christo.

Ad hoc scandali genus pertinet et opus indifferens intempestive factum, ubi nocet aliis exemplum, sicut usus libertatis in vulgo, quod libertate efferatur, aut apud infirmos, qui cum non satis intelligant causas libertatis absterrentur ab Evangelio ac iudicant doctrinae genus profanum esse aut dubitante conscientia imitantur exempla libertatis.

De hoc genere proprie docet nos hoc loco Paulus: Iubet fratribus morigerari ad bonum et ad aedificationem, hoc est iubet ut nostra commoditate invitemus alios ad Evangelium et infirmos erigamus omnibus officiis, ut possint in Christi cognitione crescere ac proficere. Ubi videntur usu libertatis absterreri ab Evangelio, tantisper non utamur libertate, donec isti melius doceantur. Ac sunt fratres, non hypocritae aut Epicurei qui sanam doctrinam opprimunt aut occidunt pia docentes, sed qui doceri se patiuntur.

Nam apud hostes Evangelii interdum ad confessionem pertinet,

---

1) illi *A. B.* — *C. W.* omitt. 2) necessaria *A.* necessarie *B. C.* necessario *W.* 3) non *A. B.* — *C. W.* omitt. 4) leditur A.

ostendere libertatis exemplum, quemadmodum Paulus se fecisse scribit ad Galatas. Et Christus Apostolos excusat violantes traditionem pharisaicam, Matthaei 15. Nam id quoque pharisaicum scandalum est, cum hostes Evangelii offenduntur exemplis libertatis, quae sunt testimonia doctrinae. Talibus offensionibus non vult nos perturbari Christus, cum ait: Sinite eos, coeci sunt et duces coecorum. Quia enim Pharisaei suas traditiones cum impiis opinionibus requirunt, iure omitti[1]) possunt, ut supra dictum est.

Sed quoniam apud hostes interdum quidam sanabiles sunt, placet mihi hic quoque mediocritas. Amo enim peripateticam doctrinam, quae laudat in omnibus externis officiis et hac consuetudine vitae mediocritatem, videlicet ut apud hos quoque ita moderemur usum libertatis, ne desiderari in nobis humanitas possit neve temere excitemus tumultus.

Ac sapientissimus vir Isocrates ait: Cum medium ipsum adtingere sit difficillimum, satius esse in eam partem delinquere, ut minus ausimus quam opus est, quam in alteram, in qua plus est audaciae. Quod utinam in hoc negocio consideraretur[2]), quod periculi plenum est. Verba eius adscribam, si quis forte praeceptum hoc magis amabit propter tanti viri autoritatem: *κράτιστον μὲν τῆς ἀκμῆς τῶν καιρῶν τυγχάνειν, ἐπειδὴ δὲ δυσκαταμαθήτως ἔχουσιν, ἐλλείπειν αἱροῦ καὶ μὴ πλεονάζειν, αἱ γὰρ μετριότητες μᾶλλον ἐν ταῖς ἐνδαίαις ἢ ταῖς ὑπερβολαῖς ἰσχνοῦσιν.*

Quod si virtus vere est mediocritas quaedam iuxta proportionem geometricam, ut sentit Aristoteles, natura nos ipsa hoc docet, defectum magis congruere mediocritati, quam exuperantiam. Nam in proportione geometrica medius numerus propior est minimo quam maximo, quod adtinet ad multitudinem, ut 2. 4. 8. Quis enim non videt quaternarium longius abesse ab octonario, quam a binario.

Etenim Christus non placuit sibi ipsi.

[*Καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς οὐχ ἑαυτῷ ἤρεσεν*, v. 3.]

Addit praecepto rationem ab exemplo Christi sumtam, quae est satis perspicua. Postea commendat nobis divinas scripturas et tradit praeceptum valde utile de usu scripturarum, cum iubet ut per pacientiam et consolationem scripturarum spem teneamus. Magnam vim habet hoc praeceptum, si experiamur in tentationibus.

Est enim sententia, non alias revelationes, non alias illuminationes quaerendas aut expectandas esse de coelo. Sed cum angimur, ad hoc verbum quod audimus

1) omitti *A. C. W.* obmitti *B.* - 2) consideraretur *A. B. C.* non consideraretur *W.*

aut legimus praescriptum in sacris libris respiciendum esse et sentiendum, quod promissiones in genere credentibus propositae vere ad nos quoque pertineant. Hoc verbo fides ac spes erigi debent, et sciendum est nobis quoque hic promissam esse consolationem ac Deum per hoc verbum efficacem esse.

Quidam fanatici vociferantur nos tribuere verbis scripturae vim quandam magicam et ablegatis scripturis iubent quaerere voluntatem Dei in aliis quibusdam cogitationibus. Sed res ostendit illos ignorare quid sit fides. Deus enim vult in verbo suo quaeri, non extra verbum in humanis imaginationibus. Nec tribuimus verbis aliquam vim magicam, sed voluntatem Dei non posse cognosci nisi per verbum sentimus. Itaque in omnibus adflictionibus decurrendum est ad verbum Dei, sicut et Paulus ad Ephesios praecipit. Nam fides est cognitio voluntatis Dei, cum sit fiducia misericordiae ac benevolentiae Dei.

Praeterea nihil fallacius[1]) est imaginationibus humanis extra verbum, quod cum e conspectu summotum est, mens obruitur rationibus, quae iubent homines desperare. Habent et Iudaei et Ethnici cogitationes de Deo et quidem praedicant eum esse bonum ac misericordem. Sed in agone conscientiae obruuntur argumentis, quae iubent eos desperare, quia non adprehendunt firmam et certam promissionem, in qua Deus pollicetur sese[2]) gratis velle ignoscere.

Fanatici iactant spiritum suum et magnos motus in animis effici a spiritu fingunt sine verbo Dei. At Paulus contra aperte ait: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei. Quare Spiritus sanctus per verbum efficax est: sed qui secus sentiunt, ociosis animis philosophantur nec considerant quomodo conscientiae in veris certaminibus erigendae atque consolandae sint.

Paulus coniungit pacientiam et spem, ut significet quid intersit inter philosophicam pacientiam et Christianam. Nam ut discernam plane et simpliciter. Philosophica pacientia est sine fide et spe auxilii divini. Et si qua est philosophica pacientia, tamen in iudicio Dei frangitur et superatur, cum sentit aeternam iram Dei. Fortassis in aliis calamitatibus adversus homines aliquantulum valet. Est enim obedientia, qua constanter paremus rectae[3]) rationi, ne dolore fracti aliquid contra honestatem faciamus. At Christiana pacientia duas res continet, obedientiam erga Deum, et fidem, quae expectat et sperat auxilium divinum.

---

1) fallacius *B. C. W.* facilius *A.* 2) sese *B. C. W.* se *A.* 3) rectae *C. W.* recte *A. B.*

Deus pacientiae.

[*Ὁ δὲ θεὸς τῆς ὑπομονῆς*, v. 5.]

Votum seu precatio est, quae est *παρασκευή* ad conclusionem huius loci de usu ceremoniarum, precatur[1]) enim utrisque dari studium pacis et concordiae. Vocat Deum pacientiae, quasi dicat Deum patientium, hoc est respicientem patientes et consolantem, sicut saepe alias scriptura dicit, Psalmo 34: Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. Psalmo 10: Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Psalmo 12: Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Psalmo 145: Adlevat Dominus omnes qui corruunt et erigit omnes elisos. Plalmo 50[2]): Invoca me in die tribulationis, et eripiam te etc. Has sententias et similes nobis inculcemus et ad nos quoque pertinere statuamus, et talibus promissionibus fidem in nobis excitemus alamus atque confirmemus: nam hoc exercitii genere fides alitur et corroboratur.

Ideo adsumite vos mutuo, sicut et Christus adsumsit nos.

[*Διὸ προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους, καθὼς καὶ ὁ Χρ.*, v. 7.]

Haec est conclusio totius loci de usu ceremoniarum, in quo adhortatur Gentes et Iudaeos ad concordiam, et adlegat exemplum Christi quod supra proposuit: Qui cum sit filius Dei, tamen amantissime nos miseros et indignos complexus est, sua morte nos redemit, suo beneficio servat. Id exemplum iubet nos imitari, ut mutuo nos complectamur, nec propter dissimilitudinem rituum tranquillitatem Ecclesiae et concordiam labefieri sinamus.

Et quia tunc erat inter Gentes ac Iudaeos praecipue haec controversia de ritibus, iterum inculcat Iudaeis testimonia, quae ostendunt Evangelium etiam ad Gentes pertinere, quare Iudaei non debeant aspernari Gentes, sed velut fratres et vere populum Dei complecti. Interim et Gentes confirmat his testimoniis, ne dubitent Christi beneficia ad se pertinere.

Citat autem inter ceteros locos et sententiam ex Esaia sumtam, quam suo more recitat iuxta translationem septuaginta Interpretum. Neque tamen sententia Graecae lectionis ab Hebraica discrepat, ac ne verbis quidem multum dissonat. Hebraei sic legunt: Et erit illo die radix Iessae, quae stabit ut sit signum populis, Gentes eam requirent, et erit mors eius gloriosa. Quod hic legitur: Stabit ut sit signum populis, Graeci verterunt: Erigetur ut imperet Gentibus. Verbum enim Hebraicum, quod hic signum vertimus, significat vexilla et trophaea et similia monumenta.

---

1) precatur *A. B.* precamur *C. W.* 2) 50 *A*, 49 *B. C. W.*

Intelligit enim Christum ducem ac victorem fore, sub cuius vexillo tuti erimus, cuius praesidio tegemur ac defendemur adversus summa mala, peccatum, iram Dei, inferos et adversus potentiam diaboli. Et quod Hebraeus habet: Gentes eam[1] requirent, idem est quod ait Graecus: Gentes in eo sperabunt. Nam qui ab aliquo auxilium et salutem expetunt, sperant et expectant, concurrunt et confugiunt ad eum. Id Hebraeus dixit: Requirent eum. Ita si quis dextre interpretetur Graecam lectionem, videbit sententiam cum Hebraica omnino congruere.

Pulchre autem depingit haec sententia resurrectionem et regnum Christi. Quod enim dicit: Erit mors eius gloriosa, significat eum non periturum in morte, sicut alii reges, cum moriuntur, amittunt regna. At hic Rex per mortem occupabit regnum, et post mortem vere ac gloriose regnabit. Nam etiam post mortem erit signum populis, Gentes ad eum concurrent, auxilium et salutem ab eo expectabunt. Quare reviviscet post mortem nec erit otiosus, sed defendet, gubernabit et servabit eos, qui ad ipsum confugient.

Atque ita solent Prophetae subindicare Christi resurrectionem, quia testantur futurum, ut perpetuo adorent eum homines, ut Psalmo 72: Et timebunt eum donec erit sol et luna. Item: Tu es sacerdos in aeternum. Necesse enim erat Christum resuscitari[2] ex morte, siquidem perpetuo regnaturus erat. Nam in hac mortali vita nullus rex perpetuo vivit aut regnat.

Deinde significatur hoc quoque regnum Christi fore non mundanum, sed coeleste, in quo divinitus res geretur, in quo Dei voluntas ad nos perferetur[3].

Porro sententia tristis esset, si tale regnum describeret, in quo tantum proponerentur minae de iudicio[4] Dei adversus homines. Itaque longe aliter hic describitur regnum Christi. Ingens consolatio in his verbis suavissime proponitur: In eo gentes sperabunt. Erit igitur regnum Christi non regnum exitii et perditionis, sed regnum spei et salutis. Venit Christus non ut damnet, non ut[5] perdat, sed ut servet ac restituat nos iam ante damnatos et adiudicatos morti.

Nam hoc regnum novum ideo constitutum est, ut sit potentius regno peccati et legis. Et cum lex antea edita sit, in qua ira Dei adversus peccatum ostensa est, non iam venit Christus ut legem adferat, in qua rursus condemnet nos, sed adversus illam condemnationem adfert promissionem et consolationem. Itaque etsi terrent nos peccata nostra, tamen sciamus hunc Christum propositum esse

---

1) eam *A. B.* eum *C. W.* 2) resuscitari *A. B. W.* resuscitare *C.* 3) perferetur *A. W.* perferretur *B. C.* 4) iudicio *A. C. W.* iudiciae *B.* 5) ut *A. B. W.* — *C.* omitt.

ut speremus salutem. Hoc pontifice habemus Deum placatum. Hic dux teget nos adversus diabolum, adversus mortem, adversus mundi saeviciam. Quare in omnibus adflictionibus ad hunc versiculum respiciamus: In eo gentes sperabunt, et[1]) sciamus auxilium et[2]) salutem a Christo petendam et expectandam esse.

Atque illud ipsum vult particula: Stabit ut sit signum populis, hoc est regnabit, et ad ipsum velut ad vexillum victoris respicient et confugient homines, et hoc duce ac victore defendentur.

Iam illud etiam indicat quale sit futurum regnum Christi, cum ait: Sperabunt, significat enim nos hic spe sustentari. Quare interim in hoc mundo adfligimur et duriter exercemur, et tamen defendimur ac eripimur per Christum. Sed hic exiguus versiculus tam multa complectitur, ut enumerare omnia difficile sit, tantum abest ut explicare me posse confidam.

Illud etiam adiiciendum est, quod describitur in regno Christi summos[3]) cultus esse, sperare in eum. Id egregium fidei praeconium est, quod Deus praecipue coli vult hac spe et fiducia misericordiae. Et continet magnam consolationem; cum enim hanc spem requirat adversus iram, profecto odit et prohibet desperationem.

Praeterea tribuit hic versiculus Christo divinam potentiam, iubet invocare Christum non regnantem visibiliter. Iubet in eum sperare. Id certe est tribuere ei divinam potentiam, quod exaudiat, quod sit efficax in nobis, cum tamen non versetur nobiscum visibili et mortali consuetudine. Sed non possum evolvere omnia, quae hic Esaiae locus continet.

Haec dixi, ut de illa praecipua particula lectorem admonerem eamque velut in illustriore loco ponerem, quod docet nos regnum Christi non esse regnum exitii et perditionis, sed regnum spei ac salutis.

Certus sum autem fratres mei.

[*Πέπεισμαι δὲ ἀδελφοί μου*, v. 14.]

Absoluto hoc toto loco de usu ceremoniarum, quia videri poterat vehementius obiurgasse aut certe notasse tum abutentes libertate tum alios morosos, qui per superstitionem iniquiores et asperiores erant bonis libertate utentibus: addit excusationem qua rursus mitigat universum coetum eius Ecclesiae. Nam haec excusatio libertatis meo iudicio proprie pertinet ad hunc locum de usu ceremoniarum, in quo etsi brevis est oratio, tamen si quis obser-

1) et *A. B.* — *C. W.* omitt. 2) et *A. B. W.* es *C.* 3) summos *B.* summus *A. C. W.*

vabit verborum pondera, sentiet non molliter utrosque castigari, videlicet et praeferoces illos qui ubique sibi volunt omnia licere, et istos Timones, qui ceremonias supersticiosa quadam et Iudaica diligentia observari postulant; ubi si quem offendit, hic rursus civiliter placat idque ita facit.

Cum benevolentiam conciliet inprimis honorifica de eo qui cum agimus opinio, primum tribuit eis laudem et bonitatis et doctrinae. Deinde ostendit se officio adductum, non tam ut doceret eos, quam ut admoneret doctos. Nam verbum admonendi minus habet offensionis. Cumque officii mentionem fecit, obiter commemorat quam late sparserit Evangelium, et ut fidem habeant suae doctrinae adlegat et miracula, quae comprobant doctrinam; quae meminisse debemus, ut sciamus nos tuto posse adsentiri Pauli doctrinae tanquam verbo Dei, ac certo sciamus Pauli doctrinam a Deo adprobatam esse.

Ceterum hic iterum adludit ad locum communem de sacrificio, cum ait se sacrificare Evangelium etc. Dixi autem supra sacrificium esse opus, quod nos Deo reddimus, ut eum[1]) honore adficiamus ac fateamur eum vere Deum esse, qui nos exaudiat etc. Cum autem novum Testamentum requirat veram noticiam Dei et iusticiam cordis, adfert enim cum vita aeterna sapientiam et iusticiam aeternam, habet hostias non mortuas pecudes, sed res vivas ac perpetuas, hoc est, corda quae offerant noticiam Dei, timorem fidem invocationem praedicationem Evangelii et beneficiorum Dei, gratiarum actionem confessionem pacientiam et similes motus obedientes legi Dei. Et haec significata sunt in ceremoniis Leviticis.

Nunc autem novum Testamentum, quia non continet umbras sed sapientiam et iusticiam cordis, non habet ceremonias, quae sint sacrificia[2]) ex opere operato. In lege Levitae praeparabant hostias et mactabant pecudes, Sacerdotes vero offerebant. Ita in novo Testamento ministri Evangelii et offerunt ipsi et alias hostias praeparant. Cum enim docent Evangelium et praedicant misericordiam Dei, cum invocant Deum, cum agunt gratias, vere sacricant et offerunt Deo laudem et fatentur eum vere esse Deum et Salvatorem, sicut ad Hebraeos scriptum est: Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini eius.

Deinde cum docent, praeparant etiam alias hostias. Nam hi qui credunt Evangelio, fiunt etiam hostiae, mortificantur, hoc est perterrefiunt agnito peccato, et vivificantur, eriguntur fiducia misericordiae Dei et agnoscunt Deum. Itaque offerunt ei invocationem, gratiarum actionem confessionem pacientiam et similes virtutes,

1) eum *B. C. W.* cum *A.* 2) *B.*: sacraficia.

Hae hostiae sunt adceptae Deo propter pontificem Christum, quem audito Evangelio adprehendunt tanquam mediatorem.

Hinc facile intelligi potest, quare hac figura delectatus sit, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον, sacrificantem Evangelium. Voluit enim admonere quae sint verae hostiae novi Testamenti. Et quod addit: Ut oblatio gentium fiat adcepta, etsi ambigue dictum videtur, tamen sententiae inter se sunt adfines, ut Gentes oblatae per me, hoc est praeparatae tanquam hostiae, fiant adceptae, aut hoc modo, ut Gentes iam offerentes, hoc est credentes et invocantes Deum, fiant adceptae. Nam et ipsae[1]) Gentes praeparatae et ut ita dicam consecratae offerunt suas hostias. Itaque res eodem redit. Dicit enim in summa, se ubique spargere Evangelium, ut Gentes agnoscant Christum et fiant populus Dei et hostiae ac invocent et celebrent Deum.

Quod vero addit: Sanctificata in Spiritu sancto, iterum docet in novo Testamento officia externa non esse sacrificia nec placere Deo ex opere operato. Sic enim oblatio Gentium est adcepta, inquit, si sit sanctificata Spiritu sancto, id est, si Gentes offerant spirituales motus, timorem Dei et fiduciam misericordiae Dei.

Observemus autem hic honestissimas laudes ministerii verbi, quod videlicet Evangelii praedicatio enarratio tractatio sint sacrificia necessaria novi Testamenti. Id consolari debet et docentes et discentes Evangelium inter tot molestias, quae[2]) utrisque perpetiendae sunt. Doctores sciant hunc cultum Dei necessarium esse, sciant eum propter gloriam Dei praestandum esse, sciant eum Deo placere, etiamsi homines alii negligenter audiunt Evangelium, alii contemnunt, alii etiam persequuntur. Meminerint et hi qui discunt Evangelium hoc studium discendi Evangelii cultum Dei esse, quem et requirit et adprobat Deus. Videmus enim quam severe hoc praecipiat Deus, cum ait de filio: Hunc audite[3]). Quare hoc officium, hunc cultum Deo praestare necesse est.

Proinde etiamsi in aliis artibus versamur, tamen sicut Agricolae sui laboris primicias Deo consecrare in lege iubentur, ita nos partem operae ac studii consecremus Deo. Et quanquam magno in contemtu atque odio sunt, qui postquam in literis humanoribus et aliis disciplinis communibus mediocriter versati sunt, totos se dedunt studio sacrarum literarum, tamen hi quoque consolentur se hac ratione, quod hoc studii genus sit necessarius cultus Dei et ad gloriam Dei pertineat, modo ut pie tractetur. Quod si considerabunt, facile contemnent iudicia istorum, qui velut contagium procul fugiunt doctrinam Chri-

1) ipsae *B. C. W.* ipse *A.* 2) quae *A. B. W.* qui *C.* 3) audite *C. W.* auditae *A. B.*

stianam, vel propter contemtum religionis vel quia aliae artes magis quaestuosae[1]) sunt, ac ceteros irridٍent omnes, qui non abstinent a sacris literis omnino.

Nunc autem proficiscor in Hierusalem, ut serviam sanctis.
[*Νυνὶ δὲ πορεύομαι εἰς Ἰερουσαλὴμ διακονῶν τοῖς ἁγίοις*, v. 25.]

Cum de suo officio[2]) diceret, obiter commemoravit suas peregrinationes et adiecit se Romam etiam aliquando venturum esse, postquam ex Hierosolyma redierit, quo nunc proficisci se dicit, ut eo pecuniam adferat passim collectam ad iuvandos[3]) Christianos in Iudaea, quibus fortunae omnes ereptae erant propter Evangelii professionem. Et sub Claudio Caesare, cuius temporibus haec Epistola a Paulo scripta est, fame gravissime laboratum est fere in toto orbe maximeque in Oriente. Tali tempore Christiani in Iudaea praecipue indigebant aliena ope, quia facultatibus suis spoliati erant.

Discernit autem Paulus ab aliis eleemosynis hanc collatam ad usus illorum, qui primi docuerunt Evangelium. Nam haec est verius merces debita doctoribus. Ideo ait: Debitores eorum sunt. Si enim gentes fruuntur spiritualibus bonis istorum, debent eis vicissim carnalia bona suppeditare. Admonet itaque nos hoc loco Paulus, quid Evangelii doctoribus debeamus, qua de re saepe concionatur in aliis Epistolis copiosissime.

Cum autem ferrea quaedam aetas nunc agatur, in qua crudelissime tractantur hi, qui docent et gubernant Ecclesias, duxi hic admonendos esse lectores, ut quid debeant gubernatoribus Ecclesiarum considerent. Discant item, quam graves poenas minatus sit Deus his, qui sacerdotes et doctores Ecclesiarum contemnunt nec pro virili iuvant. Christus enim cum inquit: Operarium mercede dignum esse, ostendit deberi sacerdotibus mercedem. Quare hoc officium cum sit debitum, magis requiritur a nobis, quam ceterae eleemosynae, quae gratis dantur. Et alio in loco addit Christus magnificam promissionem: Quisquis potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Si Christo credimus, hic declaremus fidem nostram et hac spe humanius et liberaliٍus tractemus sacerdotes, expectantes Christum haud dubie nobis cumulate redditurum esse gratiam.

Hoc officii genus meretur multa et magna praemia tum spiritualia tum corporalia, pacem publicam, facultatum nostrarum incrementa et defensionem, sicut Paulus docet 2 Corinth. 9. Et

---

1) quaestuosae *A. C. W.* quaestiosae *B.* 2) officio *B. C. W.* — *A.* omitt. 3) iuvandos *A. B.* adiuvandos *C. W.*

econtra huius officii praetermissio punitur gravissimis poenis, ut in Haggaeo scriptum est: Ubi Deus ideo corruptas esse segetes inquit et praeterea alias calamitates adcidisse, quia populus negligat Templum et Sacerdotes. Haec enim sunt verba: Quia domus mea negligitur et vos cumulatis unusquisque domi suae: propter hoc super vos prohibiti sunt coeli ne darent rorem, et terra prohibita est ne daret germen etc.

Quid autem nunc fit? Sacerdotes alibi plus quam Scythica crudelitate trucidantur, alibi pene coguntur fame perire cum miseris coniugibus et parvis liberis. Populus non solum de suo nihil impertit eis, sed etiam pensiones, quae liberalitate maiorum Ecclesiis donatae sunt ad alendos et doctores et scholasticos sacrarum literarum, foede diripit. Qua[1]) in re duplex malum est: nam et praesentes sacerdotes fame necantur, et quia nulli de publico aluntur qui discant sacras literas, paulo post defuturi sunt homines idonei ad Ecclesias docendas. Ea res interitum minatur universae religioni Christianae. Quomodo enim conservari religio poterit sine literarum studiis, sine idoneis doctoribus? ita sacrilegi isti non solum erga praesentes sacerdotes crudeles sunt, sed etiam universam religionem Christianam quantum in ipsis est delere conantur.

Veterum principum leges atrocissimas poenas in sacrilegia constituunt, non ut imperiti iudicant supersticione aliqua quasi Deus auro placari et coli velit, sed quod intelligebant sapientissimi principes ad studia doctrinae Christianae conservanda Ecclesiarum facultates retinendas esse. Id enim Reipublicae interest, non solum ut praesentibus sacerdotibus curetur victus, sed etiam ut doctrina Christiana propagetur ad posteros. Id aliter fieri non potest, nisi de publico alantur bona ingenia destinata studiis sacrarum literarum, ut ad posteros reliqui sint qui recte docere possint. Necesse est enim hos de publico ali sicut milites, quia dum huic rei operam dant, non possunt alias quaestuosas artes discere, quare victum nisi de publico habere non possunt. Ideo Paulus gravissime dixit comparans cum militibus hunc ordinem tum docentium tum discentium: Nemo militat suis stipendiis. Significat enim publicis stipendiis alendos esse hos, qui Ecclesiae serviunt.

Sed haec frustra declamamus his miserrimis temporibus, quibus iacet oppressa multiplici tyrannide religio Christiana. Boni tamen hoc magis admonendi sunt, ne exemplis illis adducantur ut ipsi quoque parum reverenter sentiant de sacerdotibus. Vidimus enim quantum haec exempla vulgo noceant. Quare haec nobis ipsi saepe subiiciamus, saepe haec inculcemus populo: Magna nos mereri praemia, si sacerdotes benigne tractemus, eos iuvemus, si Christi

1) qua *A. C. W.* quia *B.*

doctrinam fideliter ad posteros propagari curemus; et horribiles poenas Deo daturos esse istos[1]), qui crudeles sunt in sacerdotes, qui recusant studia doctrinae Christianae iuvare.

Vicissim et sui officii meminerint sacerdotes, ut recte doceant, ut conscientias ambigentes sanent, ut commoditate morum ornent Evangelium. Non enim vocari sacerdotes merentur Epicurei isti qui non solum non docent Evangelium, sed suaviter irrident omnes religiones et interim sacra in quaestu habent.

Caput XVI.

Hoc caput fere totum consumitur in salutationibus. Ac prodest hoc exemplum meminisse adversus hypocritas quosdam, qui omnia humanitatis officia sanctis adimunt, cum quidem haec comitas significationem habeat Christianae dilectionis et vel praecipue deceat doctores.

In fine admonet ne admittant neve audiant perniciosos doctores et serentes doctrinam cum Evangelio pugnantem. Ut enim medicus, cum remedia monstravit, iubet etiam cavere ea quae videntur nocitura: ita Apostolus postquam supra tradidit praecipuum locum doctrinae Christianae, hortatur ut sint circumspecti et advigilent, ne qui obrepant ipsis doctores impii.

Et ut cavere facilius possint, artes indicat quibus imperitos isti impostores circumveniunt. Decipiunt, inquit, per χρηστολογίας καὶ εὐλογίας.

Χρηστολογίαι haud dubie significant blandos sermones. Sunt autem blandiciae et[2]) in moribus docentium et in ipso genere doctrinae. Etenim quod ad mores adtinet, hypocritae isti gnaviter norunt simulare comitatem facilitatem pacientiam, norunt apte adludere ad eorum adfectus, quibuscum agunt. Huius rei exempla facile est reperire apud monachos. Et hoc tempore Anabaptistae, cum quidem multa doceant non solum falsa sed etiam absurda et palam abhorrentia a tota natura hominum, tamen animos hominum capiunt illa prodigiosa simulatione pacientiae et modestiae. Habet alicubi suas blandicias etiam doctrina, quae et ipsa figurate interdum adulatur populo, ut cum vulgus intempestive levatur oneribus traditionum: cum homines ingeniosi solvuntur vinculis dogmatum coelestium, quae rationi videntur absurda.

Εὐλογίαι significant Graecis laudationes, sed Paulus Hebraico more εὐλογίας vocat benedictiones, hoc est bonas imprecationes et magnificas promissiones. Nam hae facillime infatuant animos spe, metu et aliis adfectibus occupatos, ut cum Annae

1) istos *A. B.* iustos *C. W.* 2) et *B. C. W.* — *A.* omitt.

cultoribus promittuntur divitiae, cum monachi promittunt vitam aeternam pro suis ritibus, cum promittunt felicitatem in omnibus negociis pro sacrificio Missae. Adversus omnes huiusmodi insidias muniri oportet animos certa et firma cognitione verbi Dei. Sicut ait Petrus 2 Pet. 1 [1]): Benefacitis, adtendentes prophetico sermoni, tanquam lucernae lucenti in loco caliginoso, donec illucescat dies et oriatur lucifer in cordibus vestris.

Deus itaque gubernet corda nostra propter Dominum nostrum Iesum Christum Spiritu sancto, ut Evangelium de coelo traditum retineamus et in agnitione et fiducia Christi proficiamus et ut gloriam Evangelii omnibus piis officiis ornemus, et reddat Ecclesiae concordiam piam et perpetuam. Amen.

Deo gratia.

Finis.

1) 2 Petr. 1 *B. C. W.* — *A.* omitt.

CORRIGENDA.

pag. IV. lin. 10. pro: *MDLI* leg.: MDCI.
pag. 26. not. 1.: *B. C. W.*: adde omitt.
pag. 80. not. 1.: arbitrabantur *C.* delendum.
pag. 88. lin. 13. pro: iustitiae leg.: iusticiae.
pag. 135. not. 2. pro: procipium leg.: propicium.